This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Digitized by Google

600092276W

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Praecipua Ordinis monastici Elementa, e Regula SANCTI PATRIS BENEDICTI adumbravit, testimoniis ornavit

D. MAURUS WOLTER, *Abbas S. Martini de Beuron et B. M. V. de Monteserrato-Emaus, Pragae, Superior generalis Congregationis Beuronensis O. S. B.*

Sapientia ædificavit sibi domum,

excidit columnas septem. Prov. ix, 1.

Ex Typographia societatis Sti Augustini.
DESCLÉE, DE BROUWER ET SOC.
BRUGIS, MDCCCLXXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Praecipua Ordinis monastici Elementa, e Regula SANCTI PATRIS BENEDICTI adumbravit, testimoniis ornavit

D. Maurus Wolter, *Abbas S. Martini de Beuron et B. M. V. de Monteserrato-Emaus, Pragae, Superior generalis Congregationis Beuronensis O. S. B.*

Sapientia ædificavit sibi domum,

excidit columnas septem. Prov. ix, 1.

Ex Typographia societatis Sti Augustini.
DESCLÉE, DE BROUWER ET SOC.
BRUGIS, MDCCCLXXX.

110. n 59.

Digitized by Google

Digitized by Google

O Alme Pater Benedicte,
in cœlestibus gaudiis feliciter ducens
incommutabile ævum!
Luctantes filios, in hac palæstra sub tua
sanctissima Regula
militantes, clementer respice:
Illa, inquam, Regula, quam utcunque declarandam
hoc opusculo suscipiebam.
Scio equidem, te nullo modo potuisse
aliter docere quam vixeris.
Ego autem, eheu! —
Scribebam tamen, ne deesset
quod ex parte novissimorum filiorum tuorum
in tuis natalitiis jucundissimis
Tibi offerretur:
Tuum proinde est, Pater piissime,
curare ut huic qualicunque labori vires addantur,
effectus tribuatur;
ut tua sancta benedictione auctum
opusculum in augmentationem boni gregis proficiat.
Eia ergo, vide et visita vineam istam,
et perfice eam quam plantavit dextera tua:
in tuo Sanctuario adunatis benignus adsis,
ut ea sentiant eaque factitent
quæ nos omnes pariter tecum ad vitam æternam
præstante Dno N. J. Christo, perducant.

Digitized by Google

Digitized by Google

Pax.

Omnibus sub almi Patris BENEDICTI signis CHRISTO militantibus fraternam dicimus salutem.

SACRA appetierunt solemnia B. Patriarchae, quem per XIV abhinc saecula Occidentales monachi summo in honore habuerunt tanquam ipsorum Principem, Magistrum ac Legislatorem. Et profecto, dulcissimus ille coenobitarum Pater, ac doctor scholae sanctissimae, quantâ adhuc benedictionis et gloriae luce fulgeat, ex eo apparet, quod totus fere orbis laetus exultat cum laetis monachorum catervis, vota nuncupans, ut et merito et numero augeatur progenies tam benedicti Parentis.

Quapropter non potuimus pio gratoque temperare animo, quin e paupertate nostrâ stipem conferremus ad dilectissimum Patrem festive celebrandum. Atque illam quidem instar muneris esse velimus pauperculae istius viduae (Luc. 21), *quae, duobus minutis aeribus in templi gazophylacium missis, hanc Ipsius Domini laudem meruit:* " Omnes ex abundanti sibi " miserunt in munera Dei ; haec autem ex eo, quod " deest illi, misit. " *Humillime igitur prostrati ad pedes gloriosi Vicarii Domini, SS. Patris* LEONIS P. XIII. *cupimus munusculum hoc referre quasi obolum S. Petro dicatum ex animo obsequiosissimo ac fidelissimo.*

Digitized by Google

Fuit olim tempus, quum monasticus Ordo vitis erat in domo Dei mirifice fructifera, quae palmites suos extenderet ad mare et propagines usque ad fines terrae. At proh! novissimis eundem Ordinem temporibus haudnihil imminutum atque attenuatum dolemus. Cujus rei quae causae fuerint, inter omnes constat. Temporum enim iniquitate hominumque factum est, ut permulta, quae sancte quondam floruerunt, coenobia nunc deserta jaceant vel ruinis strata. Exstincti sunt illi orationis caritatisque foci, obruti putei illi aquae in vitam aeternam salientis. Imo vero non desunt, qui, quamquam ipsis monachis adscripti, pro monasticis illis fontibus cisternas foderint alienis aquis repletas, unde SS. P. Benedicti institutum nonnullâ ex parte desiit electum esse vas sanctitatis, a Spiritu S. in Ecclesiâ Dei collocatum.

Quae quum sic se habeant, nihil tam opus esse putavimus, quam denuo pristinos illos aperire puteos sacrosque ignes accendere, h. e. vera illa ac solida exquirere principia seu rationes Ordinis monastici, quae, praeceptis S. Regulae fundata, per mille annorum spatium integrâ stabilique auctoritate viguerunt. Atque ea redintegrandi ansam nobis praebuit quidam Abbatum O. S. B. coetus, Salisburgii a. 1868 celebratus. Inde enim pium exortum est consilium, monasteria, usque adhuc omnino separata, aliquo sanctae caritatis foedere inter se consociandi. In quem finem necesse erat, quum hujusmodi societatis formam, tum certa conquirere fundamenta, quibus

Digitized by Google

monastica vita niteretur. Itaque e mutuis, quae sequebantur deliberationibus, constituta sunt septem fundamentalia Ordinis monastici elementa, *quae hoc volumine proponimus. Illo quidem tempore eisdem adstipulati sunt complures Rmi DD. Abbates, velut Montis Cassini* Carolus De Vera, *S. Pauli in Urbe* Franciscus Zelli, *S. Petri Salisburg.* Albertus Eder, *illustrissimus nunc Archiepiscopus, B. M. V. Lambac.* Theodoricus Hagn *et admirabilis ille monasticae vitae restitutor* PROSPER GUÉRANGER, *Solesmensis Abbas, qui eorundem elementorum quasi auctor evasit et cujus immortalem memoriam hâc lucubratione prosequi gratissimo intendimus animo. Pro infirmâ enim tenuique parte nostrâ eadem elementa ausi sumus et enodatius explicare et confirmare testimoniis (lectionis potius ac meditationis gratia), quotquot per breve tempus licuit e S. Regulâ, ex libris et decretis S. Ecclesiae atque e Sanctorum Doctorumque dictis colligere.*

Quem commentariolum vos, carissimi fratres, etiam atque etiam rogo, ut benevolâ velitis aestimatione atque indulgentiâ excipere. Etenim, quamquam nos minimos esse atque ejusmodi operi impares optime scimus, tamen, soli confidentes Deo, speramus, fore ut aliquem certe quamvis parvum fructum ferat vel potius alterum impellat feliciori ingenio praeditum, qui conatum a nobis susceptum prospere repetat.

Equidem " unam petii a Domino, hanc requiram, ut " *aliquando amatissimum Ordinem monasticum*

Digitized by Google

pristinâ sanctitate reflorescentem videam, unde Ecclesia mirum consolationis ac praesidii, coelum gaudii accipiat incrementum, " ut in omnibus glorificetur Deus". *Tum Ordo ille rursus erit gloriosa* " Dei civitas in montibus sanctis " *condita, cujus* " Dominus " portas diligit super omnia tabernacula Jacob. Homo " et homo natus " *erit* " in eâ, et Ipse " *fundaverit* " " eam Altissimus" *eritque* "sicut laetantium omnium " habitatio in " *eâ* (Ps. 86).

Quare tu, dulcis Legifer ac Patriarcha, invictissime s. Crucis signifer, " monstra te esse " *Patrem, nomine gratiâque Benedictum! Te quidem intercedente excitet Deus in monachico Ordine Spiritum, cui tu serviisti, ut Eodem nos repleti studeamus amare, quod amasti, et opere exercere, quod docuisti, ad Ipsius SS. Trinitatis gloriam et in honorem obsequiumque Beatissimae atque Immaculatae semper Virginis Mariae!*

Scribebam Pragae, in Abbatiâ B. M. V. de Monteserrato-Emaus, die festo SS. Patriarchae Josephi 1880.

Fr. Maurus,
hum. Abbas.

Digitized by Google

Conspectus.

PAGINA.

Praefatio: III

Prooemium.
Declaratio... 3
Testimonia ex Regula S. P. N. Benedicti 8
Testimonia ex decretis et documentis Ecclesiae... 9
Testimonia ex Sanctorum et Doctorum scriptis deprompta 13

I. Clementum: Vita claustralis.
Declaratio... 40
S. Regula... 47
S. Ecclesia. 52
Sancti et Doctores... 61

II. Clementum: Opus Dei.
Declaratio... 109
S. Regula... 120
S. Ecclesia. 124
Sancti et Doctores... 140

III. Clementum: Sancta Paupertas.
Declaratio... 241
S. Regula... 254
S. Ecclesia. 259
Sancti et Doctores... 275

IV. Clementum: Sancta Mortificatio (Castitas).
Declaratio... 341
S. Regula... 359
S. Ecclesia. 366
Sancti et Doctores... 384

Digitized by Google

V. Clementum: Sanctus Labor (Obedientia).
Declaratio... 480
S. Regula... 502
S. Ecclesia. 508
Sancti et Doctores... 530
VI. Clementum: Opera caritatis.
Declaratio... 613
S. Regula... 631
S. Ecclesia. 636
Sancti et Doctores... 654
VII. Clementum: Regimen.
Declaratio... 703
S. Regula... 731
S. Ecclesia. 738
Sancti et Doctores... 778
Tabula documentorum ecclesiasticorum... 825
Index alphabeticus auctorum 825
Index rerum praecipuarum 825

Digitized by Google

Prooemium.

Firmum atque inviolabile caput est, ut S. Regula Beatissimi Patris Benedicti, quae genuinum perfectumque exhibet occidentalis monachi exemplum, religiosissime sustentetur et ad salutarem adducatur effectum.

SS. P. Benedictus — S. Regula et approbatae Constitutiones — Votorum professio — Religionis praestantia.

Declaratio.

SS. Pater Benedictus.

" *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram* " (Exod. 20, 12.) En tu, quicunque Christo sub **Benedicti** Regulâ militas, patrem habes dulcissimum ac gloriosum monachorum *Patriarcham*, matrem vero Sanctam *Regulam* vel Religionem, quam ille condidit. Qui quidem Patriarcha, quantâ admiratione dignus sit et quanto honore colendus, clamant XIV saeculorum locupletissimi sanctissimique testes. Fuit vir vitâ venerabilis ac, sicut nomine, ita gratiâ mirifice *Benedictus*, qui " *quasi stella matutina in medio nebulae,* " *et quasi luna plena in diebus suis lucet, et* " *quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo* " *Dei* " (Eccli. 50, 6; Epist. Miss. propr. SS. P. Bened.). Omnium justorum spiritu Sanctorumque potestate repletus, et virtutum splendore praeclare enituit et stupendis admodum ac paene inau-

Digitized by Google

ditis coruscavit miraculis. Parens exstitit innumerabili prole felix, vere *Pater Patrum* et *alter Abraham* praedicatus, quippe qui tot millia filiorum sacrae religioni pepererit auctorque evaserit universae monasticae propaginis, imo vero per discipulos suos, multarum gentium apostolos, totam propemodum Europam Christo Regi subegerit. Quo fit, ut non solum *monachorum Princeps*, *Dux* ac *Magister*, verum etiam ingentis *christianae familiae quasi Pater* ac *Patronus* pie meritoque dicatur.

Pietas erga S. P. Bened.

Hinc, quid tibi, monastico ordini mancipato, de beatissimo tuo ac benignissimo *Patre* sentiendum sit, facile colligas. Prae ceteris tuum est, nullum animi piissimi ac gratissimi officium omittere, tam praeclarum dulcemque in Christo *Parentem* maximis laudibus celebrare, insigni, quâ par est, observatione colere, sanctâ reverentiâ ac fiduciâ tam per vitam quam in morte invocare, ex intimo corde diligere ejusque memoriam, imaginem, gloriam caram atque in deliciis habere. "*Honora patrem tuum*," quoniam "*Benedictio patris firmat domos filiorum.*"

S. Regula.

Laudem, quam modo cecinimus, almus Patriarcha imprimis promeruit tanquam *Legislator* vitae monasticae praeceptorque scholae sanctissimae. Conscripsit, Spiritu Sancto adjuvante, Monachorum *Regulam*, codicem vere benedictum, quem a Patre luminum descen-

Digitized by Google

disse omnes credunt. Haec est *Regula sancta* ac *discretione praecipua*, quam miris laudibus ornarunt summi Pontifices, sacra Concilia, sancti Doctores. Eadem pii Patris testamentum est suavissimum, magni Ducis praeclarum monumentum, Praeceptoris vox per omnia sonans saecula. Eadem monachorum est, ut ita dicam, Magna charta, libertatis instrumentum, corpus juris, norma, miliarium ac militiae vexillum. Sicut *Moyses* de monte Sinai, ita *Benedictus* de monte Casini novo Israël divinam enuntiavit voluntatem, ut conclamare liceat: "*Beati sumus, Israël, quia, quae Deo placent, manifesta sunt nobis!*" (Bar. 4, 4.)

Obligatio S. Reg. et Constit.

Ecce igitur **lex, quam,** frater, **jurasti,** sub quâ te militaturum solemniter promisisti. Quae quidem, una cum approbatis a Sede Apostolica *Constitutionibus*, quamquam sub peccato te non obligat nisi in iis partibus, quae attingunt votorum materiam, tamen ne in levibus quidem praeceptis temere tibi est negligenda. Nam "*qui dissipat sepem, mordet eum colu-*" *ber*" (Eccl. 10, 8) et "*qui spernit modica, pau-*" *latim decidet*" (Eccli. 19, 1). Si vota murum, reliqua praescripta antemurale significant, quo christiana perfectio cingitur, vel propugnaculum, quo munitur (*Is.* 26, 1). Sunt Nasiraeorum capilli, crines Samsonis, pinnae volantis, lorica praeliantis. De totâ lege dicere quâdam ratione

Digitized by Google

fas est: "*Iota unum aut unus apex non prae-*
"*teribit, donec omnia fiant*" (Matth. 5, 18). "*Qui-*
"*cunque enim hanc Regulam secuti fuerint,*
"*pax super illos et misericordia*" (Gal. 6, 16) et
gaudium Spiritus Sancti. **E regulari obser-**
Regularis observantia. **vantia** pendet salus religiosi, firmitas coenobii,
status honosque Congregationis.

Quae quum ita sint, accipe *sanctam Regulam* tanquam de manu Dei tuique *Patris Benedicti!* Totam in eo studio operam conferas, ut huic *Regulae*, tot benedictionibus plenae, in dies majorem sanctioremque reverentiam, dilectionem, observantiam adhibeas, ut eam legendo ac meditando sensum spiritumque penitus percipias et in Capitulo ac Refectorio quotidie lectam perquam attento, devoto ac grato animo auscultes, quodammodo tecum loquens: "*In*
"*capite scriptum est de me, ut faciam volun-*
"*tatem tuam, Deus meus: volui, et legem tuam*
"*in medio cordis mei!*" (Ps. 39).

Vota relig. Quod attinet ad **vota** sive *evangelica consilia*, quibus te Deo obstrinxisti, et ortum et sanctionem ducunt ab Ipsius *Salvatoris* doctrinâ et exemplo. Memor sis, de te quoque esse dictum: "Jesus *autem intuitus eum dilexit eum*
"*et dixit ei: Veni sequere me*" (Marc. 10, 21).
Renovatio professionis. Fervidissimo igitur affectu ac dilatato corde frequenter **renova professionem** tuam (1), feli-

1. Cf. *S. Gertrudis* Exercitium IV. — Mos est apud multos, ut, antequam cubitum eant, flexis coram Deo genibus sanctam professionem renovent.

Digitized by Google

cissimum ac vere benedictum te judicans, quem prae decies centenis milibus Deus elegit, ut sis "*sanctus Domini Dei tui*" (Deut. 26, 19). Sine intermissione cumulatissimas age ac refer gratias coelesti tuo Sponso, donec Angeli clament: "*Veni, accipe coronam, quam tibi Dominus praeparavit in aeternum.*"



Digitized by Google

Testimonia

I. ex S. Regula, II. ex decretis et documentis S. Ecclesiae, III. ex Sanctorum et Doctorum scriptis deprompta.

S. Regula.

AUSCULTA, o fili, *praecepta* Magistri, et inclina aurem cordis tui, et *admonitionem* pii Patris libenter excipe et efficaciter comple.

Constituenda est a nobis Dominici *schola* servitii, in qua institutione nihil asperum nihilque grave nos constituturos speramus. (*Prolog.*)

Regulam hanc descripsimus, ut eam observantes in monasteriis aliquatenus vel honestatem morum aut initium conversationis nos demonstremus habere... Quisquis ergo ad patriam coelestem festinas, hanc minimam inchoationis *Regulam* descriptam, adjuvante Christo, perfice. (*Cap.* 73.)

In omnibus igitur omnes magistram sequantur Regulam, neque ab ea temere declinetur a quoquam. (*Cap.* 3.)

Nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii *Regula* vel majorum cohortantur exempla. (*Cap.* 7.)

Si quis frater... in aliquo contrarius existens *sanctae Regulae, et praeceptis* Seniorum suorum contemptor repertus fuerit, hic, secundum Domini nostri praeceptum, admoneatur semel et secundo secreto etc. (*Cap.* 23.)

Noviter venienti legatur (ter) haec *Regula* per ordinem et dicatur ei: *Ecce lex, sub quâ militare vis;* si potes observare, ingredere; si vero non potes, liber discede... Si, habita secum deliberatione, promiserit se omnia custodire et cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur in Congregatione, sciens *lege Regulae* constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de monasterio nec collum excutere de sub jugo *Regulae*. (*Cap.* 58.)

Digitized by Google

Sacerdos sciat, se omnem *Regulae disciplinam* servaturum, nec aliquid ei relaxabitur, ut sit, sicut scriptum est: Amice, ad quid venisti?... sciat, se *disciplinae regulari* subditum, et magis humilitatis exempla omnibus det. (*Cap.* 60.)

Nec occasione sacerdotii obliviscatur *Regulae obedientiam* et *disciplinam*, sed magis ac magis in Domino proficiat... Quod si aliter praesumpserit, projiciatur de monasterio, si tamen talis fuerit ejus contumacia, ut subdi aut obedire *Regulae* nolit. (*Cap.* 62.)

Praepositus, quantum praelatus est ceteris, tantum eum oportet sollicite observare praecepta *Regulae*. (Cap. 65.)

Ipse Abbas cum timore Dei et observatione *Regulae* omnia faciat. (*Cap.* 3.)

Et praesentem *Regulam* in omnibus conservet (*Cap.* 64.)

Hanc autem *Regulam* saepius volumus in Congregatione legi, ne quis fratrum de ignorantiâ se excuset. (*Cap.* 66.)

Vita S. Bened. : Vir Dei *Benedictus* inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinae quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit *monachorum Regulam, discretione praecipuam*, sermone luculentam. Cujus si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eâdem institutione *Regulae* omnes magisterii illius actus invenire, quia *sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quam vixit.* (S. Greg. dialog. l. II, c. 36.)

Vir Dei *Benedictus* Scholasticae sorori respondit: manere extra cellam nullatenus possum. (Ibid. c. 33.) Tantum miraculo coactus mansit.

Haec est *via*, quâ dilectus Domino *coelum Benedictus ascendit.* (Ibid. c. 37.)

S. Ecclesia.

Offic. monast. : O coelestis norma vitae, *Doctor* et *Dux Benedicte*, cujus cum Christo spiritus exultat in coelestibus! Gregem, *Pastor alme*, serva, sanctâ prece corrobora, viâ

SS. P. Benedictus

Digitized by Google

coelos clarescente fac, te Duce, penetrare. (*Int. in fest. Patrocin. SS. P. Bened.*)

Miss. monast. : Qui beatissimum Confessorem tuum *Benedictum Ducem* et *Magistrum*, coelitus edoctum, *innumerabili multitudini filiorum statuisti.* Quem et *omnium justorum spiritu repletum* et extra se raptum, luminis tui splendore collustrasti, ut in ipsâ luce visionis intimae, mentis laxato sinu, quam angusta essent omnia inferiora, deprehenderet, per Christum Dominum nostrum. Quapropter profusis gaudiis *totus in orbe terrarum Monachorum coetus exultat.* Sed et supernae virtutes, etc. (*Praefat. de SS. P. Bened.*)

S. Regula

Concil. Duziacense II. (*Douzy, a.* 874) : Beatus gratiâ et nomine *Benedictus*, Sancto Spiritu inspiratus, consona S. Scripturis et aliorum orthodoxorum Patrum praedicationibus in *Regulâ* suâ dicit..... Sanctus Spiritus per *B. Benedictum* eodem spiritu, quo et sacri Canones conditi sunt, *Regulam* Monachorum edidit... Ceterum, quoniam eadem *Regula* a Sancto Spiritu promulgata et laudis auctoritate B. Papae Gregorii inter Canonicas Scripturas et catholicorum Doctorum scripta, est teneri decreta. (*Cap.* 8 *et* 7.)

Ordo S. Bened

Urbanus, Pp. VIII. (✠ 1644.) : Quidquid in vita Sanctorum mirabile est, quidquid altum sub lumine fidei : ad vestram vocationem pertinet. Spirituales gratiae, quae alios Ordines sanctificant varietate incomprehensibilis earum divisionis, unam partem constituunt plenitudinis earum, quae Ordini vestro communicantur : quandoquidem illius Institutor plenus erat Spiritu omnium Justorum. (*In Bulla ad Sanctimoniales Xantonenses.*)

Regularis Observantia.

Concil. Augustodun. (*Autun, sub S. Leodegario habit. a.* 670) : De Abbatibus vel Monachis ita observare convenit, ut, quidquid canonicus *ordo* vel *Regula S. Benedicti* edocet, et implere et custodire in omnibus debeant. Si enim haec omnia fuerint legitime apud Abbates vel monasteria conservata, et numerus monachorum, Deo propitio, augebitur et mundus omnis per eorum orationes assiduas malis carebit contagiis. (*Can.* 15.)

Digitized by Google

Concil. Londinense (*a.* 1268) : Regnum coelorum, mansionibus, teste Veritate, distinctum, de mundo isto quasi de torculari sibi exprimit et colligit incolas, per varias incedentes virtutum semitas, et extra mundi contagia, per diversos cancellos poenitentiae salientes, mansionum coelestium tabernacula variis praemiorum stipendiis ingressuros. Inter omnes hujusmodi *sanctum* et *Deo proximum Ordinem monachorum per virum* illum *venerabilis vitae, gratiâ et nomine Benedictum, docente S. Spiritu, institutum et elevatum ad charismata meliora*, quanto per altioris vitae gradus a diebus antiquis de terrenis triumphantem attendimus regnum Dei sanctâ violentiâ rapientem, tanto cura nobis major incumbit, illius reservare decorem, munire sanctimoniam, et immissiones per angelos malos praecludere, atque illatos ab hostibus gladio et insidiis sanare languores ! (*c.* 38.)

Concil. Tridentin. Quoniam non ignorat sancta Synodus, quantum ex monasteriis pie institutis et recte administratis in Ecclesiâ Dei splendoris atque utilitatis oriatur, necessarium esse censuit..., praecipere,... ut omnes regulares... ad *Regulae*, quam professi sunt, *praescriptum* vitam instituant et componant, atque imprimis quae ad suae professionis perfectionem, ut obedientiae, paupertatis et castitatis, ac si quae alia sunt alicujus regulae et ordinis peculiaria *vota* et *praecepta*, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum et vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent. Omnisque cura et diligentia a superioribus adhibeatur..., ut ab illis non recedatur ; quum compertum sit, ab eis non posse ea, quae ad *substantiam regularis vitae* pertinent, relaxari. Si enim illa, quæ *bases* sunt et *fundamenta totius regularis disciplinae*, exacte non fuerint conservata, totum corruat aedificium necesse est. (*Sess.* XXV, *de Regul. et Mon.* c. 1.)

Concil. Biterrens. (Béziers, a. 1233): *In votis et observantiis*, per quae conservatur ordo et disciplina regularis, *monachi suam magistram sequantur Regulam*, secundum quam

Digitized by Google

vivere sunt professi et sine cujus observatione non sunt in statu vel ordine salvandorum. (*Cap.* 14.)

Clemens Pp. XIV. (✠ 1774): Agnoscite, fratres, ante Deum infirmitatem vestram; assidue et studiose precamini divinam clementiam: *servate Regulam, constitutiones, decreta, Regularem disciplinam diligite et facite*, atque vitae vestrae sanctitas et morum castimonia talis erit, quae omnibus, non dicam fidelibus, sed religiosis viris proponenda erit tanquam norma pie sancteque vivendi. (*Constit.* « *In vinea Domini* » *a.* 1772. § 11.)

S. Regula et Constitutiones.

Concil. Prag. (*a.* 1860): Peculiaris regularium thesaurus sit ipsa *Regula*, juxta cujus praeceptum et accedentes in *statutis* explicationes singulae religiosorum familiae suo quaeque modo sanctos ordinum fundatores imitentur, in quibus varia Spiritus Sancti dona diversissimos et pulcherrimos caritatis fructus protulerunt. (*Tit.* 7. c. 3.)

Concil. Coloc. (*Colocza, a.* 1863): Religiosi ordinis sui *statuta*, majorum item *traditiones* et *disciplinam* omnes et singuli, quemadmodum Deo voverunt, religiose custodiant, per eorum vestigia gradientes ad eandem mereantur pervenire repromissionem aeternam. (*Tit.* 5.)

Concil. Strigon. (*Gran, a.* 1858): Obedientia debet esse perfecta eo sensu, ut quivis, a primo Superiore usque ad novissimum novitium, *legibus*, *constitutionibus*, *regulis* sui Ordinis, *a S. Sede Apostolica confirmatis*, plenum praestet obsequium, proinde librum haec in se continentem, velut suum codicem legum, in corde veneretur, eundem frequenter relegere, super argumento meditari, sensum penetrare contendat ; superiores autem locales statis temporibus publice legi curent ; denique magistri novitiorum ad captum singulorum frequenter explanent. (*Tit.* 7.)

Concil. Ultraject. (*Utrecht, a.* 1865): Fructus eximios religiosa instituta tunc solummodo producere possunt, cum regulares tam viri quam mulieres, ad *Regulae*, quam professi sunt, praescriptum vitam instituant et componant. — Superioribus regularibus solemne erit, ut in monasteriis *Regulae*

Digitized by Google

et constitutiones a S. Sede approbatae strictim et in omnibus observentur, nec eis licebit quidquam immutare. Si quid vero a primitivâ *Regulâ* deflexum repererint, nullâ morâ interpositâ, pristinam observantiam restituendam curabunt. (*Tit.* 7, c. 1 *et* 2.)

Pius Pp. IX: *Religiosae Familiae*, ad majorem Dei gloriam et animarum salutem procurandam a sanctissimis viris divino afflante spiritu institutae atque ab hac Apostolica Sede confirmatae, multiplici earum formâ pulcherrimam illam varietatem efficiunt, quae mirifice circumdat Ecclesiam, ac *lectissimas illas auxiliares Christi militum turmas constituunt*, quae maximo tum christianae tum civilis reipublicae usui, ornamento atque praesidio semper fuerunt. (*Epist. Encycl. d. d.* 17. *Jun.* 1847.)

(*Concil. Vatican.* 1869): Superiores Ordinum ac Regulares omnes graviter monemus, ut... *vota*, quae in professione Deo nuncuparunt, fideliter reddant, *regularem observantiam* et disciplinam sedulo servent, seque religiosos non habitu tantum, sed et virtute ac *spiritu, quo sancti eorum Fundatores animati* erant, ostendant, ut propriam sanctificationem assequi et Ecclesiae utilitati ac populis aedificationi esse possint. (*Schema* I *Constit. de Regul.*)

Sancti et Doctores.

S. Benedictus rex clarissimus.

S. Odo, Abb. Cluniac. († 942): Ubicumque S. Ecclesia diffunditur, per tribus, per nationes, per linguas, *laus Benedicti* frequentatur. Si enim « *in multitudine populi dignitas Regis est,* » ut ait Salomon (*Prov.* 14, 28), quantam putamus esse dignitatem istius *Regis*, quem tam numerosus prosequitur *exercitus monachorum!* Quis unquam *Rex* aut *Imperator* in tantis mundi partibus imperavit aut ex tam diversis nationibus sibi *tantas legiones* conduxit, quantas videlicet iste cujuslibet sexus et aetatis, in Christi militia voluntarie juratas, disponit? Quem quasi praesentem intuentes et vexillum institutionis sequentes, diabolicas acies viriliter

Digitized by Google

infringunt... Fidelis opinio est, quod unusquisque Sanctorum cum illis surget *in regeneratione*, quos Domino acquisivit. Quum igitur universi hujusce institutionis ejus sequaces in unum coacti fuerint, quale signum apostolatus *Benedicto* tunc ille copiosus exercitus se ipsum exhibebit? Et quali gaudio tunc ille tripudiabit, qui sese istis cohortibus immiscere potuerit!... Sit nobis semper *Benedictus* in corde, *Benedictus* in ore, *Benedictus* in actu, quatenus si qua virtus, si qua laus disciplinae, ut illud apostolicum imitantes, quae vidimus in illo, et audivimus in illo, et audivimus ab illo, sectemur, ut nobiscum sit Deus pacis per ipsum in saecula saeculorum. Amen. (*Sermo III. de S. Benedicto Abb. Patrol. lat.* 133, 728.)

S. Bened. assistens in supremo judicio.

S. Petrus Damianus, mon. et Card. (✠ 1072): Solus *Pater et Magister noster B. Benedictus* militarem manum excelso Principi ceteris abundantius praesentabit et monachorum turmis, Angelorum more viventibus, coelorum adimplebit palatia. Quam igitur refulgens et splendidus *miles adstabit imperatorio tribunali*, plenus infinitis virtutibus, agminibus innumeris comitatus, consiliarius Regis, *Judicis amicus*, hostis antiqui inimicus!... Pater et Magister noster *B. Benedictus* a pueritiâ mundum cum flore reliquit et *currentem Christum cursu rapidissimo secutus est* nec destitit, donec consequeretur. Quis igitur inter judicantes sublimius *judicabit?* Quis ita *centuplum* in hâc vitâ percepit? Quis *vitam aeternam* gloriosius possidebit? Ejus igitur intercessione suae vitae largitatem ad praesentis vitae consolationem et aeternae possessionem nobis administrare dignetur, qui venit, ut vitam habeamus, JESUS CHRISTUS Dominus noster, qui est *benedictus* in saecula! Amen. (*Serm. in hon. et laud. S. Bened. P. L.* 144, 548. 553.)

S. P. Bened. dux, magister, legifer.

S. Bernardus, Abb. Claraevall. (✠ 1153): Magistri nostri gloriosi *Benedicti dulcissimum nomen* cum omni vobis jucunditate amplectendum est et honorandum, quoniam ipse *dux* noster, ipse *magister* et *legifer* noster est... Arbor fuit *B. Benedictus* grandis atque fructifera tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum... De fructu ejus

Digitized by Google

sunt tria, *sanctitas* ejus, *justitia* ejus, *pietas* ejus. Sanctitatem *miracula* probant, *doctrina* pietatem, *vita* justitiam... Miraculis ejus innitaris, videlicet confidas et gaudeas, quod sub tali positus es *Pastore*, quod tantum meruisti habere *Patronum*... *Doctrina* vero instruit nos et dirigit gressus nostros in viam pacis. Porro vitae justitia omnino roborat et animat nos, ut tanto magis accendamur ad agenda, quae docuit, quanto certi sumus eum non alia docuisse, quam fecerit... In hunc ergo modum *sanctitas* confortat, *pietas* informat, *justitia* confirmat. Quantae enim pietatis fuit, quod non solum praesentibus profuit, sed etiam pro futuris sollicitus fuit! Non solum his, qui tunc erant, fructum tulit haec arbor, sed usque hodie fructus ejus et manet et crescit. *Dilectus* plane *Deo et hominibus*, cujus non sola praesentia in *benedictione* fuit, sicut sunt multi dilecti Deo soli, quia soli Deo jam cogniti; sed et memoria ejus etiam nunc in benedictione est; nam et usque hodie, in triplicem amoris Domini confessionem, *triplici hoc fructu pascit* Domini gregem; pascit *vitâ*, pascit *doctrinâ*, pascit *intercessione*. Per quem incessanter adjuti, fructificate et vos, carissimi; quoniam in hoc positi estis, ut eatis et fructum afferatis. (*Sermo in natali B. Bened. Abb. P. L.* 183, 376.)

S. P. Bened. virtutum et meritorum rosetum.

S. Gertrudis Magna, Virgo Monast. Helftensis († 1302): Vidit in spiritu *Benedictum Patrem gloriosum* in conspectu fulgidae semperque tranquillae Trinitatis honorabiliter stantem, venustum formâ decorumque aspectu. Ex cujus singulis membrorum articulis videbantur mirabiliter germinando prodire *rosae* pulcherrimae, mirae virtutis et vernantiae fragrantiaeque singularis; sicque quodlibet membrum ipsius vernabat, velut amoenissimum *rosetum*, quia quaelibet rosa de medio sui producebat aliam rosam et illa ultra aliam, sicque plurimae prodibant de quâlibet, quarum quaelibet alteri venustate, virtute et vernantiâ suâ praepollebat, et diversae diversas amoenitatis suae odorifero virore praecellebant. Sicque *totus floridus et amoenus sanctissimus Pater*, gratia et nomine *Benedictus*, semper venerandae Trinitati

Digitized by Google

omnique militiae coelesti mirae et inaestimabilis delectationis incitamentum ministrabat et ad tantae beatitudinis suae congratulationem provocabat. Itaque per *flores rosarum*, quae de singulis membris ejus efflorebant, notabantur singula exercitia, quibus ipse carnem suam domando spiritui subjugaverat, et omnia *opera virtutum*, quae peregerat per omnem conversationem suam sanctissimam, et etiam *opera omnium imitatorum suorum*, qui ejus exemplo et doctrinâ provocati, saeculo abrenuntiantes, sub *regularis discretionis* tramite viâ regiâ ipsum sequentes, jam ad portum patriae coelestis pervenerunt et adhuc usque ad consummationem saeculi perventuri sunt. De quibus singulis idem *venerabilis Pater singularem obtinet dignitatem;* pro quâ universitas Sanctorum omnium, ipsius claritati et felicitati congaudens, Dominum sine fine collaudat. Gestabat quoque *B. Benedictus* velut pro baculo *sceptrum* quoddam decentissimum, gemmis pretiosissimis mire coruscantibus ex utrâque parte mirabiliter perornatum. Quod manu tenens, *a parte ad se versâ* ex gemmis sceptri arridebat ei felicitas omnium, qui per *regularem districtionem* Ordinis sui unquam sunt correcti et emendati; ex quâ etiam inaestimabili delectatione divinae pietatis afficiebatur. *A parte vero alterâ*, quae scilicet versa videbatur ad Dominum, respondebat decor divinae justitiae, quâ unquam aliquem eorum, quos ad tanti Ordinis dignitatem gratuitâ sublimaverat dignatione, culpis suis exigentibus, justo judicio condemnando suppliciis deputavit aeternis. Quia, quanto quis ad digniorem Ordinem a Domino sublimatur, eo justius indigne vivens condemnatur... — *Venerabilis Pater* (virgini) respondit: « Quicumque me admonere studuerit illius dignitatis, quâ me Dominus meus tam glorioso fine dignatus est honorare ac beatificare, huic ego *in hora mortis* suae tali fidelitate volo adesse, quod certe opponam me illi ex omni parte, quâ videbo insidias inimicorum nocivas contra ipsum saevire, ut meâ praesentiâ munitus laqueos inimici evadat securus ac coeli gaudia petat sine fine beatus. » (*Legatus div. piet. l. IV, c.* 11.)

S. Benedictus sceptrum gestans.

S. P. Bened. agonizantium patronus.

Digitized by Google

S. Birgittae (✝ 1373) in visione revelavit *Mater Dei:* ...Boni Abbatis *Benedicti;* hujus beati viri anima erat quasi *Angelus*, qui dedit ex se calorem magnum et inflammationem, sicut per exemplum ostendo tibi. Quasi si essent *tres ignes*, quorum primus, succensus *in myrrhâ*, dedit ex se odorem suavitatis. Secundus erat succensus *in arido*, qui dedit ex se carbones ardentes et splendorem fulgentem. Tertius succendebatur *in olivâ*, qui dedit ex se flammam, lumen et calorem. In his tribus ignibus intelligo tres status, *Monachorum*, *Confessorum*, *Martyrum*... Missus fuit *B. Benedictus*, qui *conflavit tres ignes in unum*, in tantum quod, qui insipientes erant illuminabantur; qui frigidi, inflammabantur; qui ferventes, ferventiores efficiebantur. Et sic cum his ignibus incepit *Religio Benedicti*, quae unumquemque juxta dispositionem et capacitatem sensus sui dirigebat in viam salutis et aeternae felicitatis. (*Revel. l.* 3, *c.* 20.)

S. Bened. ignifer Angelus.

S. Bruno, Abb. Cassin. et Episc. Signiac. (*Segni*, ✝ 1125): « *Ecce plus quam Salomon hic.* » Quaeris fortasse in quo major sit Benedictus? In *sapientiâ*, in *justitiâ*, in *fortitudine*, in *temperantiâ* et super haec omnia *ditior* illo et *potentior* illo. Non dico de sapientiâ hujus mundi, quae stultitia est apud Deum, ad quam iste nunquam accedere voluit, sed de illâ *sapientiâ*, quae vera est et quae ducit hominem ad vitam aeternam. Neque dico de divitiis temporalibus, quae de templo sublatae sunt ab Aegyptiis et Chaldaeis, sed de *divitiis* aeternis semperque mansuris, quae ab Angelis reponuntur in coelis. His divitiis abundavit *B. Benedictus;* his semper ditissimus fuit ibique eas reposuit, ubi fures non effodiunt nec furantur. (*Sent. lib. VI, p.* 2 *serm.* 2; *P. L.* 165, 1053.)

S. Bened. sapientissimus et ditissimus.

Paulus Warnefridus, Diac. et monach. Cassin. (✝ *c.* 800): Quis potius, fratres carissimi, post SS. Apostolos, quam hic *beatissimus Pater* noster *salis* valet nomine appellari? Qui, ab urbe segregatus Romulea tanquam ab instabilibus amarisque pelagi fluctibus, dum intra specus sui sese ambitum tenuit, quidquid vel modicum ex mundanae mobilitatis liquore habere poterat, in salis soliditatem rationemque

S. Bened. sal et lumen.

Digitized by Google

mutavit, verique Solis radiis per caritatis fervorem torrefactus ad justitiae candorem pervenit. Qui non solum tunc corporali praesentiâ multorum, piis verbis vel actibus, *vitam condivit*, sed usque ad praesentem diem praesens spiritu *per totum maxime Occidentem suos sequaces erudit.* Qui, per salubrem rationisque plenam sanctae institutionis suae *Regulam*, vitam carnalium, dissolutionis labe tabidam, restringendo revocat ad salutem; cujus districtionis censura, etsi, ut salis species, plagis videatur crudescentibus austera, certum tamen est, quod tolerata patientius coelestem conferat medicinam... Quaenam *lucerna* clarior hoc Praeceptore surrexit, quae super candelabrum altioris vitae posita *totas Occidui provincias irradiavit?*... Adspirante Deo supra candelabrum regiminis posita, cunctis lustrari volentibus præclarum lumen exhibuit, ut hodieque per omnes paene Christianis cultibus deditas regiones, auditis tantorum miraculorum prodigiis, cognito tantae lumine sanctitatis, universorum, ad quos haec pervenire valent, fidelium in divinis laudibus ora resultent... Sed unde Pater hic eximius patrare ista promeruit, ut *ad instar SS. Apostolorum* tot, admirante mundo, miraculis coruscaret, nisi quia eorundem Apostolorum vitam tenuit et coelestis instituta Praeceptoris aure pectoris servaturus accepit? Non illum carnis illecebra, non mundi gaudia male suadentia, non hostis astuta consilia valuerunt in aliquo flectere anhelantem ad praemia sempiterna. Proinde, fratres carissimi, nos qui e diversis mundi partibus ad ejus properavimus magisterium, discamus spernere, quod sprevit, discamus diligere, quod dilexit; et si sequi eum post ad gloriam cupimus modo ipsius vestigia imitando sequamur, ne, si nunc ab ejus rectitudinis formâ deflectimus, ab illius postmodum coacti consortio dirimamur. (*Homil. de S. P. Bened. P. L.* 95, 1574.)

Ejus apostolica vita.

B. Guerricus, Abb. Igniacensis. (*Igny, Dioec. Rhem.*, ✝1157) :Sanctus Pater noster, gratiâ *Benedictus* et nomine, cujus memoria in *benedictione* est, ipse profecto fuit *benedictus* vir, qui confisus est in Domino... Ubi enim gentium

S. Bened. vir vere benedictus.

Digitized by Google

non benedicitur hodie *benedictus Domini Benedictus?* Plane *benedictio Domini* super caput justi (*Prov.* 10, 6), quem tot *benedictionibus* coeli et terrae gratia Dei cumulavit. Non tamen sicut Esau in pinguedine terrae et in rore coeli *benedictio* ejus (*Gen.* 27, 28); sed in pinguedine spiritus et in auctore coeli, qui per Prophetam loquitur: « Ero quasi ros » (*Os.* 14, 6); et cui dicitur: « Ros lucis ros tuus » (*Is.* 26, 19)... Merito proinde *benedictus in Domino* vir, qui confidit in Domino; quia qui in Domino fidit, in Eo se ipsum figit. Ubi autem arbor radicem figit, inde succum vitae atque humorem pinguedinis bibit. — « *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum* » (Eccli. 44, 4). Haec quidem de *Moyse* scripta sunt, sed *B. Benedicto* non incongrue, quantum arbitror, aptata sunt. Qui cum omnino *plenus* fuerit *spiritu Sanctorum*, multo magis de spiritu Moysi credendus est habuisse non minimum. Si enim Dominus de spiritu Moysi tulit et posuit super omnem illam suffraganeam turbam seniorum, qui in partem ministerii sunt adsciti, quanto magis super istum, qui plenitudinum totius ministerii tanto verius, quanto spiritualius, implevit? Ille lux fuit exeuntium de Aegypto, iste renuntiantium saeculo; *legislator* ille, legislator et iste; ille tantum *minister* literae occidentis, iste spiritus vivificantis. Ille ad duritiam cordis Judaeorum dedit eis justificationes non bonas praeter pauca moralia; iste solam *puritatem evangelicam simplicemque morum tradidit disciplinam.* Ille tam multa scribit intellectu difficilia, factu impossibilia vel inutilia; iste *rectissimam vitae scribit Regulam* sermone luculentam, discretione praecipuam. Denique *dux* ille filiorum Israël, quos de Aegypto eduxit, in requiem promissam non duxit; dux noster rectâ viâ, orientis tramite, tamquam *Signifer exercitus monachorum* hodie praecessit nos in regnum coelorum. (*Sermo* 2, 1 *et* 4, 1. *in festo S. P. Bened. P. L.* 185, 103. 111.)

Ave S. P. Benedicte.

Stephanus, Pp. iij O. S. B. (✠ 757): Ave *Benedicte*, Christi discipule! Ave, veri Sponsi amice! Ave, *praedicator* veritatis et *doctor* gentium! Ave, *legislator* universalis! Ave, *Abba Abbatum!* Ave, Archimandrita oecumenice!

Digitized by Google

Ave, *Columna* orthodoxiae! *tuus ego* et hi septem *Episcopi*, tuus *Clerus*, tuus *populus* Romanae urbis, tui et hi *Patricii*, tua *Lateranensis Ecclesia*, in quâ alitus et nutritus es, tuum *Casinense coenobium*, in quo corpore et spiritu habitas. Non patiaris nos ovibus tuis excludi! *Sedem Apostolicam protege!* Romanum imperium et hos gloriosos Patricios, corpore tibi simul et mente prostratos, ab hostibus visibilibus et invisibilibus *defende*, et Christo pro omnibus *orgias* (preces) *funde*, quatenus hic et in aeternum omnes tuo munere laetemur! (*Sermo ejusdem; apud Hacften, Disquis. mon. prol. p.* 31.)

Esto custos, S. Benedicte.

S. Bertharius, Abb. Cassin. et Martyr († 883) canit

O *Benedicte, Pater* cunctis celeberrime terris,
Qui *confessorum* culmen honoris habes...
Tu *via*, tu *doctor*, tu *pastor*, ductor eorum,
Qui, spretis terris, coelica regna petunt...
Eja, beate *Pater*, tanto qui lumine praestas,
Sedibus in superis tantâ pietate coruscus,
Esto tuis famulis *custos doctorque* per aevum,
Ne lupus insidians, hostis ne pestifer unquam
De grege tollat ovem, proprio quam jure retentas... (*Carm. ad S. P. Bened. P. L.* 126,975.)

B. Alcuinus, Abb. Turon. († 804.):

O *Benedicte*, vale *monachorum maxime Pastor!*
Quos generas verbis, hos *rege* jam precibus!...
Auxiliare tuis precibus quapropter ubique:
Grex numero crescat, *pastor* amate, tuus.
Jam gregis ex numero Pastoris gloria crescit;
Conserva meritis ecce tuos famulos! (*Carm. de S. P. Bened. P. L.* 101, 795.)

Vocatio S. Benedicti et gloria.

Baronius, Cardinalis († 1617): In tetrae noctis obscuritate densâque caligine ejusmodi *claritudo lucis* affulsit, quâ universus catholicus orbis illustraretur. Etenim, quod admiratione dignum est, in *S. Benedicti* vocatione summa Dei in consulendo suae Ecclesiae innotuit providentia. Ex tenui enim surculo praegrandium exortae sunt frugiferarum *arborum silvae*, quae universum repleverint *occidentalem Ecclesiam*. Exstitit hic Ordo *locuples seminarium*, ex quo plurimi pro-

Digitized by Google

gressi sunt sanctissimi diversarum ecclesiarum *Episcopi*. Nec defuerunt ex iis, qui in *Throno Apostolico* considentes, universam Ecclesiam catholicam, cum vehementiores urgerent fluctus, constantissime gubernarunt. Progressique ex eodem monachorum ordine sunt, qui *Apostolico munere* complures barbaras nationes, Christi jugum ferre impatientes, tandem ad Christianam fidem sponte capessendam converterunt. Prodieruntque alii, qui, ob suscepta grandia pro religione certamina, sunt victores consecuti *coronam Martyrii*. Praeterimus modo illos, qui, *sacrarum rerum scientiâ nobiles*, inter scriptores ecclesiasticos floruere; nec numeramus, quae numerari vix possint, sacrarum *examina virginum*, sicut nec facile sit recensere, quot ex hoc uno fonticulo immensa flumina sint derivata, quot, inquam, *ex Benedicto diversorum Ordinum* sint progressa agmina monachorum, qui, licet diverso nomine in Ecclesiâ Dei circumamictâ varietate censeantur, *instituti tamen esse S. Benedicti et ab ipso progredi gloriantur*. (*Ad* annum 494 n. 75, et ad ann. 529 n. 11.)

S. Benedictus totum mundum benedicens.

Joan. Trithemius, Abb. Spanheim. († 1516): Sanctus vir *Benedictus*, tanquam *lucerna supra candelabrum*, moribus suis et dictis totum illuminat orbem. De quo bene per *Zachariam* (6, 12 s.) dicitur: « Ecce *Vir Oriens* nomen ejus, » et subter eum orietur et *aedificabit templum Domino*. Et » ipse exstruet templum Domino, et ipse portabit gloriam « et dominabitur super solio suo »... *Seminator pacis* fuit et concordiae... Ecce *totus mundus ejus meruit benedictionem*... Quis non gaudeat talem apud Deum se habere *advocatum?* (Comment. in. S. Reg. Praef.) — SS. P. Benedictus *vir* fuit *clarissimus*, qui palmites suos extendit usque ad mare et propagines usque in longinquum; qui non solum sibi laboravit, sed omnibus exquirentibus veritatem. Quantum ad conversationem ejus pertinet, fuit *fide* firmus, *spe* robustus, geminâ *caritate* fervidus; mente *purus*, devotione praecipuus; in *oratione* ardens, in *meditatione* accensus; in *lectione* sanctarum Scripturarum sedulus, in *contemplatione* altus;

Digitized by Google

ut breviter concludam, *omnium virtutum ornatu insignis:* humilis, pudicus, sobrius, castus et quietus. (*De viris illustr. lib. II, c.* 1.)

S. Benedictus Ecclesiae fulcimentum.

Wernerus Rolewinck, Carthus. (✠ 1502): Legislator excellentissimus *Benedictus*, Pater maximus, totius *Ecclesiae fulcimentum* et *norma Religionis*, inclytissimos habuit discipulos et plures numero, et obtinuit orbem terrarum... Ad cujus honorificentiam hoc etiam accessit, quod non alius quilibet ex Magistris Ecclesiae *vitam* illius digessit, sed insignis ille disertissimus *Papa Gregorius*; quia *totum quod fecit, quasi aurum fulget.* Divinitus enim dispositum est, ut cum idem *Legislator* excellentissimus in ceteris modis sit a Deo decoratus, etiam hinc majori auctoritate, tam ipse quam Legislatio ejus, roboretur, quod eandem vitam summus Apostolicae Sedis Pontifex ordinavit. (*In fasciculo tempor. anno* 504.)

Fecunditas S. Benedicti.

Bonif. Simonetta, Abb. Cist. S. Stephani. (*Dioec. Crem. c.* 1490): A *Benedicti* agro tot amoeni flores, tot segetes animarumque viatica; a *Benedicti* fonte tot rivuli, tot flumina emersere, ut *fides catholica*, tali irrigatione uda, nullam amplius sterilitatem possit sentire. (*Lib.* 4, *prosecut. Christ. Epist.* 20.)

Vita S. Benedicti.

Prosper Guéranger, Abb. Solesm. (quem *Pius* Pp. IX. clarissimum familiae S. Benedicti ornamentum et verum Benedicti discipulum praedicavit, ✠ 1875): *Vita SS. Patriarchae* aliud nobis non est, nisi perlucidum sincerumque *speculum*, veri Monachi effigiem praebens; *clavis aurea*, Regulae ipsius adaperiens ingressum; *theatrum*, ubi ejus Conditoris mirifice relucent actiones; viva tandem *imago dilectissimi Parentis*, qui filiis suis sese manifestat tam gestis quam sermonibus. *Signa* ibi invenire est *monastici ejus Apostolatus*, prodigia dicimus plane stupenda, quibus eum Deus non desiit magnificare et quasi circumcingere, ita ut *Benedicto* eadem paene fides tribueretur, ac Ipsi rerum Domino, qui illum regebat et per illum operabatur. (*Enchirid. Bened., Praef. p. IX.*)

Gerardus Belga: *Merito SS. Patriarcham* et *Legis-*

Digitized by Google

Amor in SS. P. Benedictum.

latorem nostrum Benedictum Patrem Admirabilem dicimus, qui tot millium coelitum et filiorum Monachorum Pater est mirisque adeo illustris, ut e coelitibus parem habuisse neminem videatur, sed et in filiis suis admirandus tot sæculis fuit, ut *pleraque per Ecclesiam sancte instituta uni illi adscribenda* sint et in acceptis referenda. Vos autem, o filii! *noveritis vocationis vestrae et prædestinationis signum* esse, *ardenti amore Patrem vestrum diligere*, et hoc evidens argumentum, spurios vos et adulterinos non esse, quos constat, *affectu, amore*, et *inclinatione ad Benedicti cordis centrum*, sinum Paternum jugiter *rapi* ac tendere. — Cui, quaeso, malim me credere quam cui noverim cariorem me esse; cujus nemo, qui se credidit, non expertus est fidem; quem nemo suorum, impugnatus, non habuit defensorem? et *tantae* praecipue *fortitudinis ducem!* Quis enim, ut suos defenderet, tot exercitus protrivit, classes dispersit, toties daemones elisit, reges, principes terruit aut fregit, aquas avertit, ignes extinxit, morbos depulit, moribundis adstitit, coelo induxit? *O quantum, quantum agnosco me ei debere*, quem novi nunquam non meam apud summum judicem Deum causam agere, etiam dormienti invigilare, ubique assistere, nunquam non intendere, mala undique omnia avertere, bona accersere! (*Ex dictis et factis ejusdem.*)

S. Benedictus basis regni.

Hugo Capet Rex, moriens (✠ 996) coram multis dixit: « O optime fili! *Nullo pacto Ducem omnium, Patrem* dico *Benedictum, a te patiaris divelli*, illum apud communem Judicem *salutis adytum*, tranquillitatis *portum*, postque carnis obitum securitatis *asylum!* » — Hisce Baronius subjungit: Vidisti, lector, secundum illud Job, super quo *bases* illius *regni* solidatae sunt, nempe super Sanctos, ut de eo dici jure possit: Fundamenta ejus in montibus sanctis. » (*Baron. ad a.* 1029 *n.* 2.)

Philippus I., quoque, Francorum rex, moriens (✠ 1108) locutus est: *S. Benedictum diligo*, pium Patrem monachorum *suppliciter exposco* et in ecclesia ejus super Ligerim (Fleury-sur-Loire) tumulari desidero. Ipse enim *clemens* est et

Digitized by Google

benignus, omnesque suscipit peccatores propitius, qui emendatiorem vitam appetunt et secundum disciplinam *Regulae* ipsius Deo conciliari satagunt. (*Orderic. Vitalis; Hist. eccl. p. III, lib.* 11, *n.* 18. *P. L.* 188, 858.)

S. Regula Evangelio consona.

V. Benedictus, Abb. Clusiensis. (*S. Michaël de Chiusa Dioec. Taurin.* ✠ 1091): In *Regula SS. P. N. Benedicti* omnis evangelica et apostolica perfectio constat. (*In vitâ ipsius, a Wilhelmo mon. Clus. scriptâ n.* 9. *P. L.* 150, 1467.)

Gauffridus, Abb. Claravallens. (✠ 1166): Quod B. Patris nostri *Regula* docuit, hoc nobis lectio *Evangelii* commendat; nec aliud sonuit *Veritatis praeco*, quam *Veritas* ipsa praedocuit. (*P. L.* 66, 215.)

Ejus auctor S. Spiritus.

Rupertus, Abb. Tuitiens. (*Deutz*, ✠ 1135): *Regulam* vere per mentem SS. P. Benedicti disposuit et per os ejus locutus est *Spiritus Sanctus*, quo ille plenus fuit. Omnino *superaedificata* est super *fundamentum divinae positionis*, fundamentum *Evangelicae auctoritatis*, cui nimirum talis aedificator sive scriptor apertos suae mentis oculos, dum scribebat, intendit. (*Lib. I in Reg. S. Bened. P. L.* 170, 478.)

Petrus Venerab., Abb. Cluniac. (✠ 1158): Audi et ipsum *Regulae* scriptorem, imo ipsius Regulae *dictatorem Spiritum Sanctum.* SS. P. Benedictus *caritate* in corde ejus *per Spiritum S.*, qui datus ei erat, diffusâ, *in condendo Regulam tanquam organo usus* est. Habes institutionum tuarum *Benedictum* auctorem, qui ad finem *caritatis* universa scripta sua redigi praecepit et animarum saluti inservire... *Regula* illius S. Patris ex illâ sublimi et generali *caritatis regulâ* pendet, ex quâ et in quâ juxta Veritatis verba universa lex pendet et prophetae. Quodsi universa lex, tunc et illius *Regulae* lex. Monachus ergo, *Regulam* P. Benedicti profitens, tunc eam vere servat, quando caritatis legem ubique conservat (*L. IV. epist.* 17; *l.* 1. *ep.* 28. *P. L.* 189, 328 *sq.* 156.)

S. Birgitta, ex ore *B. Mariae V.* audivit: Ut ignis bonus qui erat in *Benedicto*, igniret plures, vocavit Deus *Benedictum* in montem. Qui, convocatis ad se pluribus scintillis, fecit de eis per Spiritum Dei maximum rogum, et compo-

Digitized by Google

suit eis *Regulam de Spiritu Dei*, per quam multi perfecti facti sunt sicut Benedictus. (*Revel. l. 3, c.* 20.)

Richardus, Prior Fontanensis, (*Fountains, Dioec. Eborac.* ✠ 1140): Quidquid *B. Benedictus* instituit, ita totum *Spiritus Sancti* providentiâ destinatum est, ut nihil utilius, nihil sanctius, nihil felicius excogitari posset. (*Ep. Turstini Archiep. Eborac. ad Guil. Archiep. Cantuar.; inter Epist. S. Bern.* 490, 2. *P. L.* 182, 699.)

S. Petrus Damianus : In ipso *Regulae* principio, ad quem sua verba *Spiritus S.* dirigat, subtiliter attendatur. *Spiritum S.* dico. Neque enim *Vir sanctus* tantaeque cultor humilitatis, protinus ut in verba prorumperet, Magisterii cathedram et praecipue pii *Patris* sibi privilegium usurparet, dicens: « Ausculta, o fili, praecepta Magistri, et inclina « aurem cordis tui, et admonitionem pii Patris libenter « excipe. » Sed *Ille servum suum propriae vocis organum fecit*, qui similiter in ipso vaticinii incipientis exordio clamare per *Isaiam* (1, 2) coepit: « Filios, inquit, enutrivi et exaltavi. » — *S. Regula* quasi *ampla* quaedam, *capax* et *speciosa domus* facta est, ad omnia hominum genera capienda, pueros videlicet et senes, fortes et debiles. (*Opuscul.* 13, *c.* 6 *et* 7. *P. L.* 145, 300 *sq.*)

S. Benedictus praecellens legislator et discretus.

Goffridus, Abb. Vindocin. et Card. (*Vendôme,* ✠ 1107) : Pater ac Legifer noster *Benedictus*, sicut a Deo majorem gratiam percepit, ita meliorem *legem* instituit. Quae ante illum Patres sancti constituerunt, velut lex *Moysis*, dura et aspera fuerunt. Sapientis vero *Benedicti institutio sancta*, *suavis* et *levis* est et matre virtutum, *discretione* videlicet, *plena*. Antiquorum sanctio Patrum quasi veteris legis cultores habuit; *pius* autem et *discretus Pater Benedictus*, illorum statuta tanquam durae legis austeritatem temperans, nos novae gratiae filios procreavit. Illa quasi vetera pene vel penitus omnia transierunt; et ecce a *S. Benedicto* facta sunt nova. Illa etiam tanquam umbra et figura futurae monasticae vitae fuisse videntur; sed per laudabilem Patrem *Benedictum*, *cooperante Spiritu Sancto*, est veritas revelata. Ipse

Digitized by Google

tamen pro magnâ suâ humilitate S. Basilii et praecedentium vitam et opera Patrum, sua vel tacens vel quasi modica dicens, laudat et miratur, optimum bonus discipulus Magistrum imitatus, qui taceri praecipiebat, quum ea, quae sine Ipso nemo alius facere poterat, operabatur... Sicut post beatos tres Evangelistas, Matthaeum scilicet, Lucam et Marcum, eorum quartus *Joannes Apostolus* scripsit, et melius, sic vir iste beatus post alios Patres monachorum *Regulam* scripsit, quâ, tanquam *dulcioris caritatis caemento*, vivo lapidi Christo homines diligentius jungit. De quo veraciter dicere possumus et firmiter credere debemus, quod a Deo nobis sit *tanquam Apostolus* et *Angelus* destinatus. Nam illum idcirco nobis *specialiter misit Deus*, ut ipse formatae et formosae vitae suae exemplo nos proprie et singulariter informaret, atque suae doctrinâ sapientiae nobis, quae sunt bona, familiariter nuntiaret. Illum etiam post Se praecipuum *Patrem*, *Pastorem*, *Medicum* et *Magistrum* decrevit esse Monachorum. Hunc igitur beatissimum virum, praecordiales amici et fratres, corde et ore suppliciter exoremus, quatenus *Pater*, *Pastor*, *Medicus* et *Magister* sic noster esse dignetur, ut piâ paternitate nos *nutriat*, animas nostras *pascat* pane virtutum, vulneribus peccatorum et criminum nostrorum *medeatur;* utque suo magisterio diligenter *edocti*, quae bona sunt, operemur et ad Ipsum pervenire mereamur, qui est dator et remunerator bonorum, Deus et Dominus noster JESUS-CHRISTUS, qui cum *Patre* et *Spiritu S.* vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen. (*Serm. in festivitate S. Bened. P. L.* 157, 279.)

Ejus intercessio.

S. Bened. sidus Occidentis per Regulam.

Augustinus, mon. Cisterc.: SS. Pater noster *Benedictus* tanquam *sidus purissimum* et *lucidissimum* praerogativâ sanctitatis, superexcellenti puritate, conversatione, singulorum denique miraculorum inaestimabili gloriâ, ab Occidente usque ad Orientem clarissime refulsit; ita ut, quidquid *Oriens*, in diversis partibus, diversis charismatibus habere se gaudet, hoc totum in uno sanctissimo Patre suo Benedicto, justorum omnium spiritu pleno, se possidere

Digitized by Google

Occidens non immerito glorietur. Scripsit namque idem Reverendissimus Pater monachorum *Regulam*, quam diuturno virtutum exercitio, non per hominem, sed per unctionem Illius, qui docet hominem scientiam, didicit; in qua mirabilis *artifex Spiritus Sanctus* summam perfectionem ac moderatissimam discretionem tam subtili connexione copulavit. (*Citat. a Constantino Cajet. O. S. B.* 1650).

S. Hildegardem, Abbatissam ad S. Rupert. (✝ 1179) *Deus* sic alloquitur: *Prima lux* diei fidelia verba apostolicae doctrinae designat. *Aurora* initium ejus conversationis, quae primum in solitudine et in speluncis post illam beatam doctrinam germinavit, demonstrat. *Sol* autem *discretam* et *bene dispositam viam in servo Meo Benedicto* declarat. Quem Ego per ardentem ignem traduxi, docens eum in vestitu conversationis suae incarnationem Filii Mei colere, et in abnegatione voluntatis suae passionem Illius imitari, quia ipse *Benedictus* est quasi *alter Moyses*... Sed *ut Filius Meus legem Moysis* per dulcedinem Evangelii perforavit, *sic Benedictus* famulus Meus *propositum Ordinis* quod ante ipsum diversissima conversatio fuit, *per dulcedinem inspirationis Spiritus Sancti discretam et planam viam fecit*, ac per hoc plurimam cohortem suae Religionis collegit; sicut etiam Filius Meus per suavitatem odoris sui christianum populum Sibi coadunavit. (*Scivias, l. 2. vis. 5.*) — Audivi vocem a vero Lumine mihi dicentem: « Lucidissima et mystica spiramina *Spiritus Sanctus* in *B. Benedicto* operatus est, ita, quod mens ipsius in amore Dei rutilabat nec suasionem diabolicae artis in operibus suis perfecit. Ipse enim gratiâ Spiritus Sancti hoc modo perfusus erat, quod in nullo opere suo velut in puncto momenti et ictûs oculi virtute Spiritus Sancti carebat. *Fons* quoque *clausus* fuit, qui *in discretione Dei doctrinam suam effudit*, cum acutum *clavum doctrinae* nec nimis in altum nec nimis in profundum, sed in *medium rotae fixit*, ita ut unusquisque, sive fortis sive imbecillis sit, ex ea secundum possibilitatem suam bibere competenter possit. Rota autem haec circumiens potestas Dei est, quâ etiam in aliis sanctis-

S. Bened. Sol discretionis.

Moysen superans.

Virtute S. Spiritus instructus.

Fons facilis accessu.

Digitized by Google

simis viris operabatur... *B. Benedictus* doctrinam suam in timore Dei mitissime hausit, et in pietate praecepta Dei docuit, et *in caritate murum sanctitatis Regulae constituit*, et in castitate omnibus pompis et deliciis terreni saeculi peregrinus fuit. Et quoniam ipse *in timore* et *pietate*, in *caritate* et *castitate doctrinam suam scripsit*, ideo nihil eidem doctrinae addendum vel auferendum est, quia *ei nihil deest*, quoniam in Spiritu Sancto facta et completa est. (*Explanatio Regulae S. P. Benedicti*) (1). — S. P. Benedictus *Regulam*, spirituali populo convenientem, ex omni vitâ Sanctorum, *Spiritu Sancto docente*, constituit. (*Vita S. Disibodi c.* 2. *nº* 22. *P. L.* 197, 487. 1055. 1104.)

S. Bened. putei salutaris fossor.

S. Bruno, Ep. Signiens. : Ecce *Moyses* praecipit, imo Dominus, qui per Moysen significatur, ut principes et *qui baculos ferunt, puteos fodiant*, Scripturas aperiant... Quales fossores olim fuerunt ! Quales et quantos puteos foderunt !

---

1 *Mgr. Freppel, évêque d'Angers :* Rien n'est simple comme *l'œuvre de St. Benoît ;* mais cette *simplicité* est celle de l'Évangile, qui répond à l'intelligence de chacun, comme elle va au cœur de tous. Aplanir la voie des conseils évangéliques à force de *mesure* et de *discrétion*, voilà son but, ainsi que le disait l'une de ses interprètes les mieux inspirées, *Ste. Hildegarde*, " *discretam et planam viam fecit* ". Aussi n'est-ce pas aux parfaits qu'il s'adresse, mais à ceux qui aspirent à le devenir. Ce qu'il veut établir tout simplement, c'est une école où l'on apprendra à mieux servir le Seigneur, " *Dominici schola servitii*," et dans laquelle il n'entrera rien d'âpre, " *nihil asperum*", ni de trop pénible pour la faiblesse humaine, " *nihil grave*". Oui, c'est avec aisance et en toute liberté, doucement et sans crainte, que son disciple suivra la route tracée par l'Evangile et arrivera à la perfection, ne la cherchant ni trop haut, ni trop bas, " *nec nimis in altum, nec nimis in profundum*," mais *se laissant aller au souffle de la grâce*, qui le conduira, selon sa voie, au terme qu'il doit atteindre. Voilà l'œuvre de St. Benoît: *œuvre admirable*, mes frères, où éclate, sous la lumière d'en haut, le génie de l'homme avec ses plus vastes et ses plus profondes intuitions. Dans cette législation des âmes appelées à la vie parfaite, dans ce *chef-d'œuvre de prudence et de discrétion*, comme s'exprime S. Grégoire-le-Grand, " *discretione præcipuam*, " il y a sans doute la haute lucidité d'un regard éclairé par la foi ; mais on y retrouve aussi, si je ne me trompe, quelques *traits de ces patriciens de l'ancienne Rome* qui ont conquis le monde par la sagesse plus que par la force, qui ont su le gouverner après l'avoir conquis, et qui, par là, ont préparé à leur insu le règne universel du Christ. C'est par cette *sagesse toute romaine*, que le patriarche du Mont-Cassin s'est acquis une postérité nombreuse comme les étoiles du ciel et comme les sables de la mer. Cette *règle* qui s'adapte aux situations les plus diverses, cette règle qui n'exclut rien et se prête à tout, les enfants de St. Benoît pourront la porter sous toutes les latitudes, dans quelque milieu social que ce soit : partout elle formera des chrétiens parfaits, partout où il se trouvera des âmes pour se consacrer à Dieu et un cloître pour y chanter la louange divine. (*Discours sur l'ordre monastique, le* 16 *mars* 1876.)

Digitized by Google

Quas de profundo aquas eduxerunt! *aquas* utique *vivas* et *salientes in vitam aeternam*... Quid dicam de B. *Benedicto*, qui *tam egregium nobis* (*in sua Regula*) *puteum fecit*, cujus aqua saluberrima ac dulcissima omnibus sitientibus et bibere volentibus, *et refectioni proficit et saluti?* Nullus post Apostolos et Evangelistas puteus factus est, qui tot homines satiasset et a mortis periculo cunctisque passionibus liberasset. Quicumque, fratres, quocumque labore fatigati sumus, festinemus ad puteos: *ibi* JESUM *inveniemus*, et ipsum fatigatum super puteum sedentem, et cum muliere Samaritana colloquentem. (*Sent. l. 6 p. 2 serm. 3. P. L.* 165, 1057.)

S. Benedicti Ordo via ad coelum.

Gaufridus, Abb. Igniac. (*Igny*), postea Claraevall. († 1166): « *Haec est via, quâ dilectus Domini Benedictus coelum ascendit.* » Quae est via ab ejus cella progrediens, nisi *Ordo*, quem idem vir beatus instituit, et forma vitae, quae ab eo sumpsit exordium? Quâ nimirum viâ dilectus Domini ascendit, quia « *non potuit vir sanctus aliter docere, quam vixit.* » Et haec quidem eorum vel maxima fiducia est, qui ipsius utcumque student inhaerere vestigiis, ipsum *praeceptorem praeviumque* sequuntur. Neque enim venire aliquatenus in dubium potest, quin omnino *sacer* sit *modus conversationis*, et *divinâ magis inspiratione atque consilio*, quam humanâ prudentiâ vel adinventione formatus, quo nimirum tantam in vitâ gratiam sanctitatis, tantam post obitum gloriam felicitatis idem vere *Benedictus* obtinuit. (*Declamationes ex S. Bernardi sermonibus collectae*, 38, *n.* 45, *P. L.* 184, 461.)

Regula a S. Spiritu dictata.

Leo, Archiep. Raven. († *c.* 1000): Tu, carissime, imitare *Regulam electam*, ab electo divo *Benedicto* editam, *a* sancto pioque *Spiritu Sancto dictatam*... quae sectatores suos ad regnum coelorum perducit. (*Ep. ad Durandum monach. apud Mab. Act. Sanct. tom.* VII, 873.)

S. Regula perfectionis norma.

Joannes a Turrecremata, Card. (*Torquemada*, † 1468): Traditur in *Regula S. P. Benedicti totius perfectionis Monasticae norma*, quum universa virtutum instrumenta ac Religionis praecepta contineat, sicut apertissimum est singula ipsius *Regulae* capitula contemplantibus, ut de eâ merito

Digitized by Google

dicamus illud Sapientiae (*c.* 8, 4.): « *Doctrix est disciplinae Dei et electrix operum illius.* » (Exposit. Regulae S. Bened.)

S. Regula lex Occidentis.

S. Antoninus, Archiep. Florent. († 1459): Beatissimus *Benedictus*, Pater Monachorum in Occidente, scripsit *Regulam*, prae ceteris, ut ita dicam, in singulis *directivam*. Haec etiam ut approbata allegatur in Decretis Ecclesiae. *Hanc omnes Monachi Occidentis pro fundamento tenent.* (Summa, pars II, tit. XV, c. 12. § 2.)

S. Regulae praeconium.

Smaragdus, Abb. S. Michaëlis ad Mosam in dioec. Virodun. (*Verdun*, † *c.* 820):

Est monachis *sancti Benedicti Regula* patris
Perfectis *palma*, suavis et ampla *via*...
Haec est sancta via *praelucida semita coeli*,
Carpere quam cupiunt castra beata Dei.
Admonet haec monachos *sublimis Regula* cunctos,
Ut rebus careant, regna superna petant...
Patribus a nostris in sacro carmine legis :
Regia rectegradis dicitur ista *via*.
Haec est *vita* bonis, necnon et *norma salutis*,
Arcus et *arma* piis, fulgida *tela* malis...
Altigeri monachis ostendit haec *paradisi*
Regula lucifluum desiderare locum...
Pandit iter nostris, *coelestia* pandit amicis,
Currere ne pigeat, sed patienter eant.
Examinat vitam, mores *componit* et ornat,
Vibrat et *aequiparat*, et moderando minat ;
Annihilat pravum, justum conflagrat ut aurum,
Limat et examinat, et poliendo *librat*...
Arguit, obsecrat, increpat, atque libenter *emendat*,
Quos sibi germano foedere consociat.
Novit ad aeternum monachos perducere regnum,
Et *sociare choro* dulciter *angelico*...
Nemo *viam* timeat monachus intrare per *arctam*;
Ducit ad astrigerum, castra beata, polum...
Temperet interea *monachi discretio mentem*,
Et viâ per medium regiâ ducat eum.
Ut caveat dextram sollers timeatque sinistram
Hortantur *sacrae* munia *legis* eum.

Digitized by Google

Quisquis amat rutilos *Sanctorum* carpere fructus,
Actibus in cunctis consocietur eis.
Moribus ornatus et *casto corpore* comptus
Vivat, et a Domino semper amatus erit.
Sit *tacitus*, *humilis*, *mitissimus* atque *benignus*;
Sit *patiens*, *sobrius*, *providus* atque *pius*.
Indolis et *docilis*, *sapiens* et *mente pusillus*,
Compunctus, *placidus* et bene *cautus* eat.
Excitat interea cordis *compunctio* fontem,
Qui sordes animae illuviesque lavet.
(*Comment. in Reg. Praef. P. L.* 102, 689.)

S. Regula discreta et luculenta.

Ludovicus Pius, Imperator († 840) ad S. Eigilem, Abb. Fuldensem scripsit: *Regulam* vir Dei *Benedictus* luculento sermone conscripsit, in quâ nihil doctrinae latentis, nihil obscuritatis comprehendit. Quapropter non indiget expositione, sed admonitione. *Haec est* enim *angusta porta* et *arcta via*, quae sequentes se ducit ad Deum. Haec sane in tantum te docet *discretionem*, *mensuram* et *caritatem* habere, ut etiam cum caritate hortatus praevaleas ipsa vitia resecare, agere cuncta propter pusillanimes mensurate, discretionem S. Jacob cogitare et semper in his omnibus fragilitatem tuam tibimetipsi ad memoriam revocare. (*Vita S. Eigilis, n.* 12. *P. L.* 105, 394.)

S. Regula lux Religionis.

Jacobus de Voragine, Archiep. Genuens. († 1298): Sicut sol occumbens dimittit nobis lucem in luna et luna nos illuminat, sic *B. Benedictus* occumbens, post mortem corporis, nobis dimisit lunam, i. e. *salutarem Regulam*, quae illuminat Religionem monasticam. (*Sermo II. de SS. Bened.*)

Reverentia in S. Regulam, patris eloquium, testamentum, residuum.

Prosper Guéranger, Abb. Solesm.: *S. Regulam* filiali cum reverentiâ oportet nos suscipere. Per eam, *Abraham instar*, *Pater* exstitit *S. Benedictus* tot et tantorum generationum, *Monastici* videlicet *Ordinis*. Per eam innumerabiles *Domini exercitus* fortiter accinxit ad debellandos daemones et cum eis vitia et errores. Per eam *coelos implevit tam densâ nube* testium, quorum numerus et sanctitudo proclamant, quantum potens fuerit in verbo et opere divinus ille *messor animarum*. Illic nempe *Benedictus adhuc loquitur;* illic videre

Digitized by Google

est authenticum *ejus testamentum;* illic filii *reliquiis* suimet Parentis potiuntur inaestimabili pretio praestantibus et ipsis carioribus quam ejus ossa sacrata (1). (*Enchirid. Bened. Praef. IV.*)

S. Thomas Aqu., Doct. Eccl. (✠ 1274) : *Regula*, quantum ad ea, quae excedunt communiter necessitatem praecepti, *non obligat* ad mortale, *nisi propter contemptum*... Tunc transgreditur aliquis *ex contemptu*, quando voluntas ejus subjici renuit ordinationi *legis* vel *Regulae* et ex hoc procedit ad faciendum contra eam. (*II. II, qu.* 186, *art.* 9.)

Regularis observantia.

S. Hieronymus, Doct. Eccl. (✠ 420) : Quia saeculum reliquisti et secundo post baptismum gradu inisti bellum cum adversario tuo, dicens ei : « Renuntio tibi diabole et saeculo tuo et pompae tuae et operibus tuis, » *serva foedus, quod pegisti!* (Ep. 130, 7. P. L. 22, 1113.)

Custodit et alas praebet.

S. Bernardus, Abb. : Rogo vos, fratres, et multum obsecro, sic agite et sic state in Domino, dilectissimi, solliciti semper circa *custodiam Ordinis*, ut Ordo custodiat vos. (*Ep.* 345, 1.) — Nonne et aviculas levat, *non onerat pennarum* sive plumarum *numerositas* ipsa ? Tolle eas et reliquum corpus pondere suo fertur ad ima. *Sic disciplinam*, sic suave *jugum*, sic *onus* leve, quo deponimus, eo deprimimur ipsi ; quia *portat potius, quam portatur.* (*Ep.* 385, 3. *P. L.* 182,550.589.)

S. Birgitta : Salvator noster ait : Ille est *monachus Benedicti*, qui plus *obedit Regulae*, quam carni ; qui nec in habitu nec in moribus alicui placere desiderat, nisi Deo ; qui quotidie desiderat mori et parat se ad exitum de hoc mundo, *sollicitus, quomodo reddat rationem de Regulâ Benedicti.* (Lib. 4. Revelat. c. 127.)

---

1. **Bossuet,** Ep. Meldensis (*Meaux*, ✠ 1704) :

Cette *Règle*, c'est un *précis du Christianisme*, un docte et mystérieux *abrégé de toute la doctrine de l'Évangile*, de toutes les institutions des saints Pères, de tous les conseils de perfection. Là paraissent avec éminence la *prudence* et la *simplicité*, l'*humilité* et le *courage*, la *sévérité* et la *douceur*, la *liberté* et la *dépendance*. Là, la *correction* a toute sa fermeté ; la *condescendance* tout son attrait ; le *commandement* toute sa vigueur, et la *sujétion* tout son repos ; le *silence* sa gravité, et la *parole* sa grâce ; la *force* son exercice et la *faiblesse* son soutien ; et toutefois, il l'appelle un *commencement*, pour vous nourrir toujours dans la crainte. (*Panégyrique de S. Benoît ; III. point.*)

Digitized by Google

In omnibus et minimis est exsequenda.

S. Caesarius, monach. et Ep. Arelat. (✠ 542) : Quia vos Angelis desidero esse consimiles, iterum atque iterum rogo, per Omnipotentem Deum vos contestor, ut nihil de *S. Regulae* institutione minui permittatis, sed *totis viribus eam custodire,* auxiliante Domino, *laboretis,* scientes, quia unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem (*I Cor.* 3). Et hoc ante omnia rogo, ut admonitionem nostram *non transitorie accipiat* sanctitas vestra (Abbatissa) ; quia non ex nostrâ praesumptione loquimur, sed secundum quod in Scripturis canonicis legitur et antiquorum Patrum libris abundantissime continetur, vos cum grandi affectu et cum verâ caritate salubriter admonemus. Et quia legitis : « *Qui unum mandatum minimum neglexerit, minimus vocetur in regno coelorum* » (Matth. 5), nolite humilitatis nostrae verba quasi minima despicere, propter illud, quod scriptum est : « *Qui vos spernit, me spernit* » (Luc. 10), et illud (*Eccli.* 19) : « *Qui spernit modica, paulatim defluit.* » (Reg. sanctimonial. 13. P. L. 67, 1118.)

S. Augustinus, Ep. Hipp. (✠ 430) : Quod *minimum* est, minimum est; sed *in minimo fidelem esse magnum est.* (De doctr. christ. l. 4, c. 18, n. 35. P. L. 34, 105.)

S. Anselmus, Abb. et Archiep. Cantuar. (✠ 1109) : Sicut pisces, decurrente aquâ vivarii, moriuntur, si clausurae ipsius minutatim ac saepe crepant nec reficiuntur, ita omnis *religio* monastici Ordinis *funditus perit,* si custodia ejus *per modicarum contemptum culparum* paulatim a fervore suo tepescit. (*Lib. similit. cap.* 123. *P. L.* 159, 677.) — Ubi *minimi excessus* negliguntur, ibi totus *Ordo paulatim dissipatur* et destruitur... Certissimum est, quia in monasterio, *ubi minima districte custodiuntur, ibi rigor Ordinis* monachorum inviolabiliter permanet, *ibi pax* inter fratres. (*Lib. III. Epist.* 49. ibid. 80.) — Congregatio vestra templum Dei debet esse. At *templum Dei sanctum* est. Si ergo *sancte vivitis,* i. e. si Ordinis proposita diligenter custoditis *nec minima contemnitis,* templum Dei estis. (*Lib. III., Epist.* 125. ibid. 161.) — Monachicum *propositum super omnia dilige.* (Epist. in App. 3. al. l. 4. Epist. 111. ibid. 259.)

Digitized by Google

Votorum professio holocaustum.

S. Gregorius M. Pp. O. S. B. (✝ 604): Si curare *parva* negligimus, insensibiliter seducti audacter etiam *majora* perpetrabimus. (*Moral. l.* 10, *c.* 11. *n.* 21. *P. L.* 75, 933.) — Quum quis omne, quod habet, omne, quod vivit, omne, quod sapit (i. e. paupertatem, castitatem, obedientiam) Omnipotenti Deo voverit, *holocaustum* est... (Monachi) *holocaustum* offerunt, imo magis *holocaustum* fiunt. (*L.* 2, *hom.* 8 *in Ezech. n.* 16. *P. L.* 76, 1057.)

Coram Angelis facta.

S. Ephrem, Diac. Edess. (✝ 378): Vide, cuinam pactus sis et ne parvipendas! Id noveris, quod *Angeli* in horâ illâ (professionis) voces tuas et *pacta tua abrenuntiationemque tuam* descripserint... In die judicii proferent Angeli *chirographum tuum* et verba oris tui coram formidabili tribunali. (*Sermo compunct.* tom I. pag. 32.)

Professus Deo consecratus.

S. Basilius M. Ep. Caes. (✝ 379): Monachus, ubi jam *professus* est, seipsum Deo custodire debet veluti *sacrum* quoddam *donum*, ne *sacrilegii* damnationem subeat. (*Sermo ascet. n.* 2. *P. gr.* 31, 871.)

Vere felix.

S. Augustinus: Non te *vovisse* poeniteat, imo gaude...; felix est necessitas, quae in meliora compellit. (*Ep.* 127, 8. *P. L.* 33, 487.)

Memento votorum.

Humbertus, Generalis O. Pr. (✝ 1263): Fratres carissimi,... omni virtute vos precor et conscientias moneo per Eum, qui Suo reverendo Sanguine nos redemit et vitae nobis portam piâ Suâ morte reseravit, *vestrae* ut *professionis*, *vestrique propositi non immemores* semitarum memineritis antiquarum, per quas antecessores vestri festinarunt in spiritu vehementi et jam regnant cum Christo, beatâ requie perpetuo consolati. (*Ep. de* 3 *stat. votis.*)

Renovatio votorum.

Dionysius Carthus., mon. Ruremund. (✝ 1471): Sententia est S. *Bernardini* aliorumque multorum doctorum: Quotiescumque Religiosus toto animo suae *recordatur professionis* et hanc esse factam adeo gaudet, ut, si eam non fecisset, adhuc, Dei amore motus, faceret, *indulgentiam omnium peccatorum suorum plenam* assequitur. (*Lib. de Prof. Mon.; c. ult.*)

Digitized by Google

S. Thomas Aqu., Rationabiliter dici potest, quod etiam per *ingressum Religionis* aliquis consequatur *remissionem omnium peccatorum.* Si enim aliquibus eleemosynis factis homo potest statim satisfacere de peccatis suis, secundum illud Danielis 4.: « Peccata tua eleemosynis redime », multo magis in satisfactione pro omnibus peccatis sufficit, quod aliquis se totaliter divinis obsequiis mancipet per Religionis ingressum : quae excedit omne genus satisfactionis, etiam publicae poenitentiae, ... sicut *holocaustum* excedit sacrificium, ut Gregorius dicit super Ezechielem. Unde legitur in vitis Patrum, quod *eandem gratiam* consequuntur Religionem intrantes, *quam* consequuntur *baptizati.* (II. II, qu. 189, art. 3, ad 3.)

S. Petrus Damianus : In dictis Patrum invenitur, *monasticae vitae propositum secundum* esse *baptismum.* (Opusc. 16, c. 8. P. L. 145, 376.)

S. Joan. Damascenus, monach. († *c.* 754) : Divinam monachatus *professionem* peccatum propulsare atque *incorruptionis, per divinum baptisma nobis concessae, sociam* et opitulatricem esse, perspectum habemus. (*In hist. Barlaam et Josaphat. c.* 12 *P. Gr.* 96, 971.)

S. Bernardus : Inter cetera poenitentiae instituta *monasterialis disciplina* meruit hanc *praerogativam, ut secundum baptisma nuncupetur;* arbitror, ob perfectam mundi abrenuntiationem ac singularem vitae spiritualis excellentiam, quâ praeeminens universis vitae humanae generibus hujuscemodi conversatio professores et amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit, imo *divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar baptismi,* et *quasi* denique *secundo baptizamur,* dum per id, quod mortificamus membra nostra, quae sunt super terram, Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis Ejus. Sed et quomodo *in baptismo* eruimur de potestate tenebrarum et in regnum transferimur claritatis aeternae, *ita et in sancti hujus secundâ quâdam regeneratione propositi de tenebris* aeque, non unius originalis, sed multorum actua-

Digitized by Google

lium delictorum, in lumen virtutum evadimus. (*L. de praecept. et dispensat. c.* 17, *n.* 54. *P. L.* 182, 889.)

Ordo S. Benedicti.

S. Mechtildis, Virgo monast. Helftensis († *c.* 1300) a Domino haec audivit: *Medium Ecclesiae est Ordo S. Benedicti*, sustinens Ecclesiam velut *columna*, cui tota domus innititur; quia ad universalem Ecclesiam et *ad omnes Ordines se quoad aliquid tenet.* Ad *Superiores*, scilicet Papam et Praelatos, tenet se exhibendo eis reverentiam et obedientiam; ad *Religiosos*, per instructionem et informationem bonae conversationis: nam omnes alii ordines hunc Ordinem in aliquo imitantur. Ad bonos et *justos* habet se per auxilium et consilium; ad *peccatores* per compassionem, correctionem et confessionis auditionem; ad *animas purgandorum* per orationis sanctae subventionem. Denique ibi inveniunt *peregrini* hospitalitatem, *pauperes* sustentationem, *infirmi* recreationem, *esurientes* et *sitientes* refectionem, *tristes* consolationem, *animae fidelium* liberationem. (*Lib. spec. grat. p. I. c.* 28.)

Jacobus Vitriac. (*Vitry, Dioec. Paris.*), Card. Tusculan. († 1240 *vel* 1244): Nulla alia Religio (aeque ac *S. Benedicti Ordo*) *tot Sanctos* habuit nec tanto tempore in sanctitate et rigore disciplinae permansit, totque ex se praelatos in universo mundo genuit, qui praeeminentis conversationis exemplo et sanctae praedicationis verbo multas animas abstulerunt diabolo et varias illustraverunt Religiones. (*Histor. occident. c.* 20.)

Nomen Benedicti et Benedictini.

S. Odo, Abb. Clun.: Gaudeant monachi, quam proprie vocetur *Benedictus*, *quem Deus benedixit* in omni benedictione spirituali et per quem tanti benedictionem haereditate possidebunt. Fateor enim, quod ejusdem *Patris* dilectoribus placet tali vocabulo censeri, quale solet maxime post divinum nomen in ore christiano versari. (*Sermo de S. Bened. P. L.* 133, 725.)

Haeften, Praep. Afflighem. († 1648): *Benedicti Patriarchae filii*, qui ab eo *benedictionis nomen* haereditarunt et Patris ita sequuntur vestigia, ut et ipsi aliquando audire mereantur: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*

Digitized by Google

a constitutione mundi! Hoc nimirum ab omnibus Benedictinis *Benedicti* nomen merito exigit. (*Prolegom. XVI. in vitam S. Benedicti.*)

Religionis praestantia.

S. Bernardus: Quae est ista, quaeso, fratres mei carissimi, tam *pretiosa margarita*, pro quâ universa dare debemus, i. e. nosmetipsos, quia totum Deo dedit, qui seipsum obtulit, ut possimus eam habere? Nonne haec *Religio sancta, pura et immaculata*, in quâ homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fiducius, purgatur citius, praemiatur copiosius? (*Hom. in Matth. c.* 13. *in app. P. L.* 184, 1131.) — *Ordo noster primus* fuit *in Ecclesiâ*, imo a quo coepit Ecclesia, quo *nullus in terrâ similior angelicis ordinibus*, nullus vicinior ei, quae in coelis est, Jerusalem, mater nostra, sive ob decorem castitatis, sive propter caritatis ardorem; cujus Apostoli institutores, cujus hi, quos Paulus tam saepe sanctos appellat, inchoatores exstiterunt. (*Apolog. ad Guilelm. c.* 10, 24. *P. L.* 182, 912.)

Religionis felicitas.

B. Alcuinus, monachis Juvaviensis Ecclesiae (*Salzburg*) scripsit c. a. 800: *O quam felix est vita monachorum!* Deo *placabilis*, Angelis *amabilis* et hominibus *honorabilis*. Qui hanc feliciter vivit inter homines, haud dubium feliciter regnabit inter Angelos. (*Epist.* 93. *P. L.* 100, 298.)

Anselmus, Episc. Havelberg. († 1154.): Surrexit in monastico ordine beatus *Benedictus* post multos Patres monachorum in Aegypto commorantium, vir Deo dignus, Spiritu S. plenus: de eremo Nursiae, ubi latuerat, abstractus et in Campania, in Monte Cassino, monachorum abbas factus est. Iste in religione ferventissimus, Regulam suis, dictante Spiritu Sancto, praescripsit, et ordinem monasticum jam tunc vacillantem renovavit et firmavit. Qui etiam, tum per se, tum per Regulam suam, post se multa monachorum monasteria in diversis regionibus instauravit. (*Dialog. lib.* 1. *c.* 10. *P. L.* 188, 1155.)

Hincmarus, Archiep. Rhemensis († 882.) Bene facient venerabiles fratres nostri monachi viri religiosi, si ita ut scriptum habetur in beati Benedicti regula, quam jurejurando se

Digitized by Google

observaturos professi sunt, obedientiam dependentes eidem Patri sanctissimo, imo S. Spiritui, qui per eum locutus est... Sic et Spiritus S. per os beati Benedicti in regulâ ab eo constitutâ... praecipit... Quod et sancta Regula eodem Spiritu S., quo et sacri canones in venerandis conciliis, per os beati Benedicti promulgata, secundo capitulo jubet... (*Collectio de una et non trina Deitate. l.* 1. *P. L.* 125. 498 *sq.*)

Digitized by Google

Sanctae Regulae haec fere sunt elementa :

I. **Vita in monasterio conventualiter transigenda.**
II. **Opus Dei in choro quotidie perficiendum.**
III. **Vita communis seu paupertas exactissime atque integre colenda.**
IV. **Monastica mortificationis disciplina.**
V. **Labor in obedientia injungendus.**
VI. **Opera caritatis sive zelus erga proximum.**
VII. **Regimen seu ratio monasterium in spiritu S. Regulae ordinandi.**

Digitized by Google

Primum Elementum.

Vita in monasterio conventualiter transigenda.

Mundi pericula — Ingressus in claustrum — Clausura — Linguae usus — Silentium — Stabilitas — Coenobitica familia — Pietas in Abbatem — Caritas fraterna — Recreatio — Conversio morum.

Declaratio.

Mundi pericula.

Res tuae, dilecte frater, ante tuam monasticam conversionem in praecipiti stabant et in lubrico. Salus tua in gravi misere periculo haerebat. Innumeris undique cinctus oppugnatusque mundi illecebris, insidiis, tentationibus, dolis, quasi caecus in formidolosa atque asperrima ruebas certamina, imo in certum prope animae naufragium. " Omne enim, quod est in " mundo, concupiscentia carnis est et concupis- " centia oculorum et superbia vitae " (1 Joan. 2, 16). Sed, inter tot ac tantas perditionis minas, ecce insignem Dei gratiam, cujus te lumen vocavit, virtus eduxit de saeculo. *Dominus misit de summo et accepit* te, *et assumpsit* te *de aquis multis* (Ps. 17, 17). *Eripuit animam* tuam *de morte et pedes* tuos *de lapsu* (Ps. 55, 13).

Ingressus in claustrum.

Ingressus es **monasterium,** gravissimum effugisti salutis discrimen. Etsi nondum in li-

Digitized by Google

tore tutus es, certe in portu navigas, in tranquillum placidumque invectus claustri *refugium*, ubi tot desunt scopuli, turbines, procellae. *Dominus regit* te et *in loco* uberrimae te *pascuae collocavit* (Ps. 22). Ipse naviculae clavum tenet, vitam tuam gubernat, *pedes* tuos *dirigit in viam* sanctitatis et *pacis:* Dilectus tuus tibi et tu Illi. Claustrum tibi castellum munitum, arx sacra, civitas et regnum Dei, amoenus inter solitudines locus, arca in diluvio, specula in campo, gratiarum thesaurus, coeleste armamentarium. Profecto, reliquisti omnia, omnia ut deprehenderes. O te plus millies fortunatum, quem sine ullo tuo merito Deus tam amanter, " *eripuit de potestate tenebrarum et transtulit* " *in regnum dilectionis suae* " (Col. 1, 13), quem tam suaviter " *abscondit in tabernaculo suo in* " *die malorum!* " (Ps. 26, 5) *Quid ultra debuit facere* tibi *et non fecit?* (Is. 5, 4) Innumerabilia Ejus in te exstant beneficia, post Creationis Redemptionisque donum amplissima atque cumulata. Quorum certo *dulcissimam recordationem* nulla tibi dies eripiet; contra solemne tibi erit, maximi ea ducere atque immortali memoriâ retinere. Nullum praetermittas gratissimi animi indicium ac pignus, et, quidquid potes, id in pii officii loco deferas, in perpetuum laudans Deum, qui *ab aeternitate dilexit* te atque in oculis tulit.

Digitized by Google

Clausura.

Quapropter diligentissime stude, quum *mundum*, cui terga vertisti, *fugere* ejusque noxium devitare usum, tum *vocationis gratiam asservare*. Sit tibi sacrosancta atque inviolata **clausura,** non solum externa, sed multo magis interna, quae est spiritualis, nempe silentium, luculenta illa nota regularis observantiae.

Linguae usus.

"*Qui custodit os suum, custodit animam suam*" (Prov. 13, 3), ac "*si quis putat se religiosum esse, non refrenans* **linguam** *suam, hujus vana est religio*" (Jac. 1, 26). Profusa *lingua* cor dissolutum prodit; agedum, compesce eam, adstringe, moderare! Sit tibi instar *campanae* divino servitio dicatae, instar *citharae*, nihil unquam, neque in auditorio monasterii neque in fraterno usu, sonans, nisi quod "*dat gratiam audientibus*" (Ephes. 4, 29), "*sicut ex Deo, coram Deo, in Christo*" (2 Cor. 2, 17). Memor sis, tam saepe eam, aureae loco patenae, eucharisticam hostiam excepisse eâque esse *consecratam*.

Silentium.

Itaque, exceptâ legitimâ loquendi facultate, studiosissime sanctum serva **silentium,** quippe quod spiritualis vitae doctores appellent firmamentum Ordinis, obrussam disciplinae, clavem conversionis, fundamentum pietatis, adjumentum atque custodiam virtutum, sigillum coelestis Sponsi animae impressum. Cujus plane necessarium est exercitium, ut vitium reprima-

Digitized by Google

tur, ut conservetur pax et caritas, ut religiosa perfectio comprehendatur. Ergo imprimis *nocturnum* observes *silentium*, ita quidem ut, si quando loqui opus fuerit, signa potius, quam verba adhibeas. Etiam *interdiu*, maxime in regularibus locis, *taciturnitati* diligenter stude, ut et peccatum effugias et junctus cum Deo maneas, animo in temetipso sancte recollecto; nisi forte approbata a S. Sede statuta per breve tempus ex ratione mutuae caritatis utilitatisve in lege dispensent.

Stabilitas.

Jurasti, care mi frater, **stabilitatem** tam loci vel Congregationis quam statûs seu religionis. Vota professus, in mystico te condidisti sepulcro; *tuâmet ipsius manu* lapidem, ad ostia advolutum (stabilitatem dico), *signasti* (Matth. 27,60). Mundus tibi, tu *mundo mortuus et vita* tua *abscondita est cum Christo in Deo* (Col. 3, 3). Itaque " *locum tuum ne dimiseris*, " etiam " *si* " *spiritus potestatem habentis super te ascen-* " *derit !* " (Eccl. 10, 4) " *Noli respicere post ter-* " *gum* " (Gen. 19, 17), neu pedem moveas nisi s. obedientiâ impulsus! *Ama claustrum, cellam*, sanctam *solitudinem !* Videsis, quam sint fluxae, caducae, infimae res mundi et quam leves, mobiles, inconstantes mundi homines. Tu ad imitationem Ejus vivas, cujus imaginem portas et qui " *manet in aeternum !* " Nulla in te appareat animi mutabilitas. Sancti propositi

Digitized by Google

tui tenax ne fluctues, vacilles, claudices, collabescas! Gravem te praesta et "*fundatum supra* "*petram*," vere *vir* Dei, firmus, stabilis et immobilis (1 Cor. 15, 58), triumphans cum Apostolo: "*Quis me separabit a caritate Christi?*" (Rom. 8, 35) Solus "*qui perseveraverit usque in finem, salvus erit*" (Matth. 10, 22). Et hoc tibi quidem expeditissimum evadit.

Coenobitica familia.

Junxisti te **Coenobiticae familiae,** pro certo habens, "*non esse bonum, esse hominem solum*" (Gen. 2, 18). In *fortissimum* adscitus es *Coenobitarum genus*. Abbatem *parentis*, monachos *fratrum* loco habes, et sancto quidem, supernaturali, coelesti ordine. *Monachorum familia* mirifice illam exprimit atque clarissimo in lumine collocat, cujus paterfamilias auctorque Ipse est tam in terris quam in coelis amantissimus Deus. Verissimam porro effingit similitudinem augustae familiae, quam Salvator cum discipulis suis condidit.

Pietas in Abbatem.

Proinde jure optimo *Abbas* Christi gerere vices creditur. Quem igitur, ut tuum in Christo pium patrem, nutricium, magistrum ac ducem, omni prosequi par est honore, observantiâ, studio. Vix quicquam tibi eo sit carius post Christum vel in majori pretio! Ut officiosus patri filius, sic tu illi sincerum, humilem gratumque praestes amorem! Pro te tuâque vice excubat animo nec quietis ullam partem

Digitized by Google

admittit, die noctuque providens tuae saluti, paci ac prosperitati.

Caritas fraterna.

Secundum Abbatem cunctos *fratres* in sinu et oculis gesta. Omnia cum eis tibi sint arctissime consociata atque communia, gaudium, luctus, spes tota ac felicitas; unus omnibus sit spiritus, " *cor unum et una anima.* " Fratrum *concordia* ac salus tuae sint deliciae, tua precatio, tua vita. Animi in medullis tibi haereant, donec in aeternum illis conjunctus sis beatifico Divinitatis amplexu. Castum autem, qui in tuo residet animo, amorem fraternum non verbis modo referas, sed factis illustres atque confirmes, ita ut nova in diem incrementa capiat. Quem sensum propensius contestare tempore **recreationis,** quae, ut releventur suaviterque sibi jungantur animi, inde ab incunabulis monachatûs more recepta est. Hoc enim orationis laborisque intervallum peraeque Deo dicatum scias, ut studio humilitatis caritatisque certes cum fratribus mutuusque ille ex animis amor effluat, qui, ad omnem modestiam compositus, sui despiciens est, benignus, mitis, patiens, simplex, hilaris, officiosus atque " *omnibus omnia factus,* " et qui, tanquam sacrae signum decusque familiae, Ejus plausum et gratiam meretur, cujus " *deliciae sunt, esse cum filiis hominum.* " *Ecce quam bonum et jucundum,* utile ac dulce, *habitare fratres in*

Recreatio.

Digitized by Google

unum! (Ps. 132, 1) *In hoc cognoscent omnes, quia,* ut Christi, sic pii ac vere benedicti Patris ac Patriarchae *discipuli estis* (Joan. 13, 35), suavissimum revera spectaculum Angelis et hominibus.

Conversio morum.

Restat, ut, quorsum spectet claustralis vita, breviter dicamus. Ratio ejus ac finis **conversio** est **morum**. Est illud " *unum necessarium* " divinitus laudatum (Luc. 10, 42) impletumque eloquium : " *Quaerite primum Regnum Dei et justitiam Ejus* " (Matth. 6, 33). Etenim, quicunque vere monachus est, " *vere Deum quaerit,* " ut ad Eum redeat, a quo discesserit. Avertit se a malo et *convertit se* et omnem cogitatum, omne desiderium *ad Dominum Deum* suum, totis viribus unice Ejus supremam auctoritatem, imperium, gloriam, praecipue in semetipso, in dies magis augens atque confirmans. Bono repletus zelo *sanctitatem sine* intermissione sectatur. " *Ibit de virtute in virtutem,* semper *ascensiones in corde suo disponens* (Ps. 83, 6 et 8), ut divinam vitam eamque abundantius habeat. *Quis* igitur tibi *dabit pennas ut columbae* et volabis, quis pedes alatos, ut tanquam *gigas viam curras* perfectionis? Eia, esto constans ac *fidelis usque ad mortem* et dabit tibi coelestis Sponsus *coronam vitae!* (Apoc. 2, 10).

Digitized by Google

Testimonia

I. ex S. Regula, II. ex decretis et documentis S. Ecclesiae, III. ex Sanctorum et Doctorum scriptis deprompta.

S. Regula.

Fuga mundi.

INQUIRE *pacem* et sequere eam. (*Prolog.*)

Officina, ubi omnia instrumenta artis spiritualis operemur, *claustra* sunt monasterii. (*Cap.* 4.)

Vir vitæ venerabilis... *Benedictus... despexit quasi aridum mundum* cum flore... Quum multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum, quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem, ne... ipse quoque in immane praecipitium totus iret... *Relicta* igitur *domo* rebusque patris, *soli Deo* placere desiderans, *sanctae conversationis habitum quaesivit.* (Vita, Praef.)

Clausura.

Non sit necessitas monachis *vagari foras*, quia omnino *non expedit* animabus eorum. (*Cap.* 66.)

Non praesumat quisquam aliis *referre, quaecunque* (scandala) *foris monasterium* viderit aut audierit, quia plurima destructio est. (*Cap.* 67.)

Vindictae regulari subjaceat, *qui praesumpserit claustra monasterii egredi* vel quocumque ire sine Abbatis jussione. (*Cap.* 67.)

Genus est monachorum, quod nominatur *gyrovagum*, qui *semper vagi* et *nunquam stabiles.* (Cap. 1.)

Frater ad fratrem non jungatur horis incompetentibus. (*Cap.* 48.)

Hospitibus, cui non praecipitur, frater nullatenus societur neque colloquatur. (*Cap.* 53.)

Nullatenus liceat monacho, nec a parentibus ejus nec a quoquam hominum... *literas... accipere* aut *dare*, sine praecepto Abbatis sui. (*Cap.* 54.)

Digitized by Google

Ad *portam monasterii* ponatur senex sapiens... (quem) venientes semper praesentem inveniant. (*Cap.* 66.)

Vir Dei ad *locum dilectae solitudinis* rediit et *solus in superni Spectatoris oculis habitavit secum;...* quia, in sua semper custodia circumspectus, ante oculos Conditoris se semper aspiciens, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non divulgavit. (*Vita, c.* 3.)

Quadam die, dum quidam ejus puerulus monachus, parentes suos ultra quam debebat diligens atque ad eorum tabernaculum tendens, *sine benedictione de monasterio exiisset*, eodem die, mox, ut ad eos pervenit, defunctus est... (*Vita, c.* 24.)

Linguae usus.

Faciamus, quod ait Propheta : « *Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* » (Cap. 6.)

De bonis et *sanctis ad aedificationem eloquiis* perfectis discipulis, propter taciturnitatis gravitatem, rara *loquendi concedatur licentia*, quia scriptum est : *In multiloquio non effugies peccatum...* Nam loqui et docere magistrum condecet, tacere et audire discipulo convenit... ne plus videatur loqui quam expedit... Scurrilitates vel *verba otiosa... aeternâ clausurâ damnamus.* (Cap. 6.)

Cum *loquitur monachus, leniter* et sine risu, *humiliter* et *cum gravitate* vel *pauca verba et rationabilia* loquatur ; et non sit clamosus in voce, sicut scriptum est : *Sapiens verbis innotescit paucis.* (Cap. 7.)

Prohibe linguam tuam a malo et labia tua ne loquantur dolum. (*Prolog.*)

Multum loqui non amare. (*Cap.* 4.)

SS. Pater *Benedictus* cum presbytero, qui in Paschali festivitate eum in specu refecit, *dulcia vitae colloquia habuit.* (Vita, c. 1.)

Ipse et soror ejus *Scholastica* totum diem (et noctem) *in Dei laudibus sacrisque colloquiis* ducentes... *de coelestis vitae gaudiis loquebantur...* atque *per sacra spiritalis vitae colloquia* sese vicaria relatione satiabant. (*Vita, c.* 33.)

Servandus Diaconus et Abbas, et vir Dei, quia idem vir

Digitized by Google

doctrinâ gratiæ coelestis influebat, *dulcia sibi invicem vitae verba transfundebant* et *suavem cibum coelestis patriae*, quia adhuc perfecte gaudendo non poterant, saltem *suspirando gustabant.* (Vita, c. 35.)

Silentium.

Linguam ad loquendum prohibeat monachus et *taciturnitatem habens* usque ad interrogationem non loquatur. (*Cap.* 7, *gr.* 9.)

Omni tempore *silentio debent studere* monachi, *maxime* tamen *nocturnis horis.* Exeuntes a Completorio nulla sit licentia denuo cuiquam loqui aliquid, excepto si necessitas hospitum supervenerit aut forte Abbas alicui aliquid jusserit. Quod tamen et ipsum cum summa gravitate et moderatione honestissime fiat. (*Cap.* 42.)

Summumque fiat *silentium ad mensam*, ut nullius mussitatio vel vox nisi solius legentis ibi audiatur... *ne detur occasio maligno.* (Cap. 38.)

Stabilitas.

Suscipiendus, in oratorio, coram omnibus *promittat de stabilitate sua* coram Deo et sanctis Ejus, ut, si aliquando aliter fecerit, ab Eo se damnandum sciat quem irridet... Sciat, quod ei *ex illa die non liceat egredi de monasterio* nec collum excutere de sub jugo Regulae... Ex illa die *nec proprii corporis potestatem* se habiturum sciat. (*Cap.* 58.)

Instrumenta artis spiritualis a nobis *die noctuque incessabiliter adimpleantur*... Officina vero, ubi haec omnia diligenter operemur, *claustra* sunt monasterii et *stabilitas in Congregatione.* (Cap. 4.)

Dominus in Evangelio ait: Qui audit verba mea haec et facit ea, similabo eum viro *sapienti*, qui *aedificavit domum suam supra petram*... A Christi *nunquam* magisterio *discedentes*, in Ejus doctrinâ *usque ad mortem in monasterio perseverantes*, passionibus Christi per patientiam participemus, ut Regni Ejus mereamur esse consortes. (*Prolog.*)

Quidam ejus monachus *mobilitati* mentem dederat et *permanere in monasterio nolebat.* Quumque eum *vir Dei* assidue corriperet et frequenter admoneret, ipse vero nullo modo consentiret in congregatione persistere, atque importunis

Digitized by Google

precibus, ut relaxaretur, immineret ; quâdam die idem *venerabilis Pater*, nimietatis ejus taedio affectus, iratus jussit, ut discederet. Qui, mox ut monasterium exiit, contra se assistere aperto ore *draconem in itinere invenit*... Qui statim promisit, nunquam se esse jam a monasterio recessurum ; atque *ex hora eâdem in sua promissione permansit :* quippe qui sancti viri orationibus contra se assistere draconem viderat, quem prius non videndo sequebatur. (*Vita, c.* 25.)

Vir vitae venerabilis *Benedictus* per discipulum suum Martino in specu incluso mandare curavit: «Si servus Dei es, non *teneat te* catena ferri, sed *catena Christi.* » (S. Greg. M. Dialog. l. 3. c. 16.)

Coenobitarum familia.

Monachorum primum genus est *Coenobitarum*, hoc est *monasteriale, militans sub Abbate*... (Ceteris) omissis, *Coenobitarum fortissimum genus* disponamus. (*Cap.* i.)

Pietas in Abbatem.

Abbas Christi agere vices in monasterio creditur, quando Ipsius vocatur praenomine, dicente Apostolo: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater* (Rom. 8, 15)...Difficilem et *arduam rem suscepit*, regere animas et multorum servire moribus... Aequalis sit omnibus ab eo caritas. (*Cap.* 2.)

Abbas, quia *vices Christi agere* videtur, *Dominus* et Abbas *vocetur*, non suâ assumptione, sed honore et amore Christi... Juniores *Priores suos honorent ;* Priores vero *Juniores diligant*... Junior a Priore *benedictionem petat.* (Cap. 63.)

(Monachi) *in coenobio* degentes *Abbatem sibi praeesse desiderent.* (Cap. 5.)

Agant *cum reverentiâ*, quae ab Abbate suo eis injuncta fuerint. (*Cap.* 65.)

Abbatem suum sincerâ et *humili caritate diligant ;* et Christo omnino nihil praeponant. (*Cap.* 72.)

Caritas fraterna.

Est *zelus bonus*, qui separat a vitiis et ducit ad Deum et ad vitam aeternam. Hunc *ferventissimo amore* exerceant monachi, i. e. ut *honore se invicem praeveniant*, infirmitates suas sive corporum sive morum *patientissime tolerent*, obe-

Digitized by Google

dientiam sibi *certatim* impendant. Nullus, quod sibi utile judicat, sequatur, sed quod magis alii. *Caritatem fraternitatis* casto impendant amore, Deum timeant... (*Cap.* 72.)

Non unus plus *ametur*, quam alius. (*Cap.* 2.)

Nullus in monasterio *sequatur cordis proprii voluntatem.* (Cap. 3.)

Nihil agat monachus, nisi quod *communis* monasterii *Regula* vel Majorum cohortantur exempla. (*Cap.* 7, *gr.* 8.)

Caritatem non derelinquere... Non esse detractorem... Contentionem non amare... zelum et invidiam non habere. (*Cap.* 4.)

Sibi sub caritate invicem serviant. (*Cap.* 35.)

Consolentur fratrem fluctuantem..., ne abundantiori tristitiâ absorbeatur, sed, sicut ait Apostolus, *confirmetur* in eo *caritas* (2 Cor. 2. 8). (Cap. 27.)

Nemo perturbetur neque contristetur in domo Dei. (*Cap.* 31.)

Oratio Dominica, omnibus audientibus dicatur a Priore propter *scandalorum spinas*... ut conventi per ipsius Orationis sponsionem, quâ dicunt: « *Dimitte nobis* debita nostra, *sicut et nos dimittimus* debitoribus nostris, » *purgent se* ab hujusmodi vitio. (*Cap.* 13.)

Monachus *omnibus se inferiorem et viliorem*... intimo cordis *credat* affectu, humilians se. (*Cap.* 7, *gr.* 7.)

Et ita *omnia membra* erunt *in pace.* (Cap. 34.)

Benedictum Patrem quidam nobilis, Theoprobus nomine, amarissime flentem reperit ob futuram monasterii destructionem. Vix, inquit, obtinere potui, ut mihi ex hoc loco animae concederentur. (*Vita, c.* 17.)

Conversio morum.

Suscipiendus promittat de *conversione morum* suorum. (Cap. 58.)

Exsurgamus, excitante nos Scripturâ ac dicente: « Hora est jam nos de somno surgere... *Hodie* si vocem Ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra !... » Et quid dicit? *Currite, dum lumen vitae habetis !*... Succinctis ergo fide vel *observantiâ bonorum actuum* lumbis nostris, per ducatum

Digitized by Google

Evangelii, *pergamus* itinera Ejus, ut mereamur Eum, qui nos vocavit, in Regno suo videre... Nam pius Dominus dicit: « Nolo mortem peccatoris, sed ut *convertatur* et vivat. »... Dum adhuc vacat et in hoc corpore sumus et haec omnia per hanc lucis viam vacat implere, *currendum et agendum est* modo, *quod in perpetuum* nobis *expediat*... Constituenda est a nobis Dominici *schola* servitii... Via salutis non est nisi *angusto initio* incipienda ; *processu vero conversationis* et *fidei*, dilatato corde, inenarrabili *dilectionis dulcedine curritur via* mandatorum Dei. (*Prolog.*)

Primum instrumentum bonorum operum est, *imprimis* Dominum Deum diligere ex toto corde, totâ animâ, totâ virtute. Deinde proximum tanquam seipsum... *A saeculi actibus se facere alienum*... Actus vitae suae *omni horâ custodire*... (Adde reliqua instrumenta in Cap. 4 enumerata; hisce enim ad *sanctam conversationem* pervenitur).

Custodiat se monachus *omni horâ* a peccatis et vitiis, i. e. cogitationum, linguae, oculorum, manuum, pedum vel voluntatis propriae. (*Cap. 7. gr.* 1.)

Magis ac magis in Domino *proficiat* (monachus sacerdos). (*Cap.* 62.)

S. Ecclesia.

Fuga mundi.

Concil. Nicaen. (*a.* 325) : Placuit omnibus residentibus in s. Synodo Nicaenâ, ut *Monachorum conversatio ab omnibus discrepet. Monachus* graece, latine dicitur *singularis.* (C. XVI, qu. 1. c. 1, ex apocr.)

Alexander Pp. II. (✠ 1073) : Juxta Chalcedonensis tenorem optimi Concilii (*a.* 451. *can.* 4.) *monachis* ad normam S. Benedicti *intra claustrum morari* praecipimus, vicos, castella, civitates peragrare prohibemus. (*C. XVI. qu.* 1. *c.*)

Congreg. S. Mauri. (*Fund.* 1618 ; *confirm. a Gregorio XV. a.* 1621) : Monachi sic *a saeculi actibus alieni* esse debent non solum effectu, sed etiam affectu, ut saeculares agendi et loquendi modos, qui vanitatem sapiunt et simplicitati reli-

Digitized by Google

giosae adversantur, omnino vitare studeant. (*Constit. Declar. in c. 4. S. Reg.*)

Solitudo.

Eugen. III., († 1153) ad Capitul. Cisterciense (*a.* 1150) : Respicite, quaeso, ad *veteres Patres*, qui nostrum sacrum Ordinem statuerunt; et considerate, qualiter, *relicto mundo* et *contemptis omnibus*, mortuos suos sepelire dimissis, *ad solitudinem volaverunt*, unde, aliis circa frequens ministerium satagentibus, ipsi *ad pedes* JESU cum Maria sederunt, ut tanto uberius coeleste manna perciperent, quanto longius ab Aegypto discessissent. Ipsi quidem *egressi sunt de terra et de cognatione sua*, obliti sunt populum suum et domum patris sui, et, quoniam *Rex speciem eorum concupivit*, crescere fecit eos in gentem magnam, et usque ad extremum terrae propagines eorum extendit, ita, quod splendor claritatis eorum universum corpus *Ecclesiae* illustravit, et *Sareptana mulier ad eorum vocem innumera vasa* de modico oleo, quod habuerat in lecytho, *replevit*. Sane illi primitias Spiritus acceperunt, et oleum suavitatis eorum ad nos usque defluxit. Unde cogitandum vobis est attentius et agendum, *ut non degeneretis* de eorum virtutibus, sed quales fuistis in germine, sitis etiam in virgulto, et qui ex eis vitae semina suscepistis, *idem cum eis germen afferatis et fructum*. (*Ep.* 415, *P. L.* 182, 477.)

Clemens Pp. XIV., († 1774) : Discat frater *solitudinem ardentius amare*, « in quâ, ut divus *Hieronymus* loquitur, Deus cum suis familiariter loquitur et conversatur, » quamque ipse, scribens ad amicum suum, in terris paradisum appellabat : « *solitudo mihi paradisus est.* » Quam nisi continuo religiosus sectetur et diligat, habitu quidem monachus aut coenobita habebitur, spiritu autem non erit. (*Const.* « *In vinea Domini* » *a.* 1772, n. 11.)

Clausura.

Eugen. II., († 826) : Sit monachus *claustro* suo contentus, quia *sicut piscis sine aqua* caret vita, *ita sine monasterio monachus*. Sedeat itaque solitarius et taceat (*Thren.* 3, 28), quia mundo mortuus est, Deo autem vivit. (*C. XVI., qu.* 1. *c.* 8.)

Concilium Lateran. III., (1179) : *Monachi non singuli*

Digitized by Google

per villas et oppida, per quascunque parochiales *ponantur* ecclesias, sed in majori Conventu aut cum aliquibus fratribus maneant; *nec soli inter saeculares homines* spiritualium hostium conflictum exspectent, Salomone dicente : « *Vae soli, quia, cum ceciderit, non est, qui sublevet eum.* » (*c.* 10.)

Honorius III., († 1227), Abbates seu Priores *monachos, qui habitant solitarii* contra statutum Generalis Concilii, *vel ad claustrum* revocent, facientes in ipsis ecclesiis deserviri per clericos saeculares, *vel alios monachos eisdem associent*, cum quibus vitam possint ducere regularem. (*Cap. II de stat. monach. X.* 3, 35 *et c. IV. de capellis monach. X.* 3, 37.)

Concil. Provinc. Viennens. (1858) : Insipiens erat sapientia eorum, qui, sacrae et profanae reipublicae utilitatem praetexentes, *regulares* parochiali animarum curae, juventutis institutioni et aegrotorum levamini *ita* dicatos vellent, *ut* omnibus, quibus vitae regularis spiritus nutritur et confirmatur, internecivum bellum indicerent. Alimentis subtractis, flamma decrescit et exstinguitur. (*Tit.* 4, *c.* 13.)

Clemens VIII., (1605) : *Nullus*, etiam Superior, *cellas*, sive in claustro sive alibi, *separatas* a communi dormitorio *habeat.* — Conventus *clausura* perpetuo ac diligenter servetur, ac propterea a Superiore *Janitor constituatur*, qui diligentia ac morum integritate maxime commendetur. Is januae custodiendae semper assistat eamque *nemini fratrum aperiat, nisi socium et exeundi licentiam obtinuerit.* Nullus e Conventu egredi audeat, nisi ex causâ et cum socio *licentiâque* singulis vicibus impetratâ et *benedictione acceptâ* a Superiore. (*Bulla "Nullus omnino" a.* 1601. *n.* 11, 12 *et* 16.)

S. Pius V., († 1572) : Omnia *aedificia Conventus* quoquoversus *claudantur*, portae non necessariae obstruantur... *Mulieribus omnibus ingressus* claustri sit penitus interdictus etc. (*Bulla « Ex innumeris curis. » a.* 1570, n. 9.)

Concil. Francofurt. (*a.* 794) : *Abbas cum suis dormiat monachis* secundum Regulam S. Benedicti. (*Can.* 13.)

Congreg. Cantuar. (*fund. c.* 943, *ab Odon. Archiep. Cantuar.*) : Hortamur monachos et omnes, qui votum Deo vove-

Digitized by Google

runt, ut in omni humilitate et obedientiâ die noctuque hoc adimplere studeant, *permanentes in timore Dei in ecclesiis, ubi se voto constrinxerunt.* Non sint vagabundi, neque gyrovagi, qui nomen monachi desiderant, officium autem ejus contemnunt: sed secundum exempla Apostolorum, per habitum humilitatis, laboribus manuum et lectione sacrâ et continuis orationibus se exercentes, parati, praecinctis lumbis ardentibusque lucernis, patrem familias exspectent, ut veniens eos faciat in aeterna requie sine fine permanere. (*Constit. c.* 6. *P. L.* 133, 948.)

Congreg. Camaldul. (*fund.* 1018 *a S. Romualdo; confirm. ab Alex. II, a.* 1072): Effugient nostri Coenobitae omnem similitudinem cum abominabili genere *Sarabaitarum*, quod pluribus in locis et Augustinus et Hieronymus mirum in modum damnare et vituperare conantur... Sicuti enim nulla alia res magis servat et auget *monasticam dignitatem*, quam videre *monachos intra septa monasterii perpetuo commorari*, ita nulla alia magis eam videtur minuere atque destruere, quam inutilis et omnino *superflua vagatio* extra ipsum... Quanto minus monachi videbuntur per civitatem *vagari*, tanto commendabiliores, in majori pretio et aestimatione ab omnibus habebuntur et verae claustralis observantiae amatores censebuntur eruntque. (*Constit. c.* 1.)

Ordo Carthus. (*fund.* 1086 *a S. Brunone; approb. ab Alex. II., a.* 1176): Sicut *aquas piscibus* et *caulas ovibus*, ita monachus suae saluti et vitae *cellam* deputet necessariam, in qua, quanto diutius moratus fuerit, tanto libentius habitabit. Nam si *cellam* frequenter et levibus de causis exire consueverit, cito habebit eam exosam. (*Consuetud. Carthus. c.* 31 *de cella n.* 1. *P.L.* 153, 703.)

Schema Concil. Vatican. (1869.): Claustralis ob vitae custodiam, quae regulari observantiae est summopere necessaria, canonibus, sanctionibus et summorum Pontificum constitutionibus non modo *clausurae lex* religiosis domibus Regularium utriusque sexus indicta est, sed alia etiam sapientissime sunt constituta, quae ad ipsius clausurae bonum

Digitized by Google

et conservationem quamplurimum conferunt. Cautum namque est, *ne Religiosi* ex nimiâ ad claustra hominum frequentiâ, *a solitudinis quiete* cum magnâ temporis jacturâ ac periculo transgrediendi regulam *exturbentur;* nec non eis vetitum, ne ex suis Conventibus *absque superioris venia* et *sine socio egrediantur*... Quamobrem, quum ea, quae ad electam dominici gregis partem custodiendam salubriter constituta sunt, ab omnibus, ut par est, ubique servari et omnes abusiones e medio auferri oporteat, sacro approbante Concilio, decernimus: In quibuscumque regularium virorum domibus, conventibus et monasteriis *clausura servetur*, juxta sacros canones et Apostolicas constitutiones atque sanctiones; ita ut eorumdem septa et sacra claustra *feminae* quaelibet cujuscumque generis aut conditionis ingredi, aut in ea, etiam si infantilis aetatis sint, recipi nullo modo possint... Districte mandamus, ut clausura, ubi exstat, diligenter servetur, et ubi obliterata aut neglecta inveniatur, omnino instauretur. *Nullus e conventu egredi audeat nisi justâ ex causâ* licentiâque singulis vicibus impetratâ, ac benedictione a superiore acceptâ; nec non cum socio, excepto tamen, quoad obligationem cum socio egrediendi, casu necessitatis Superioris localis judicio comprobandae... Provideant etiam Superiores, ne Religiosi in *saecularium consuetudinem* se insinuent; et tam in claustris, quam extra, ita conversatione, gestu, habitu et incessu se gerant, ut qui ex adverso sunt vereantur nihil habentes malum dicere de eis, et christifideles ab ipsis ubique aedificationem accipiant. Quapropter quominus *saeculares* absque justâ causâ religiosas domos frequentent, impediant, ne regularis familiae tranquillitas et silentium turbetur, et *spiritus observantiae*, quo Ordinum regularium alumni animati esse debent, tepescat paulatimque exstinguatur. Quibus super omnibus Superiorum, ac ipsorum Religiosorum conscientia onerata remaneat.(*De Clausura, c.* 1 *et* 2.)

Silentium.

Innoc. III. (✠ 1216.) Abbati et convent. Sublac. a. 1213 In Oratorio, Refectorio et Dormitorio continuum semper

Digitized by Google

silentium observetur; in claustro quoque certis horis et locis secundum antiquam consuetudinem monasterii laudabiliter observatam. (*C. VI, de stat. monach. X.* 3, 35.)

Congreg. Cluniac. (*Cluny, fund.* 910) : Summe necessaria in omni Religione *silentii* utilitas, sine quo, modis congruis observato, nec dici Religio nec esse potest. Cujus laus in Scripturis sanctis tanta est, ut inter innumera ejus praeconia, de illo etiam magnus Propheta Isaias dicat : « *Cultus justitiae silentium.* » (Statut. Petri Ven. n. 19. P. L. 189, 1031.)

Congreg. Grandimontens. (*Grammont; fund.* 1076 *a S. Stephano de Tigerno* († 1124, *canoniz.* 1189); *approb. a Clem. III. a.* 1188) : *Silentium* secundum loca et tempora constituta custodiatur. In his autem locis, hoc est, *in Ecclesia*, in *Claustro*, in *Refectorio*, in *Dormitorio;* nec non in his temporibus, id est, a Completorio usque mane finito Capitulo, continuum silentium Fratres observent, *nisi magna necessitas*, quae legem non habet, vel *aperta utilitas* quandoque coëgerit. Isaias enim testatur : « *Cultus justitiae silentium et pax...* » Aliud silentii genus, quod est *tacere inutilia*, et *loqui necessaria*, a singulis Fratribus semper et ubique summa discretione est observandum. (*Regula S. Stephani c.* 47. *P. L.* 204, 1154.)

Congreg. Argentinens. (*Strassburg, fund. a.* 1624) : Quia *virtus silentii* est pacis conservatrix et sacrae custos religionis et regulae, statuimus, ut in locis conventualibus et praesertim in *refectorio*, *dormitorio*, *oratorio* et in *peristiliis* nec non in scalis ab omnibus continuum servetur silentium, excepta necessitate aut utilitate, cum licentiâ tamen superioris. (*Declar. in c. VI de taciturn.* § 1.)

Cella.

Congreg. Camaldul. : In *cellis* orationibus ac lectionibus incumbentes maneant monachi. Sic enim cella continua dulcescit. Sicut quieto et *stabilitatis* studioso monacho *cella et silentium* tutissimum ac suavissimum ab omnibus saeculi aestibus et tentationum incendiis refugium praebet et tanquam portionem exhibet deliciarum paradisi, ita inquieto et instabili *cella* instar carceris et viventis sepulturae et tormentariae officinae efficitur et afflictionum maximam exhibet

Digitized by Google

occasionem. — *Cum* vero *in publicum prodire necessitas* erit, *meminerint modestiae* ac *compositionis* oculorum. Recte namque instituti monachi humi defixos oculos inter eundum habere solent, manus inter loquendum non nimis gesticulantes, pedes sedentes non divaricatos, nihil denique non aptum, non sanctum, non divinum eundo, loquendo, ac sedendo et quiescendo efficere solent... Studeant esse in sermone sobrii, ponant ostium circumstantiae labiis suis, summoque opere caveant ab omni verbo otioso. (*Constit. c.* 4, 6 et 48.)

Congreg. Bursfeld. (*fund. c.* 1433) : Quoniam *S. Benedictus* Pater noster, magnus *silentii*, quod ad restaurandam conservandamque disciplinam certissimum est remedium, amator et zelator, in Regulâ suâ non ita conclusit ora religiosorum *silentii censurâ*, ut nunquam, sed ut rarius, « etiam de bonis et utilibus, » debeant ad loquendum reserari, a solo Abbate et Priore, seu etiam Subpriore in Prioris absentiâ loquendi licentia in monasterio aut extra concedatur, nisi forsan alicui alteri fuerit concessa potestas.... Cavendum est autem, ne forsan loquendi terminus excedatur vel modus. (*Statut. de silent.*)

Clemens XIV. : Loquaces fratres Superior moneat, corrigat, et ubi opus fuerit, coram omnibus puniat, ut discant ipsi, discant ceteri *loquacitatem odisse* et *amare silentium*, quod integerrimus est solitudinis, pacis et caritatis custos, quo sublato... coenobium tumultus est, non solitudo. (*Const.* « *In vinea Domini* » *a.* 1772, *n.* 9.)

Congreg. S. Josephi Suevica. (*fund.* 1668. *approb.* 1725): *Taciturnitas* custos est monasticae disciplinae et mater virtutum. Raram proinde S. Pater noster nobis concessit loquendi licentiam, non ignarus, quanta bona secum adferret taciturnitas, quanta mala inferret loquacitas, quae paucissimis verbis complexus est S. Apost. Jacobus c. 3. suae epist.: « *Lingua*, inquit, *inquietum malum est, plena veneno mortifero...*, *ignis est...*, *universitas iniquitatis est.* (Constit. et Declarat. de taciturnit.)

Digitized by Google

Stabilitas.

Urbanus II. († 1099.) Vos, filii, nolite negligere gratiam, quae in vobis est, quae data est vobis per unitatem sanctae conversationis et religionis. Haec meditamini, in his estote, ut profectus vester manifestus sit omnibus. Participes enim Christi effecti estis, si tamen initium substantiae ejus *usque ad finem* firmum retineatis. Mementote quod Dominus ait : « *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* » (Constit. « Cum universis » a. 1190. n. 9.)

Caritas fraterna.

Missale Rom. : *Ubi caritas et amor, Deus ibi est.* — *Congregavit nos in unum* Christi amor. — Exultemus et in Ipso jucundemur. — Timeamus et amemus Deum vivum. — Et *ex corde diligamus* nos *sincero.* — Simul ergo quum in unum congregamur : — Ne nos mente dividamur, caveamus. — Et in medio nostri sit Christus Deus ! (*In coena Domini.*)

Congreg. S. Josephi Suevica : *Caritas fraterna ornamentum* est sacrorum Ordinum, *stabilimentum* regularis disciplinae, *gloria* monasteriorum, *vinculum* perfectionis, bonorum operum *nutrix* et *nexus* sanctarum virtutum. Magna igitur sollicitudine invigilent superiores et curent subditi, ut *pax et caritas* in monasteriis suis vigeat et conservetur, sine quâ regularis disciplinae observantia haud secus consistere potest, quam possit domus sublatâ calce et lapidum compage. — Si nomen Congregationis tueri volumus, danda nobis est opera, ut *caritas* et *amor* inter nos quam maxime foveatur, cujus causa est similitudo, quae, quo major est in rebus omnibus, eo firmius animos hominum conjungit. *Deus* enim non tantum « *est in loco sancto suo* » sed etiam « *inhabitare facit unius moris in domo* » (*Ps.* 67). Quare non modo SS. Patres nostros imitabimur, sed coelestis gloriae normam praeferemus, in quâ, licet mansiones multae sint, tamen omnes *unum volunt, unum nolunt.* De nobis olim gloriabatur Regius Psaltes, cum dicit : « *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum !* » Ubi non tam unitatem chori, quam vitae et morum insinuasse visus est, maxime

Digitized by Google

cum adjecerit : « *Sicut unguentum in capite, quod descendit* » *in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti* » *ejus.* » Unguentum nostrum *uniformitas* est monasticae disciplinae, per quam *bonus Christi odor* sumus. Hoc in conspectu Dei tunc maxime pretiosum fiet, si fragranti suâ pinguedine ad extremam regularis observantiae oram quodammodo descenderit et totum nostrum Aaron pretiosissimâ *variarum virtutum balsamo perfusum* imbuerit, ut impleatur domus et congregatio nostra ex odore unguenti et sit *oleum effusum nomen nostrum*, quod quâquâversum dimanans et numero et merito filios SS. P. N. Benedicti congreget, qui, currentes in odorem unguentorum Domini, sequantur *Agnum* Ejusque servum *Benedictum*, quocumque ierit. (*Constit. P. 2, praef. et c. 1., 1.*)

Recreatio.

Congreg. Bursfeld.: In *Recreatione* libere juxta capacitatem suam quisque loquatur absque formidine, nec alter alterius simplicitatem vel ignorantiam spernat vel derideat. Nemo ibi insolescat, sed loquente uno ceteri silendo auscultent, et, Priore incipiente loqui, omnes attendant, qui et pusillanimes animare et, quod minus dicere potuerint, ipse supplere cosque, qui scioli sibi videntur, ne de sua scientiâ extollantur, prudenter et sollicite reprimere debet. Nemo illic durius objurgendus vel corripiendus est. (*Statut. de colloquiis.*)

Congreg. Camald. : Cum fratres in simul erunt *recreationis* causa intus vel extra monasterium, summopere cavebunt a clamoribus et dissolutionibus; nec se invicem tangent... Non contendant verbis; nec aliud quidquam agant, quod honestati monachorum non congruat. Ut omnia ista melius serventur, in similibus recreationibus Praelatus semper inveniatur vel aliquis de Senioribus. (*Constit. c. 4 et 6.*)

Congreg. Cluniac. : *Servetur identitas* nec aliqua sit discrepantia, maxime in servitio Dei, quia quum simus *unius Congregationis et Ordinis*, debemus esse *in omnibus conformes.* (Statuta Hugonis V. c. 20. P. L. 209, 886.)

Digitized by Google

Sancti et Doctores.

S. Augustinus, Ep. Hippon. et Doct. Eccl. (✝ 430): *Mare* hoc saeculum est, non solum tempestatibus scopulisque periculosum, verum etiam bestiis cupiditatum insidiantibus abundans. (*De Cataclysmo, c.* 1. *In App. P. L.* 40, 693.) *Amas saeculum, absorbebit te;* amatores enim suos vorare novit, non portare. (*Serm.* 76 *c.* 6 *n.* 9. *P. L.* 38, 482.) — Quam *fallax* et *suspectum*, quam *instabile* et *transitorium* est, quidquid hujus mundi amor parturit! (*De spirit. et anima. In App. n.* 49. *P. L.* 40, 816.) — *Tota miseria* est in mundo, dolor ubique, ubique metus, ubique necessitas, ubique labores. (*Sup. Ps.* 138, *n.* 15. *P. L.* 37, 1793.) *O vita saeculi, quae* de propriis *tantos seduxisti*, tantos *excaecasti;* quae cum fugis *nihil es*, dum videris *umbra es*, dum exaltas fumus es. Dulcis es stultis, amara sapientibus, timenda es et fugienda. Saeculum *vanum* est; dum multa promittit, decipit; qui *ejus amicus* voluerit esse, *inimicus Dei* constituetur. Amicitia enim saeculi inimicitia Dei est. — *O munde immunde!* Homines illaqueare non desinis, quiescere non permittis, rapere omnes appetis, occidere omnes quaeris. *Vae, qui tibi credit; beatus, qui* tibi *resistit;* sed *beatior, qui* a te illaesus *recedit!* (*Serm.* 49 *et* 31 *ad fratres in Eremo. In App. P. L.* 40, 1332 *et* 1290.)

Saeculum est mare absorbens

Fugiendum

S. Joan. Chrysostomus, Archiep. Constantinop. et Doct. Eccl. (✝ 407): Crebra *pericula in saeculo* sunt; alia super alia detrimenta semper accedunt, spes tenuis, magna tam pecuniarum quam corporis servitus, sollicitudoque animi continua. (*Hom.* 67, *n.* 5, *sup. Matth. P. G.* 58, 638.)

Est omnibus plenum periculis

S. Leo Pp. I. (✝ 460): In mundo *plena* sunt *omnia periculis*, plena *laqueis*. Incitant cupiditates, insidiantur illecebrae; blandiuntur lucra; damna deterrent. (*Serm.* 43, 1. *P. G.* 54, 282.)

S. Joan. Damascenus, Mon. (✝ *c.* 754.) Saeculi vita *diaboli hamus* est, exsecrandâ voluptate tanquam illecebrâ quadam obductus, per quam eos, qui in fraudem inducun-

Et diaboli insidiis.

Digitized by Google

tur, ad imum inferni gurgitem trahit. (*Hist. Barl. et Josaph. c.* 25, *P. G.* 96, 1095.)

Hugo a S. Victore, Canonic. regul. monast. S. Vict. Paris. (✠ 1142): In saeculo *diabolus* insidiatur, *mundus* adulatur, *caro* delectatur, anima excaecatur, totus homo conturbatur. (*De anima l.* 4. *c.* 5. *In App. P. L.* 177, 174.)

S. Bernardus, Abb. Claraevall. et Doct. Eccl. (✠ 1153): *Mundus* est, ubi malitiae plurimum, sapientiae modicum, si tamen vel modicum invenitur; ubi *viscosa omnia,* omnia lubrica, operta tenebris, obsessa laqueis; ubi periclitantur animae, ubi spiritus affliguntur, ubi tantum *vanitas* et *afflictio spiritus.* (*Serm.* 5 *de Ascens. P. L.* 183, 316.)

S. Bonaventura, Card. et Doct. Eccl. (✠ 1274): Mundus duobus modis *contra electos pugnat;* verbo et gladio, verbo falsitatis et gladio adversitatis. (*Sup. Ps.* 34.)

Perfectionis impedimentum.

S. Thomas Aquin., Doct. Eccl. (✠ 1274): Saecularis vitae consuetudo consiliis observandis *impedimentum* praestat. (*Contr. retrah. ab ingr. Relig. c.* 6.)

Dionysius Carthus. (✠ 1471): Quid tam vile, tam impium, tamque horrendum et *fugiendum* quam saeculum? Quid tam injuriosum, tam ingratum, tam insensatum, imo tam furibundum ac stultum, quam *saeculum?* (*In exhortat. ad novit. art.* 1.) — Mundus *carcer* est atque *exilium electorum.* (Sup. ep. ad Ephes. c. 2.)

Electorum carcer.

S. Antonius de Padua, (✠ 1231): *Carcer* est hic mundus et *fornax Babylonis.* (Serm. in Dom. XXII, post Trin.)

Mundi fuga *est sapientis*

Diadochus, Ep. Photic. in Illyriâ. (✠ *c.* 450): Omnibus modis est *utilis a mundo secessus.* (De perf. spirit. c. 18. P. G. 65, 1173.)

Theodoretus, Ep. Cyrens. in Syriâ. (✠ 457): *Segregat se,* qui vult sanctificari. (*Sup. Ierem. l.* 3. *c.* 12. *P. G.* 81, 578.)

S. Petrus Damianus, Abb. Fontisavell., Card. et Doct. Eccl. (✠ 1072): *Fugiendus* est *mundus,* qui tenebras parturit. Petenda est remotio, ubi tanquam *in deserto verum lumen erumpit.* (Ad mon. Cluniac. l. 6. ep. 5. P. L. 144, 281.)

Digitized by Google

Liberat a vinculis et naufragiis

S. Hieronymus, Doct. Eccl. (✝ 420) : Facile *saeculi rumpit vincula amor Dei* et gehennae timor. Quid agis, frater, in saeculo, qui major es mundo? Delicatus es, frater si et hîc vis gaudere cum saeculo et postea regnare cum Christo. — *In mundo*, illo aestu maris, *Charybdis* luxuriae salutem vorat. Ibi ore virgineo, ad pudicitiae perpetranda naufragia, *Scylla* seu renitens libido blanditur. Hic barbarum litus, hic *diabolus pirata* cum sociis portat vincula capiendis. (*Ad Heliodor. ep.* 14, *n.* 3, 10, 6. *P. L.* 22, 349 *sq.*)

A discrimine salutis.

S. Gregorius Naz. Ep. et Doct. Eccl. (✝ 380) : Eripe animam e mundo, *fuge Sodomam;* fuge incendium; perge; ne retrospicias, ne forte in salis statuam obdureris. In montibus salvaberis! (*Orat.* 40 *in s. Baptisma, n.* 19, *P. G.* 36, 383.

Trithemius, Abb. Spanheim. (✝ 1519) : *Fugiendus mundus, quoniam male suos amatores remunerat,* quos in aeternum damnat. (*De vanit. et mis. hum. vit. c.* 2.)

Anathema saeculo.

Petrus Blesensis, (de *Blois* in Gallià), Cancell. et Archidiac. Bath. in Angliâ (✝ 1200) : Nemo dicit *anathema saeculo,* nisi in Spiritu Dei. (*Ad Alex. de s. Albano, ep.* 137. *P. L.* 207, 407.) — *Mundus in maligno positus est,* plenus periculis, plenus laqueis, plenus scandalis, plenus colloquiis pravis, exemplis malis, proditoriis verbis et iniquis consiliis. (*Ad Radingens. Abb. ep.* 102. *P. L.* 207, 321.)

Mundus ipsi mortuos ejicit.

Hugo a S. Charo, Card. (✝ 1260) : Nullus est, si perfecte inspiceret mundum, qui non fugeret ab eo. *Mare mortuos expellit a se, sic et mundus.* Et sicut mortuus a mari expulsus nihil sentit, ita, qui vere *mortuus* est *mundo,* non sentit contumelias ejus. (*Sup. Genes. c.* 31. *v.* 7 *et* 18.)—*Mundus* nihil aliud est, quam tumultus, vel *sarcophagus* plenus cadaveribus mortuorum. (*Sup. Is. c.* 25. *v.* 2.)

S. Laurentius Justinianus, Protopatr. Venet. (✝ 1455) : Totus cum sit turbinibus mundus plenus, ille vere censendus est *felix, qui,* Dei gratiâ praeventus, « *aridum mundum spernit cum flore.* » (De vit. solitar. c. 6.)

Nos Deus segregavit et assumpsit.

S. Bernardus : Nos, quos *Deus segregavit sibi* et *assumpsit* ad servitium Sibi soli, si juxta Apostolum *non*

Digitized by Google

accipimus spiritum hujus mundi, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis, omnino plurima inveniemus, unde continuas Ei gratias agere debeamus. (*Serm.* 2, *sup. Domin. VI, p, Pent. n.* 2. *P. L.* 182, 340.)

Fugiens ne respicias retro.

S. Anselmus, Archiep. Cantuar. et Doct. Eccl. († 1109) : Cum exieris de saeculo et civitate tuâ, *esto Loth!* Ne respicias *retro*, sed oculos *ante* teneas, ut discas viam ad veniendum ; non vero *retro*, ut obliviscaris viam ad redeundum ,ita, ut cum Apostolo (*Phil.* 3.) « *Obliviscaris, quae retro sunt, et extendas te ad ea, quae ante sunt.* » (L. 2, ep. 25. P. L. 158, 1175.)

Solitudinis laus.

S. Bonaventura : *Fuge* hominem et saeculi rumores, quia non potes satis esse Deo et hominibus. (*In Alphab. Religiosor. lect.* 5.)— *Solitudo* via est primaria ad cordis munditiam, tutela ad custodiam. Solitudinem veluti *matrem orationis et munditiae* quisque amplectatur. (*De mod. confit. c.* 16.)

Tranquillus portus.

S. Joan. Chrysostomus: *Tranquillitatis mater Eremus* est, quietus *portus*, omnis turbationis expultrix. (*Hom.* 50 *sup. Matth.* 1. *P. G.* 58, 503.) — Reliquis procellâ et fluctibus jactatis, *Religiosi* soli *in tranquillo portu* et securitate summâ in monasteriis residentes, *velut ex coelo ipso ceterorum naufragia prospectant.* (L. 3 adv. vitup. vitae monast. c. 11. P. G, 47, 366.) — Prima est virtus atque adeo universa virtus, *esse in hoc mundo hospitem* et peregrinum. (*Hom.* 24 *in ep. ad Hebr. n.* 1. *P. G.* 63, 165.)

Solitudo bonorum fons

S. Laurentius Justinianus : *Solitudo tranquillitatis est portus*, a saeculi fragoribus alienus, delictorum fuga, gratiarum nutrix, orationis locus, compunctionis mater, contemplationis sanctae auxilium singulare. *Solitudo* sponsi reclinatorium, virtutum custos, additamentum pacis. *Solitudo* scientiae schola, futurae felicitatis imago, accusatrix scelerum, vitiorum detectrix, innocentiae decus, secretorum coelestium cognitrix, coeli scala, passionum spiritualium interemptrix, pervigil mentis custodia etc. (*Vita solit. c.* 18. *c.* 12. *c.* 1.)

Ibi divinus canit turtur.

Hugo a S. Victore: *In solitudine canit turtur*, et semper turtur solitudinem diligit; quia singularem dilectionem quae-

Digitized by Google

rit. Non audietur in plateis vox Ejus neque foris clamorem suum proferet. Intus resonat, intrinsecus canit, et non possunt audire turturem, nisi qui intus sunt. Qui elongant se in solitudinem, *qui secretum inhabitant*, qui *in silentio requiescunt:* isti sunt, qui *vocem turturis audiunt.* (Serm. de Assumpt. B. M. V. in append. P. L. 177, 1222.)

S. Ambrosius, Ep. Mediol. et Doct. Eccl. (✠397): Ingredere in *arcam!* Foris *diluvium*, foris periculum (*L. de arcâ et Noe, c.* 11 *n.* 38. *P. L.* 14, 377.) *Est arca.*

Thomas a Kempis, Canon. regul. (✠1471): *Solitudo* devotionis est mater; turba vero conturbat. (*In exercit. spirit. c.* 4). *Mater devotionis.*

Vitæ SS. Patrum: Nisi dixerit homo in corde suo: « *Deus et ego solus* in hoc mundo sumus, » non habet requiem. (*Sentent.* 71 *P. L.* 74, 391.)

S. Petrus Damianus: Cum *vos* omnipotens *Deus mundo subtraxit*, ac sub monasticâ Sibi disciplinâ servire constituit, quid aliud fecisse cernitur, quam velut olim in cataclysmo de multis pereuntibus vos paucos elegit, ac *in bituminatae arcae latibulum*, ut viveretis, *induxit.* (Opusc. 52, c. 2.) *Salus e diluvio.*

— O *cella*, negotiatorum coelestium *apotheca*, in quâ videlicet illarum mercium summa reconditur, quibus terrae viventium possesio comparatur! ... *O cella*, spiritualis exercitii mirabilis *officina*, in quâ certe humana anima Creatoris sui in se restaurat imaginem et ad suae redit originis puritatem : ubi sensus obtusi ad subtilitatem sui acuminis redeunt, et vitiatae naturae azyma sincere reparantur. Tu das, ut homo mundo corde Deum conspiciat, qui suis involutus tenebris seipsum prius ignorabat. Tu hominem ad suum facis redire principium et de exilii ejectione ad antiquae dignitatis revocas celsitudinem. Tu facis ut homo in mentis arce constitutus, cuncta sub se videat terrena defluere, semetipsum quoque in ipsarum rerum labentium prospiciat decursione transire... *O cella*, sacrae militiae *tabernaculum*, procinctus triumphatoris *exercitus*, *castra Dei*, «*turris David*, quae « aedificata est cum propugnaculis ; mille clypei pendent « ex te ; omnis armatura fortium !» (*Cant.* 4.) Tu campus divi- *Cellae laus*

Digitized by Google

ni proelii, spiritualis arena certaminis, Angelorum spectaculum... *O cella*, Dominicae sepulturae propemodum *acmula*, quae in peccato mortuos suscipis et per afflatum S. Spiritus Deo reviviscere facis! O eremus,... ubi *cellae monachorum velut tentoria ordinata castrorum*, quasi *turres Sion*, et quasi *propugnacula Jerusalem* eriguntur adversus Assyrios et contra faciem Damasci! Imo cum in eisdem cellulis uno Spiritu diversa gerantur officia, dum videlicet hic psallitur, illic oratur, in aliâ scribitur, in aliis vero variis manuum operibus insudatur, quis non haec divina verba eremo congruere videat, quibus dicitur: « *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob,* « *tentoria tua, Israël! Ut valles nemorosae, ut horti juxta* « *fluvios irrigui, ut tabernacula quae fixit Dominus, quasi* « *cedri prope aquas!* » (Num. 24, 5. 6.) (Opusc. 11, 19. P. L. 145, 766 et 247 seq.)

Petrus Venerabilis: *Cellam*, cujus objectu, in medio mundi positus, a mundo secerneris, cujus ope intimos vastarum solitudinum recessus penetrasse videris,.... hanc, inquam, *cellam* tibi propono, ut secundum antiqui cujusdam Patris dictum, *ipsa sola eloquentius omnibus magistris* tacendo *te doceat*. Hanc certe non audire non poteris, quando eam quotidianum salutis tuae monitorem habebis. « *Fuge*, » ait quidam Patrum, «*homines et tace, et salvus eris*» (S. Hieronym.). Aut scuto aut pedibus mors vitanda est. Et Jeremias (*Thren.* 3): « *Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se super se*» et David (*Ps.* 59): « *Dedisti metuentibus Te significationem, ut fugiant a facie arcûs.* » Haec te *cella* a facie divini judicii fugientem suscepit, haec te secundum Isaiam quasi fossa humo « *a facie formidinis Domini venientis percutere terram abscondit* » (Is. 2.); haec velut parvula *Segor* a Sodomae, hoc est, mundi incendiis illaesum servavit. (*Gen.* 19.) Haec *Eliae* quondam Achab et Jezabel per deserta fugienti, latibulum praebuit, ubi ille constitutus vocem Dei sibi familiariter loquentis audivit, ubi «*non in spiritu, non in commotione, non in igne, sed in sibilo aurae tenuis,*» hoc est, in subtili et paucis perceptibili spiritus sui inspiratione hominibus Eum

Digitized by Google

adesse cognovit. (*Ps.* III *Reg.* 19.)... Haec te mortali huic vitae, non tantum mortuum, sed etiam *sepultum*, sui conclusione tibi ipsi assiduo repraesentat et quodammodo tibi atque Colossensibus apostolicâ voce inclamat (*Coloss.* 3): « *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* (L. 1. epist. 20. P. L. 189, 90.)

Sancta solitudo

S. Hieronymus: *O desertum* Christi floribus vernans! *O solitudo*, in quâ illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni Regis instruitur! *O eremus*, familiarius Deo gaudens! Quid agis, frater, in saeculo, qui major es mundo? Quamdiu te tectorum umbrae premunt? Quamdiu fumosarum *urbium carcer* includit? Crede mihi, nescio quid plus lucis aspicio. Libet, sarcinâ corporis abjectâ, ad purum aetheris evolare fulgorem.(*Ep.* 14. *n.* 10. *P. L.* 22, 352.)

Virtutum schola.

Petrus Blesensis: Habes *in claustro secretum solitudinis*, locum poenitentiae, *pacem* animae, *contemplationis* arcanum, gaudium in Spiritu S., *consilium* in haesitatione, in tentatione *remedium*, in omnibus *efficax beneficium* medicinae. Ibi *virtutum schola* est, summus ibi *modestiae* usus, morum *regularitas*, legendi libertas, *fraternitatis* affectio, omnium communicatio, disciplinae vigor, lex obedientiae, vinculum *caritatis* et mutua obsequela. (*Invect. contra depravator. P. L.* 207, 1118.)

S. Antonius Abb. († 357): Qui sedet *in solitudine* et quiescit, *a tribus bellis eripitur*, i. e. auditus, locutionis et visus; et contra unum tantummodo habebit pugnam, i. e. cor. (*l.* 5 *libell.* 2. *n.* 2. *P. L.* 73. 858.)

Cella coelum.

Guilelmus, Abb. S. Theodorici († *c.* 1150): *Cellae* et *coeli* habitatio cognatae sunt.... Quod geritur in *coelis*, hoc et in cellis. Quidnam est hoc? Vacare Deo, frui Deo. Quod quum secundum ordinem pie et fideliter celebratur in cellis, audeo dicere, sancti Angeli Dei cellas habent pro coelis et aeque delectantur in cellis ac in coelis. (*Ad fratres de Monte Dei*, 4, 10. *P. L.* 184, 314.)

Ad cellam ut columba ad arcum.

S. Basilius: *Si, necessitate quâpiam urgente, contigerit te e cella egredi*, tum *Dei timore tanquam thorace* circummuni-

Digitized by Google

tus, insertâ in manum caritate Christi oppugnatisque per omnem continentiam incursibus voluptatum, simul ut negotium absolveris, *statim revertere*, non immorans, sed *ad reditum velocibus alis usus*, et tanquam innocens quaedam *columba ad arcam*, unde emissus fuisti, confugiens, ferens in ore misericordiam Christi. Sicque internis cogitationibus persuade, te *requiem salutarem* in nullo alio loco invenire posse. (*Serm. de renunt. saec. n.* 5. *P. G.* 31, 638.)

Richardus Prior Fontanens.(✠ 1140): Non agnoscit suos *B. Benedictus*, nisi *sub Regula et Abbate in coenobio* degentes. (*Ep.* 439 *inter S. Bernardi. n.* 3. *P. L.* 182, 699.)

Linguae ratio.

S. Gregorius M.(✠ 604): *Lingua janua mentis est.*(Mor. lib. 2. c. 7. n. 8. P. L. 75, 559.)

Trithemius: Qualis unusquisque sit, *lingua probat loquentis.* (Sup. Prol. Reg. S. P. Bened. c. 2.)

S. Bonaventura: Nunquam melius, quam *per linguam homo cognoscitur.* (De SS. Ap. serm. 4.)

Ejus destinatio.

S. Joan. Chrysostomus : *Deus* tibi *dedit linguam, ut* Sibi *gratiarum actionem persolvas* et proximum *aedifices.* Itaque si sermone tuo aedificationem subvertis, melius est, ut taceas et nunquam loquaris. (*Serm.* 14. *sup. ep. ad Ephes. n.* 3. *P. G.* 62, 103.) — Nullum aeque *congruum diabolo organum* linguâ humanâ. In ministerium est interitus atque peccati ; inde mors, inde lapsus, inde perditio, inde naufragium praeparatur. *Cath.* 1. *ad illumin. n.* 4. *P. G.* 49, 228.) — Nihil amarum, nihil durum ea *lingua* proferat, cui divinum corpus impositum est. (*Hom.* 6. *sup.* 1. *ad Timoth. P. G.* 62, 531.) — *Deus linguam veluti muro duplici voluit circumdari.* Nam *dentium tegmine* et *labiorum custodiâ* lingua continetur, ne verba improvida garrulitate proferantur (*Cath.* 1. *ad illumin. n.* 4. P. *G.* 49, 229). — *Os* nostrum perpetuo *custodiamus*, rationem ei tanquam *clavem* adhibentes, ut convenienti tempore reseretur. (*In Ps.* 140, *n.* 4. *P. G.* 55, 432.)

Non sit diaboli organum.

Est circumvallata. .

Clavem ratio teneat.

Os tuum consecratum.

Gillebertus, Abb. de Hoilandiâ (*monast. Swinhet, diocc. Lincolens.* ✠ 1172) : Memento *os tuum* coelestibus osculis et

Digitized by Google

oraculis *consecratum*. Sacrilegium puta, si quid non dulce, non divinum, non de divinâ paginâ sonet. (*Serm.* 18. *in Cant. n.* 2. *P. L.* 184, 93.)

Lingua indisciplinata

S. Valerianus, Ep. Cemeliens., in Galliâ (*Cimiez. saec. V.*): Aestimari non potest, quantum impediant viam vitae *vitia indisciplinatae linguae.* (Hom. 2. n. 4.) — Excedit *lingua omne genus veneni*, quae non potest nisi morte compesci. Ubi semel quis linguâ rotante proruperit, frustra medicum quaerit; *sine remedio* enim *est culpa verborum.* Quamvis aliquis vitam fide muniat, scientiâ regat, castitate et sobrietate componat, *nihil est, quod in homine placeat, si* in toto corpore *sola lingua displiceat.* (Hom. 5. n. 4. P. L. 52, 698, 707.)

Fera et fornax.

S. Augustinus: Homo domat feram, et non *domat linguam;* domat leonem, et non frenat sermonem; domat ipse et non domat seipsum. (*Serm.* 55, *n.* 1. *P. L.* 38, 375.) — Quotidiana *fornax nostra* est humana *lingua.* Imperas mihi et in hoc genere continentiam. Da, quod jubes, et jube quod vis. (*Confess. l.* 10. *c.* 37, *n.* 60. *P. L.* 32, 804.) — Non frustra *in udo* est *lingua*, nisi quia facile labitur. Videns ergo, quam esset difficile, ut necessitatem loquendi haberet homo, et in loquendo non aliquid diceret, quod se dixisse nollet, *David* statuerat non loqui, ne aliquid diceret, quod locutum se esse poeniteret... *Custodi* ergo *vias* tuas, et *noli delinquere in linguâ tuâ!* Perpende, quod dicturus es; examina, consule interiorem veritatem, et sic profer ad exteriorem auditorem! (*In Ps.* 38, *n.* 3. *P. L.* 36, 414.)

Custodi linguam.

B. Albertus M., O. Pr. Ep. Ratisbon. († 1280): Ubi non est *taciturnitas*, ibi homo de facili ab adversario superatur. Ubi non est *moderatio linguae*, ibi nunquam erit perfectio vitae. (*Parad. anim., P.* 1, *c.* 31.)

Sit subdita, sermo ponderatus.

S. Ambrosius: *Lingua* tua *monti subdita sit;* restringatur habenae vinculis; frenos habeat suos, quibus revocari possit. Ad mensuram *sermones proferat, libra examinatos* justitiae, ut sit *gravitas* in sensu, in sermone *pondus* atque in verbis *modus.* (Offic. l. 1, c. 3, n. 13. P. L. 16, 27.)

Linguae usus.

S. Gregorius Naz.: *Loquere, si quid silentio melius* et

Digitized by Google

excellentius habes. At ubi silere praestat, quam loqui, silentium complectere. (*Or.* 32, *n.* 13. *P. G.* 36, 190.)

S. Isidorus Pelus. Abb. († *c.* 431): Si Pauli placita sequi studes, si *monasticam vitam* colere cupis, *linguae celeritatem freno coërce.* (Lib. I. Ep. 325. P. G. 78, 371.)

S. Bernardus: Custodi cor et *retine linguam* (De ord. vit. c. 4, n. 13, in app. P. L. 184, 569). — Antequam *verba* proferas, *bis ad limam veniant*, quam semel ad linguam. (*Spec. mon. n.* 1, *in app. P. L.* 184, 1176.) — Tenerum membrum *lingua*, attamen vix teneri potest; *aptissimum vacuandis cordibus instrumentum;* nisi forte omnes tam perfecti sumus, ut nunquam nobis post longas confabulationes inventa sit mens quodammodo vacua, meditatio minus devota, sicca magis affectio et holocaustum orationis non adeo pingue propter verba, sive quae diximus, sive etiam quae audivimus. (*Serm.* 17 *de div. n.* 5. *P. L.* 183, 585.)

Vitae SS. Patrum: Non didicimus ligneum claudere ostium, sed magis *ostium linguae.* — Impossibile est, sine custodiâ oris proficere hominem vel in unâ virtute; *prima* enim *virtus custodia oris* est. (Sentent. 43 et 96. P. L. 74, 388. 392.) — *Taciturnus requiem possidet.* (L. 7, c. 32. P. L. 73, 1051.)

Multiloquii damnum

S. Augustinus: Qualis est homo in mente, talem *verbositas depingit* in ore. — *O verbose, erubesce!* O loquax, cognosce teipsum! (*Serm.* 3. *ad fratr. in erem. in app. P. L.* 40, 1239, *sq*).

S. Gregorius M.: *Mens per multiloquium exterius sparsa* vim intimae considerationis amittit. — Qui *murum silentii* non habet, patet inimici jaculis civitas mentis. (*Mor. l.* 7, *c.* 17, *n.* 59. *P. L.* 75, 800 *sq.*) — *Mentis justitia desolatur*, quando ab immoderatâ locutione non parcitur. — *Inimicus tanto civitatem mentis sine labore superat*, quanto et haec eadem, quae vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat. (*Ib. n.* 58, 59.) — Vir *verbosus* justificari nequaquam potest. (*Moral. l.* 10, *c.* 2, *n.* 2. *P. L.* 75, 919.) — Ex multiloquio *fallacia generatur.* (L. 1. hom. 12 sup. Ezech. n. 27. P. L. 76, 931.) — Multum *deorsum ducimur*, dum locutione continuâ saecularibus ad-

Digitized by Google

miscemur. (*L.* 3. *Dial. c.* 15. *P. L.* 77, 256.) — Admonendi sunt *multiloquio* vacantes, ut vigilanter aspiciant, a quanto rectitudinis statu depereant, dum per multiplicia verba *dilabuntur*. Humana etenim *mens, aquae more circumclusa, ad superiora colligitur*, quia illud repetit, unde descendit; et *relaxata deperit*, quia se per infima inutiliter sparsit. Quot enim *supervacuis verbis* a silentii sui censurâ dissipatur, tot quasi rivis extra se ducitur. Unde et redire interius ad sui cognitionem non sufficit, quia, *per multiloquium sparsa*, a secreto se intimae conversationis excludit. (*Reg. past.* 3, *c.* 14. *P. L.* 77, 73.) — Ille loqui veraciter novit, qui *prius bene tacere* didicerit. (*L.* 1. *hom.* 11. *sup. Ezech. n.* 3. *P. L.* 76, 907.)

S. Ephrem, mon. († 378): *Multiloquium* mentem sensumque *obtenebrat*. (Ad mon. paraen. 7. tom. 2. p. 170.)

S. Joan. Climacus, mon. (*Saec. VI:*) *Loquacitas* autem est sedes vanae gloriae, per quam se ipsam ostendere et in scenam ac theatrum solet deducere. *Loquacitas* est ignorantiae argumentum, fenestra obtrectationis, scurrilium nugamentorum magistra, ministra mendacii, compunctionis abstersio, auctrix et consiliatrix ignaviae, somni nuntia, meditationis distractio, custodiae cordis abolitio, fervoris divini frigidarium et gelicidium, orationis languor seu potius exstinctio. — *Furiosam linguam* et ad contradicendum projectam coërce et *quotidie septuagies septies* adversus hanc *improbam dominam deproeliare*. (Scal. parad. gr. 11 et 4. P. G. 88, 851. 699.)

Est malorum origo

S. Isidorus, Ep. Hispalens. (Sevilla) et Doct. Eccl. († 636): Multiloquium *non effugit culpam*, multiloquium non declinat peccatum; *fluvius exundans cito colligit lutum*. (L. 2 de synonym. c. 49. P. L. 83, 856.)

Quasi fluvius exundans

S. Dorotheus, mon. Palaestin. (*Saec. VII*): A *multiloquio* abstine; hoc enim rationabiles et cordi *e coelo advenientes cogitationes exstinguit*. (Doctr. de vit. recte instit. instr. n. 24. P. G. 88, 1838.)

S. Bonaventura: Frustra ille *Religiosus* gloriatur de

Virtutibus infestum

Digitized by Google

possessione virtutis in corde, *qui dissipat disciplinam silentii* per inquietudinem multiloquii. (*De perf. vit. c.* 4.)

S. Isidorus Hispal. : Nihil sic *dissolvit mentem*, compunctionem dissipat, confusionem inducit, denigrat honestatem et interioris gustus dulcedinem tepefacit, sicut *inanis et praesumptuosa loquacitas.* (*Linguosus* homo imperitus est; *sapiens* verbis utitur paucis; brevem sermonem sapientia facit.) Qui silentium negligit, sciat se peccatorum *laqueos* prorsus vitare non posse. (*L.* 2. *de synon. c.* 49. *P. L.* 83, 856.)

S. Bernardus : *Monstruosa res*... lingua magniloqua et manus otiosa, *sermo multus* et fructus nullus. (*L.* 2 *de consid. c.* 7, *n.* 15. *P. L.* 182, 750.) — O quantum aufert devotionis, quantum affert dissolutionis intrinsecus *frequens linguae resolutio.* Nam sicut *fornax, cujus os semper apertum* est, non potest in se retinere fervorem, sic *nec cor devotionis in se poterit gratiam conservare*, cujus os non fuerit *januâ silentii* reclusum. (*L. de pass. Dom. c.* 27, *n.* 89. *in app. P. L.* 184, 688.)

Sicut fornax, cujus os apertum.

Dionysius Carthus. : *Multiloquium* vanae gloriae cathedra, porta detractionis, origo mendacii, resolutio compunctionis, impedimentum divinae illuminationis, mater acediae, exterminatio exterioris custodiae, frigefactor fervoris, obscurator orationis, scurrilitatis indevotionisque causa. (*De prof. mon. art.* 19.)

Silentii praestantia.

Thomas a Kempis: Non est parvum *damnum, perdere devotionis gratiam* per multiloquium. (*Serm.* 19 *ad Nov.*) — Oris *silentium* pacis domicilium. (*Hortul. rosar. c.* 8.)

S. Ambrosius : Quid opus est, ut properes *periculum* suscipere condemnationis *loquendo, quum tacendo* possis esse *tutior?* Quam plures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo!... Ideo Sancti Domini, qui scirent, quia *vox hominis plerumque peccati annuntiatio* est et initium erroris humani est sermo hominis, amabant tacere. (*Offic. l.* 1. *c.* 2, *n.* 5 et 6. *P. L.* 16, 25.) O *validum scutum* circumspectae munitionis silentium! O fidissimum *stabilitatis firmamentum*, in quo, si quis potuerit stare, lubricum verbi timere non

Digitized by Google

possit! Multi enim stabili corde firmati, incauti tamen sermonis fluctuantis errore saepe ceciderunt. (*Enarr. in Ps.* 38. *n.* 2. *P. L.* 14, 1039.)

S. Gregorius Naz.:

Utque *latet rosa* verna suo putamine clausa,
Sic *os* vincla ferat validisque arctetur habenis.
Indicatque suis prolixa *silentia* labris.

(*Carm. ser.* 2. *n.* 2. *v.* 80. *P. G.* 37, 584.)

S. Diadochus: Praeclara res est *silentium*, et nihil aliud, quam mater sapientissimorum cogitatuum. (*De spirit. perfect. c.* 70. *P. G.* 65, 1192.)

Joan. Cassianus, Abb. Massiliens. (*Marseille*, † 430): Observa imprimis, ne studium lectionis et desiderii tui labor vana elatione cassetur, ut indicas ori tuo summum *silentium*. Hic enim est primus *disciplinae* actualis *ingressus*. Omnis quippe labor hominis in ore ipsius. Itaque Seniorum instituta atque sententias intento corde et quasi muto ore suscipias ac diligenter in pectore tuo condas, ad perficienda ea potius, quam ad docenda. (*Coll. I.* 14. *c.* 9. *P. L.* 49, 966.)

Initium est disciplinae.

S. Arsenius, mon. (*Saec. IV*): Angelum dicentem audivit: *Fuge, tace, quiesce!* (Vit. SS. Patr. l. 3. n. 190. P. L. 73, 801.)

S. Macarius, Alexandr. mon. († 390): « Fugite, fratres, fugite! » — Quaenam et quo? — Digitum ori imponens: « Hoc fugite! » — Et ostio cellae clauso sedebat. (*Vit. SS. Patr. l.* 5. *n.* 27. *P. L.* 73, 868.)

S. Joan. Climacus: *Studiosus silentii* appropriat Deo, ipsique jugiter in abdito cordis assistens, illustratur ab Eo. — *Silentium* prudens est, parens orationis, contemplationis informator, a captivitate liberatio, occultus in virtutibus profectus, ardoris divini custodia, arcanus in Deum ascensus, observatio cogitationum, hostis nimiae confidentiae, speculator hostium, ambitiosae doctrinae oppugnator, luctûs carcer, minister salutaris tristitiae, amans lacrymarum, religiosae quietis conjux, assiduae mortis memoriae effector, scientiae augmentum, suppliciorum aeternorum pictor, curiosus judicis observator. (*Scala Parad. gr.* 11. *P. G.* 88, 851.)

Silentii laus.

Digitized by Google

Firmum est praesidium,

S. Ephrem : Posside *silentium*, frater, ut *fortem murum.* (Prov. 25.) Silentium enim, perturbationes ut vincas, efficiet, te superne proeliante, illis autem pedibus subjectis. Posside ergo *in timore Dei silentium*, neque tibi nocebunt ulla inimici tela. Silentium enim timori Dei conjunctum *currus est igneus*, possessorem suum in coelum subvehens. Id tibi persuadet *Elias* propheta, qui, silentium una cum timore Dei diligens, assumptus est in coelum. (4 *Reg.* 2.) O *silentium*, profectus monachorum : coeli scala, via regni coelorum! O *silentium*, mater compunctionis, speculum peccatorum, ostendens homini delicta sua! O *silentium*, quod lacrymas non impedis, mansuetudinis genitrix, humilitatis contubernale! *O silentium*, humilitatis conjux et mentis illustratio! *O taciturnitas*, cogitationum exploratrix et dijudicationis cooperatrix! *O taciturnitas*, omnis mater boni, jejunii firmamentum et gulae impedimentum! *O silentium*, schola lectionis et orationis! *O silentium*, tranquillitas cogitationum et portus securus! *O taciturnitas*, sollicitudinis animae abjectio! *O silentium*, suave jugum et onus leve, refocillans et portans portantem se, laetitiae animae et cordis; aurium, oculorum et linguae frenum! *O taciturnitas*, imposturae interitus et impudentiae adversaria! O reverentiae mater! *O silentium*, affectuum carcer omnisque virtutis cooperatrix et paupertatis conciliatrix, praedium Christi, bonos fructus afferens! *O silentium* timori Dei conjunctum, murus et praesidium eorum, qui propter regnum coelorum certare volunt! Maxime hanc, frater, posside, bonam illam « *partem, quam Maria elegit.* » Ista enim Maria, cum sit exemplum silentii, sedit ad pedes Domini; ei soli adhaesit. Ideo et laudavit eam dicens : « *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.* » (Or. paticutia et consumm. hujus saeculi. tom. 3 p. 102.)

Currus igneus,

Omnis mater boni.

Silentium optima pars

Dionysius Carthus.: *Silentium* est quieta vacatio Dei, separatio cordis a tumultu et refrenatio oris a verbis inanibus. Hoc videmus in claustralibus praecipue adimpleri, qui *in observatione silentii cultum justitiae* statuunt. (*In Isaiam*, 32.)

Digitized by Google

Per silentium crescit templum Dei.

S. Petrus Damianus : Monachus vivit, dum *os sub silentii censurâ concluditur;* perit autem, cum ad loquendum immoderatius aperitur. (*Opusc.* 52. *c.* 28. *P. L.* 145, 788.) — Dum strepitus humani cessat alloquii, *construitur in te per silentium templum Spiritus S.* Hinc est, quod de *Israëlitici templi* constructione sacra testatur historia, quia malleus et securis et omne ferramentum non sunt audita in domo Domini, cum aedificaretur. *Templum* quippe *Dei per silentium crescit*, quia, cum mens humana per exteriora se verba non fundit, in sublime fastigium spiritualis aedificii structa consurgit; tantoque subcrescens in altiora sustollitur, quanto per silentii custodiam circumclusa se extrinsecus fundere prohibetur. « *Custos* enim » *justitiae silentium.* Et per Jeremiam (*Thren.* 3) dicitur : « *Bonum est praestolari cum silentio « salutare Dei. Bonum est viro, cum portaverit jugum ab « adolescentiâ suâ. Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit « se super se.* » Solitarius plane, dum tacet, se elevat super se; quia mens humana dum *intra silentii claustra* undique circumcluditur, in superiora *sublimis erigitur*, ad Deum per coeleste desiderium rapitur et in amore Ejus per ardorem Spiritus inflammatur; et tanquam fons vivus, dum per verborum circulos fluere hinc inde non sinitur, undis excrescentibus ad altiora cumulatur. *Templum* ergo *tui pectoris* nunc *per silentium crescat!* Virtutum spiritualium tanquam coelestium lapidum in te structura consurgat, ubi supernus ille sponsus, quem totis visceribus diligis, velut in thalamo suo delectabiliter requiescat! (*L.* 7. *ep.* 6. *P. L.* 144, 444.)

Joannes Bona, Card. (✠ 1674) : Magna itaque res est *taciturnitas*, per quam ab hominum consortio recedentes discimus cum Deo miscere colloquia. Lingua enim in vanum silet, nisi spiritus cum Deo loquatur. Omnia quae patimur, calumnias, persecutiones, infirmitates, et animi afflictiones *silentium sanctificat :* nam qui haec tolerat et tacet, sacrificat Deo corpus, animam, existimationem, facultates et omnia bona sua : tum Christum imitatur, qui quasi agnus coram

Digitized by Google

tondente se obmutuit, non aperuit os suum : liber denique ab omnia perturbatione, tranquilla fruitur sui ipsius possessione. *Obmutui*, ait Propheta, *et silui a bonis.* Ps. 38. Quodsi a bonis sermonibus abstinere interdum oportet, ob silentii praestantiam, quanto magis a noxiis et inutilibus ? Sapientissimus est, qui scit tacere, difficilius etenim est nosse tacere quam loqui. (*Princ. vit. christ. P. II.* §. 8)

Silentium justitiae cultus.

S. Bernardus : *Tria* sunt *praeputia*, quae praeciduntur: *carnis* praeputium in Judaeo; *cordis* praeputium in Christiano; *linguae* praeputium in Perfecto. (*Lib. Sent. n.* 91 *in app. P. L.* 184, 1146.) — Ad *silentium*, hunc « *justitiae cultum*, » hanc omnium virtutum matrem, nutricem, custodem... invito et provoco. (*Ep.* 89, *n.* 2. *P. L.* 182, 221.) — *Religa tuam linguam*, si vis esse Religiosus, quia sine linguae religatione Religio vana est. (*L. de pass. Dom. c.* 27, *n.* 89. *P. L.* 184, 688.) — Periit *taciturnitas regularis*, ablata est sanctitas religionis;... ad nihilum devenit religiositas monasterii, annullata caritas fraternitatis. (*De mod. bene viv. c.* 17, *in append.* n. 46. *P. L.* 184, 1229.) — *Silentium* est *custos religionis* et in quo est *fortitudo nostra.* (Is. 30.) (Serm. 2. in Dom. I. p. Oct. Epiph. P. L. 183, 161.) — *Silentium* maximus *actus verecundiae* est. (*De ord. vit. c.* 4, *n.* 12, *in app. P. L.* 184, 568.) — *Silentium infringere* animi *negligentis aut dissoluti spiritus indicium* est. (*De praecept. et dispens. c.* 8, *n.* 18. *P. L.* 182, 871.)

Taciturnitas regularis.

S. Laurentius Justinianus : Pacifica mens, cultrix Dei et virtutum amatrix, providâ gubernatione *intra claustra* silentii cohibet linguam. (*De discipl. mon. c.* 15.)

Humbertus, Gen. O. Pr. († 1263): Per *silentium* conscientia serenatur, poena vitatur, pax conservatur et mens per contemplationem expeditius elevatur. (*Ep. de* 3 *votis, c.* 51.)

Gillebertus: *Silentium* et quaedam compositionis gravitas nonne *totam conversationem venustat* et quâdam sanctitatis pulchrâ vestit facie ? (*Serm.* 23 *in Cant. n.* 3. *P. L.* 184, 121.)

Joan. Gerson (Charlerius), cancell. Paris. († 1429): Ubi *censura silentii* servatur arctius, ibi Religio viget laudabilius et perfectius. (*Quaest. quatuor, qu.* 1. *concl.* 3.)

Digitized by Google

Thomas a Kempis: *Silentium* bene servando, obedientiam etiam servas, humilitatem retines, verecundiam adornas, senibus reverentiam exhibes, juvenibus exemplum praebes, levibus et dissolutis timorem incutis, extraneis bonam famam, intraneis pacem et concordiam generas. (*Ex. serm. ad Novit.*)

V. Ludov. Blosius, Abb. Laetiens. (*Liessies,* ✝ 1566): Si solitudinem et *silentium* non sustines, sed otiosis sermonibus inordinatisque risibus delectaris, *monachus* non es. (*Spec. mon. c.* 1.)

Trithemius: *Tacere* non potes; ergo nec *monachus* es. (*Comment. in c.* 6. *Reg. S. P. Bened.*)

Joannes, mon. Cluniac.: *Sine silentio* ducenda est *pro nihilo vita monachi...* Vita enim monachi usque adeo est aliquid, donec sub silentio esse studuerit. Eo vero remoto, quidquid bene vel honeste se agere putaverit, secundum institutionem Patrum nihil erit. (*In vit. S. Odon. l.* 2, *n.* 11. *P. L.* 133, 67.)

Discreta linguae moderatio.

S. Gregorius M.: *Lingua discrete frenanda* est, non indissolubiliter obliganda. Discrete quippe vicissitudinum *pensanda sunt tempora*, ne aut cum restringi lingua debet, per verba inutiliter diffluat, aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat. Quod bene Psalmista considerans, dicit: « *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium « circumstantiae labiis meis* » (Ps. 140, 3). Non enim poni ori suo parietem, sed ostium petit, quod videlicet aperitur et clauditur. Unde et nobis caute discendum est, quatenus *os discrete* et *congruo tempore vox aperiat*, et rursus congruo *taciturnitas claudat.* (Reg. Pastor. p. 3, c. 14. P. L. 77, 72.)

S. Basilius: Est vocis contentio et *sermonis modus* et *opportunitas* temporis et verborum proprietas, quae pietatis cultoribus propria sit et peculiaris. (*Reg. fus. interrog.* 13. *P. G.* 31, 950.)

Stabilitatis votum.

Haeftenius, Praep. Affligeniens. (✝ 1648): Duo *stabilitatis voto* includuntur: prius est, quod non liceat egredi de

Digitized by Google

monasterio; posterius « non excutere collum de sub jugo Regulae. » (*Disq. mon. l.* 4, *tract.* 6. *disq.* 3.)

S. Paldo, Abbas monast. S. Vincentii ad Volturnum apud Beneventum († 720) monachos suos ita hortari solitus erat : « Credite mihi, fratres, quia monachus ille, qui *in hoc monasterio persistens usque ad finem* permanserit, anima ejus aeterna supplicia nequaquam sustinebit, sed *vitam aeternam possidebit !* » (*Vita S. Pald. n.* 13. *apud Mabill. saec.* 3. *p.* 1.)

S. Basilius : Oportet, ut, qui se ad vitae monasticae rationem contulerit, is *stabili, firmâ immobilique voluntatis constantiâ* sit judicioque hujusmodi, quod a malevolis spiritibus neque attentari possit neque loco pelli, *animi* vero *firmitate* tantâ, ut *ad mortem usque martyrum constantiam prae se ferat* cum in divinis praeceptis retinendis, tum in obedientiâ adversus magistros suos conservandâ. Siquidem hoc totius vitae hujus *instituti caput* est. (*Constit. monast. c.* 19. *P. G.* 31, 1387.)

Perseverantiae laus.

S. Bernardus : Duo praecipua nobis in monasterio conversantibus observanda traduntur : *subjectio Abbati, et stabilitas in loco,* et ita observanda, quod neutrum praepediat alterum, nec alterutrum sibi praejudicet. (*Epist.* 7. *n.* 15. *P. L.* 182, 102.) — *Perseverantia* sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Prorsus absque *perseverantiâ* nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est; nutrix ad meritum, mediatrix ad praemium. Soror est patientiae, constantiae filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle *perseverantiam,* nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique, non qui coeperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Hoc summae honestatis insigne, hanc totius probitatis unicam fidamque custodem custodiri a vobis firmiter, hortor et precor. (*Epist.* 129. *n.* 2, *P. L.* 182, 283 *sq.*) — Forte vult aliquis de Cluniacensibus institutis ad Cisterciensium sese stringere paupertatem... Si me consulit, *non consulo,* si non sane id Abbatis sui usur-

Inconstantia.

Digitized by Google

paverit assensu. Quamobrem? Primo *propter scandalum* ipsorum, quos deserit. Deinde, quia certa pro dubiis relinquere *tutum non est;* forsitan enim haec tenere potest, illud non poterit. Tertio suspectam habeo *levitatem;* quia id saepe quod facile volumus, antequam probemus, experti jam nolumus, uno probe momento idipsum et cupientes et respuentes tam leviter quam et irrationabiliter. (*De praec. et disp. c.* 16. *n.* 46. *P. L.* 182, 886.)

S. Petrus Chrysologus, Archiep. Ravenn. et Doct. Eccl. († 450.): *Non locorum mutatio*, sed conversio sensuum adversa depellit, moerores fugat, desperationes abjicit, excludit angustias, intrat domicilium sinceri pectoris, et laetitiae divinae praeparat mansionem. (*Serm.* 46. *P. L.* 52, 328.)

S. Augustinus: Tanto minus se quisque stabilem esse sentit, quanto minus haeret Deo, qui summe est. (*Ep.* 118. *c.* 3. *n.* 15. *P. L.* 33, 439.)

S. Anselmus: Quicumque coenobitarum forte propositum aggreditur, expedit ei, ut, *in quocumque monasterio professus* fuerit, nisi tale sit, ut ibi malum invitus facere cogatur, totâ mentis intentione *amoris radicibus ibi radicare studeat;* atque aliorum mores aut loci *consuetudines*, si contra divina praecepta non sint, etiam si inutiles videantur, *dijudicare refugiat*... Quodsi sibi videtur majora quaedam ac utiliora spirituali fervore appetere, quam sibi praesentis monasterii institutionibus liceat, aestimet aut se falli, sive praeferendo paria paribus vel majora majoribus sive praesumendo se posse, quod non possit; aut credat se non meruisse, quod desiderat. Quod si fallitur, agat gratias divinae misericordiae, quia ab errore suo defenditur; ne, sine emolumento aut etiam cum jacturâ locum et vitae ordinem mutando, *inconstantiae levitatisque* frustra *crimen* subeat, aut majora suis viribus experiendo fatigatus, deterius in priora aut etiam in pejora prioribus deficiat... Ingressus es, carissime, professusque Christi militiam, in quâ non solum aperte *obsistentis hostis violentia* est propellenda, sed etiam quasi *consulentis astutia* cavenda. Saepe namque dum tironem Christi vulnere malae voluntatis aperte

Digitized by Google

malevolus non valet perimere, sitientem eum poculo venenosae rationis malevole callidus tentat exstinguere. Nam cum Monachum nequit obruere vitae, quam professus est, odio, nititur eum conversationis, in qua est, subruere fastidio etc. (*L.* 1. *ep.* 29. *P. L.* 158, 1096, *sq.*)

Loci stabilitas.

Guillelmus, Abb.: Impossibile est, hominem fideliter figere animum suum, qui non prius alicui *loco perseveranter affixerit corpus suum.* Nam, qui aegritudinem animi migrando de loco ad locum effugere nititur, est sicut qui fugit umbram corporis sui. Seipsum fugit, seipsum circumfert; locum mutat, non animum. Eundem ubique se invenit, nisi quod deteriorem facit ipsa *mobilitas;* sicut laedere solet *aegrum,* qui circumferendo concutit eum. (*Ep. ad fratr. de monte Dei. c.* 9. *n.* 25. *P. L.* 184, 324.)

S. Bernardus: *Non moveamur quocumque flatu,* sicut scriptum est: « *Si spiritus habentis potestatem super te irruerit, locum tuum ne deseras!* » Nulla enim tentatio vobis praevalebit, si non in magnis et in mirabilibus super vos ambuletis, sed permaneatis radicibus firmis *in humilitate radicati* atque *fundati.* Sic *plantatus* secus decursus aquarum sanctus Confessor Domini *Benedictus* fructum suum dedit in tempore suo. (*Serm. in natal. SS. P. Bened. n.* 4. *P. L.* 183, 378.)

V. Ludov. Blosius: Fundati supra firmam petram, *stabiles in caritate Dei* persistunt monachi, quorum utique summum solatium est divinum beneplacitum. — *Instabiles* aedificant, non super firmam petram, sed super arenam instabilem; ob idque ad ventorum flatus et fluminum impetus facile corruit eorum aedificium. — S. Pauli, fortissimi insuperabilisque athletae, confortatus exemplo, ne despondeas animum in tentationibus; sed sustine viriliter, *fixus* atque *immobilis in sancto proposito* permanens. (*Spec. mon. c.* 2, 8 *et* 1.)

Monachus quidam discipulo, quem diabolus tentabat, consilium dedit: « Dic ipsis cogitationibus tuis: *Propter Christum parietes cellae istius custodio!* » (Vitae Patr. l. 8. c. 20. P. L. 73, 1119.)

Digitized by Google

S. Joan. Climacus: *Claustrum* coenobii sit pro monumento *sepulcri*, ex quo nemo ante extremum judicium progreditur. (*Scal. parad. gr.* 4. *P. G.* 88, 715.)

Hugo a S. Victore: *Sta, ne deficias!* Sta *permanens* in eo, quod coepisti, non rediens ad id, quod fuisti; sta ergo in timore! *Firma animam* tuam proposito, *exerce* virtute, cautelâ *muni!* Firma, ut cedere nolit tentationi; exerce, ut resistere possit; muni, ut, ubi non potest vincere, sciat declinare. (*L.* 1. *Miscell. tit.* 69. *P. L.* 177, 506.)

Coenobitica familia.

S. Basilius M.: *Vitam, quae simul cum pluribus* agitur, *ad multa utiliorem* esse scio, quam solitariam. (*Reg. fus.* 7. *P. G.* 31, 927.) — Quemadmodum lex spiritualis non vult pauciores esse quam decem, qui *mysticum pascha* comedant: ita eorum, *qui simul vitam spiritualem excolunt, numerum denarium potius augeri oportet*, quam minui. — Qui *communem inter se vitam* amplexi sunt, id inter ipsos *ante omnia* obtineant necesse est, ut *unum in omnibus sit cor*, et *voluntas una unumque desiderium* utque ex Apostoli praecepto *omne conventus agmen* efficiatur *unum corpus ex diversis membris* coagmentatum. (*Serm. asc. II. n.* 1. *ib.* 882.) — Monachi *Salvatoris* Ejusque vitae, dum inter nos versaretur, veri perfectique *imitatores* existunt. Quemadmodum Ille, coacto discipulorum choro, *communia cuncta* seque ipsum communem Apostolis praebuit, ita hi quoque, Antistiti suo obtemperantes, genus vivendi Apostolorum ac Domini imitantur. (*Constit. monach. c.* 18, 2. *ib.* 1383.)

Unum corpus et in vicem membra.

S. Victorianus, Abb. Assanens., apud Huescam urbem in Hispania, († *circ.* 566): Cum quosdam videret monachos, qui foris vitam solitariam degebant in diversis oratoriis cellisque, eos ad *coenobium* revocavit, *bonum* esse praedicans *et jucundum, habitare fratres in unum, ubi* sit *cor unum, et anima una;* necessarium esse, junctis viribus adversus antiquum et vafrum hostem pugnare, plurimumque momenti adferre. (*In ejus vitâ. n.* 19. *Boll.* 12 *Jan.*)

B. Alcuinus, Mon. O. S. B. († 804): Facilius diabolus

Digitized by Google

expugnare poterit illum, qui solus est, quam eum, qui *fraterno auxilio* undique cingitur, dicente Scripturâ : « *Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi firma est civitas* » (Prov. 18, 19.) (Epist. 16. P. L. 100, 168.)

Dorotheus: Quid, obsecro, videntur vobis esse *coenobia!* Nonne *unum* videntur esse *corpus, et invicem membra ?* Qui administrant et gubernant, *capitis* loco habentur; qui vero speculantur et corrigunt, *oculorum* vicem tenent; at qui sermone prosunt, *oris* munere funguntur; qui obediunt, *aurium* loco putantur; qui opera exercent, *manibus* comparantur; qui reddunt responsa et huc atque illuc ad ministeria diriguntur, vicem exsequuntur *pedum.* (Serm. 6. n. 8. P. G. 88, 1695.)

Unum esse et sapere.

S. Augustinus : *Ubi* sunt *unanimes*, unum sentientes, *ibi* est *locus sanctus Domini.* (In Ps. 67, 7. P. L. 36, 815.) — Unum cogitate, fratres mei, et videte in ipsâ multitudine, si delectat nisi unum. Ecce, Deo propitio, multi estis, quis vos ferret, nisi unum saperetis? — Unde in multis ista quies? da unum et populus est, *tolle unum et turba est.* —

Unius Dei imago et templum.

Ipsa Trinitas *unus* Deus ad hoc unum non vos duxit, nisi ut *multi* habeamus *unum cor.* (Serm. 103. c. 3. n. 4. P. L. 38, 614. Dom.) — Habitat in singulis *Deus*, tanquam in templis suis; sed in omnibus simul in unum congregatis *tanquam in templo suo.* (Ep. 187 ad Dard. c. 13. n. 38. P. L. 33, 847.)

Morum et affectuum unitas.

S. Hieronymus: Nulla vita pro certo deterior, quam *simul* degere *corpore et non mente.* — Ut unanimes habitetis, sit vobis *semper unus affectus*, una *fraternitas*, una *proportio morum*, una *jucunditas*, una *tristitia.* (In Reg. monach. c. 1. in app. P. L. 30, 406.)

Est currus Domini.

Aurelius Cassiodorus, ex senatore Rom. mon. et Abb. Vivariens. in Calabriâ († 560) : *Sanctorum unanimitas currus est Domini*, quam Ille velut *auriga* insidet et ad voluntatis suae ministerium salutari lege moderatur. (*In Ps.* 67. *v.* 20. *P. L.* 70, 468.)

Communitatis praestantia.

S. Bonaventura : *Religiosus debet amare communitatem;* quia, quanto plures homines congregati, tanto incedunt securius, resistunt fortius, solatiantur jucundius. — *Plures*

Digitized by Google

congregati vinculo caritatis, juncti *melius lucent* per exemplum, *vehementius ardent* per desiderium divinum. — Cum plures sunt uniti per amoris vinculum, est in eis absque dubio *major abundantia meritorum.* (Diaet. tit. 4.)

Thomas a Kempis : Ubi pax et *concordia*, ibi *Deus* et *omnia bona*... Ubi *concordia*, ibi *dulcis melodia;* ubi dissensio, ibi diabolus et omnia mala. — Qui fratri indigenti subvenit, JESUM per manum retinet. (*Hortul. rosar. c.* 16 *et* 17.) — *In communitate* homo *securius* vivit, ubi a pluribus juvatur; et si interdum ab aliquo tribulatur, ab alio rursus consolatur. Ibi homo *magis in virtute probatur* et exercetur; ibi frequenter de negligentiâ arguitur. Ibi *ad perfectiora verbo et exemplo trahitur;* ibi suam imperfectionem considerare et lugere compellitur. Ibi alterius fervore *excitatur*, alterius humilitate *docetur*, istius obedientiâ *movetur*, illius patientiâ *aedificatur.* Ibi alterius correptio ejus fit *correctio;* ibi alienum periculum proprium efficitur *speculum.* Ibi unus alterius est *custodia;* ibi homo *portat et portatur;* multa audit et videt, unde doceatur. Ibi *boni* commendantur, ut *meliores* fiant ; *negligentes* arguuntur, ut *refervescant.* (Serm. 2. ad Novit.)

Omnia monachis communia.

Joan. Chrysostomus: Conversationem plane coelestem elegerunt Monachi nihilque deterius Angelis effecti sunt. Ut enim his *nulla* inest *inaequalitas*, sed *omnes pariter in gaudio et quiete* summâque illâ et coelesti gloriâ exultant ; ita fieri quoque perspicias in monasteriis. Nullus ibi *paupertatem* exprobrat, nullus divitiis honestior est. Inde id, quod omnia perturbat et pervertit, Meum et Tuum, penitus eliminatum est. *Cuncta* quippe illis *communia sunt*, mensa, domus, indumentum et, quod sane mirabilius est, *unus etiam idemque animus omnibus* est. Omnes eâdem sunt nobilitate nobiles ; omnes eâdem servitute servi, eâdem libertate liberi. *Una ibi voluptas*, una *jucunditas*, unae *deliciae*, unum *desiderium*, una *spes* omnibus inest. *Nulla ibi inaequalitas.* Ceterum ordo summus et moderatio et convenientia et *ineffabilis concordiae servandae diligentia* jugisque ac perpetuae

Digitized by Google

laetitiae materia. Quocirca omnes omnia et patiuntur et faciunt, *ut unâ laetentur et gaudeant.* (Adv. oppugnator. vit. mon. l. 3. n. 11, P. G. 47, 366.)

Hugo a S. Victore, Canonic. Regul. monast. S. Victoris Paris. († 1148): Loco *unum esse* et animo non esse, poena est; animo, non loco, bonitas est; *loco et animo felicitas* est. (*Miscell. l.* 5. *tit.* 20 *P. L.* 177, 758.)

Claustrum quasi arca et alvearium.

S. Petrus Damianus: *Arcam*, quae octo animas inter cataclysmi fluenta continuit, intrinsecus et extrinsecus liniri bitumine vox divina praecepit... *Estote levigati* per spiritualis exercitii disciplinam; estote *bituminati per caritatis fraternae* concordiam. Quae tamen *confoederatio* congruere perfecte non poterit, nisi quum *arca in cubitu consummatur*, i. e. cum multis unus Christi vice proponitur. *Unitas* quippe facit, ut multa sibimet invicem congruant, ut diversae hominum voluntates *in compage caritatis et communis spiritus unanimitate* concurrant... Tamdiu *apes* in communi mellificant, quamdiu *sub uno principe perseverant*... Sic igitur Pastor et oves, dux et militum catervae *uno Spiritu confoederentur*, ut caritas, quae Deus est, individuae unitatis in eis teneat principatum. (*Opusc.* 13. *c.* 24. *P. L.* 145, 326.)

Pietas in Abbatem.

V. Lud. Blosius: Si spirituali *Patri* in omnibus, quae mala non sunt, prompte fideliterque *obtemperare* negligis; si eundem spiritualem patrem *tanquam Dei vicarium revereri* ac *sinceriter amare* renuis, monachus non es. (*Spec. mon. c.* 1.)

S. Francisca Romana, fundatrix Congr. Oblatarum O. S. B. († 1440): *Bonus filius* semper *est reverens* et sibi *cavet, ne patri displiceat;* semper est *provisus et* semetipsum aptat ad obediendum decretis patris; et continue *studet* et *pugnat, ut patri placeat;* et se apponet morti, ut *ipsi serviat.* Sic Sapientia divina eum semper custodit in suis secretis... (*Visio* 62.)

B. Alcuinus († 804): *Abbas habet rationem reddere sollicitudinis* suae pro vobis, et *vos obedientiae* vestrae in illum aequaliter reddere habetis rationem. Ille pro vobis in magno positus est periculo; vos pro illo magnâ caritate intercedere

Digitized by Google

studete, ut mercedem pro eo habeat apud Deum et vos requiem habeatis cum illo in regno Dei. *Filiorum eruditio laus est Magistrorum; profectus gregis merces* est *Pastorum.* (Epist. 93. P. L. 100, 299.)

Familia Domini.

S. Bonaventura: Quantum in te est, cave omne, quod potest esse non *bonum exemplum*, sicut decet fidelem servum Dei, qui debet Domini sui honorem promovere et inhonorationem cavere, ubi potest. *Nos enim sumus familia Ipsius.* Sicut ergo *paterfamilias* ex *disciplinâ familiae* suae honoratur vel ex indisciplinâ inhonoratur, ita scias, quidquid nos facimus, hoc aliquo modo redundat vel in laudem Domini nostri, vel in contemptum. (*Inform. nov. c.* 38.)

Caritas in communitate.

S. Joan. Chrysostomus: *Majora potest communitas*, quam unus. Quamvis *unus* sis et multum valeas, sed *non sicut communitas.* — Maximum *virtutis encomium est*, caritas in communitate. (*Hom.* 37 *in Act. n.* 3. *P. G.* 66, 266.) — Quid *communitati in caritate radicatae* comparandum? Quasi *civitas* quaedam *moenibus undique cincta*, talis est. (*Hom.* 40. *in Act. n.* 4 *ib.* 287.) Magnum bonum est congregatio. Ipsa namque *caritatem reddit ferventiorem;* ex ea cuncta optima generantur. (*Hom.* 19. *sup. Ep. ad Hebr. n.* 2. *P. G.* 63, 14.) — Ubi conventus fratrum et germanae caritatis vinculum, *ibi* est *festiva celebritas.* (Hom. 5. de fide Annae n. 1. P. G. 54, 669.) — Frater, qui a fratre adjuvatur, est *sicut civitas fortis.* Multo magis tanto vinculo caritatis inter se juncti, omnibus *daemonum resistunt insidiis.* (Hom. de profectu Evang. P. G. 51, 315.)— Nihil *concordiâ in familiâ* majus, nihil magis necessarium. (*Hom.* 4. *in Ep. ad Titum n.* 2. *P. G.* 62, 683.) — Nihil *concordiae* et mutuae voluntati aequiparandum. (*Hom.* 79. *in Joan. n.* 4, *P. G.* 59, 425.)— Sicut discordia debilitat, ita *concordia corroborat.* (Hom. 82. in Joan. P. G. 59, 44.) — *Ubi concordia non est, nec oratio* illic exauditur, nec oblatio suscipitur; quia nec ibi est Deus, *ubi discordia dominatur.* (Hom. 10. oper. imperf. sup. Matth. in app. P. G. 56, 685.) — Pax *mater* est *bonorum omnium*, ipsa causa est et materia *gaudii.* (Hom. 3 in Ep. ad Coloss. n. 4. P. G. 62, 322.)

Quasi civitas munita.

Fraternae caritatis laus.

Ubi concordia, ibi Deus et omne bonum.

Pacis praeconium.

Digitized by Google

S. Petrus Chrysologus : *Pax* est voluntas Dei, jucunditas Christi, perfectio sanctitatis, justitiae regula, magistra doctrinae, morum custodia, in rebus omnibus laudabilis disciplina, suffragium precum, supplicationum facilis atque impetrabilis via, desideriorum omnium competens plenitudo, dilectionis mater, concordiae vinculum, purae mentis indicium manifestum. — *Plantare pacem radicitus est Dei*, evellere penitus inimici. (*Sermo* 53. *P. L.* 52, 347.)— *Pax caritatis fecundis nutritur uberibus*, alumna est fidei, columna justitiae, spei pignus futurae idoneum. Praesentes sociat, absentes invitat, terrena coelestibus et divinis humana conciliat.(*Serm.* 138. *ib.* 572.)

Est virtutum custos.

S. Gregorius M. : *Sine virtute concordiae* virtutes reliquae *virtutes non esse* monstrantur. (*Hom.* 8. *in Ezech. n.* 8. *P. L.* 76, 857.)— Qui *linguam* non refrenat, concordiam dissipat. (*L.* 7. *Moral. c.* 17 *n.* 57. *P. L.* 75, 800.)— Nunquam *servari concordiam* nisi *per solam patientiam* valet. (*l.* 21. *Moral c.* 21 *n.* 33. *P. L.* 76, 209.)— Melius est de ovili dominico *morbosam ovem* ejicere, quam unius vitio sanas amittere. (*Epist. l.* 11. *ep.* 74. *P. L.* 77, 1214.)

Discordiae pestis.

S. Beda, mon. O. S. B. et Doct. Eccl. († 735) : Qui societatem fraternitatis aliquâ *discordiae peste* commaculant, Christum produnt, ut *Judas.* (L. IV. in Marc. c. 14. P. L. 92, 270.)

Nihil concordiae praeponendum.

Walafridus Strabo, mon. O. S. B. Fuldens. († 849) : *Nihil concordiae praeponamus;* sed per dexteram prosperitatis vel sinistram adversitatis in concordiâ perseveremus! (*Glossa ordin. in Genes. c.* 13, 6-9. *P. L.* 113, 117.)

Haymo, Ep. Halberstatens. O. S. B. († 853): *Fraternitatis unanimitas* veluti *urbs inexpugnabilis;* hostium non patet insidiis. (*Hom.* 116. *P. L.* 118, 622.)

Qui eam spernit ejiciendus est.

S. Bernardus : *Ubi fratrum concordiam* monachus *spernit*, quid ultra in monasterio nisi *scandalum facit?* (De 12 grad. humil. c. 19. n. 49. P. L. 182, 968.) — Ne timeas esse contra caritatem, si unius ejectione scandalum multorum recompensaveris pace. *Melius* est *ut pereat unus, quam unitas.*

Digitized by Google

(Ep. 102. n. 2. ib. 237.) — Quid a foris vos conturbare aut contristare possit, si intus bene estis et *fraterna pace* gaudetis? (*Serm.* 29. *in Cant. n.* 3. *P. L.* 183, 930.)

Hugo a S. Victore: Omnia diabolica arma frangit *concordia.* (In Reg. S. Aug. c. 1. P. L. 176, 883.)

Concordia Deo associat.

S. Bonaventura: *Concordia hic inchoatur*, quae *in futurâ gloriâ* inter electos coelestis patriae *semper datur.* Haec enim bonos confortat, in pugnâ superat, consolatione inebriat, Deo associat, amorem augmentat. (*De septem itinerib. itin.* 7. *dist.* 6.)

S. Antonius de Padua: Concordia dicitur a corde uno; *concordare* enim est *unius cordis fieri.* (Serm. in Dom. XI. p. Trinit.)

S. Antoninus, Archiep. Florent. († 1459): Dicitur *concordia* quasi *unitas cordium* seu voluntatum. (*Summ. theol. P.* 4. *tit.* 5. *c.* 20.)

S. Pachomius, Abb. (*Saec. IV*): Sit inter fratres *pax* et *concordia!* Libenter Majoribus subjiciantur, sedentes, ambulantes ac stantes in ordine suo et invicem *de humilitate certantes.* (Regul. n. 179. P. L. 23, 87.)

S. Orsiesius, Abbas Tabennens. († 365): Quod nostri *coetus communio*, quâ invicem copulamur, *ex Deo* sit, Apostolus nos docuit, dicens: « Bonorum operum communione « nolite oblivisci; talibus enim victimis *placatur Deus.* » — In coenobiis commorantes et *mutuâ nobis caritate sociati*, demus studium, ut quomodo SS. Patrum in hâc vitâ meruimus consortium, ita in futurâ quoque participes eorum simus. (*Doctrina de instit. mon. n.* 50. *P. L.* 103, 473.)

Ecce quam bonum et jucundum.

S. Augustinus: *Manemus in Christo* cum sumus *membra* Ejus. Manet autem Ipse in nobis, cum sumus *templum* Ejus. Ut autem simus membra Ejus, *unitas* nos compaginet. Ut compaginet unitas, quid facit nisi *caritas?* (Tract. 27. in Joan. n. 6. P. L. 35, 1618.) « *Ecce quam bonum et « jucundum habitare fratres in unum.* » Ista verba psalterii, iste *dulcis sonus*, ista *suavis melodia*, tam in cantico quam in intellectu, *monasteria peperit.* Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui in unum habitare concupierunt. Iste versus *fuit*

Digitized by Google

tuba ipsorum. Sonuit per orbem terrarum et qui dispersi erant, congregati sunt in unum... Sic *vivunt in unum*, ut unum hominem faciant et sit illis vere, quomodo scriptum est, *una anima et unum cor;* multa corpora, sed non multae animae... *O quam bonum et jucundum, habitare fratres in unum!* — in unum cor, in unam animam, multa quidem corpora, sed non multa corda! — *O quam bonum* etc.! Nihil auditur *dulcius*, nihil optatur *delectabilius* nec *utilius* possidetur. (*In Ps.* 132. *n.* 2. *P. L.* 37, 1729.)

S. Petrus Chrysologus: Teneat se *profundae pacis nexibus colligata* fraternitas et salutari *vinculo caritatis* mutuâ se dilectione constringat. (*Serm.* 53. *P. L.* 52, 348.)

S. Bernardus: Tu qui in Congregatione es, bene vivis, si vivis *ordinabiliter*, *sociabiliter* et *humiliter;* ordinabiliter *tibi*, sociabiliter *proximo*, humiliter *Deo*... (Serm. 1 in festo SS. Petri et Paul. n. 4. P. L. 183, 407.) — Custodia est *unitatis*, ut in Congregatione positus, voluntates aliorum tuis voluntatibus anteponas, ut non solum *sine querelâ*, sed et *cum gratiâ inter fratres maneas*, portans omnes, orans pro omnibus. (*Serm.* 3 *in vig. Nat. Dni. n.* 6. *ib.* 97.) — Nonne *congregationis tanquam unius matris filii* omnes vos estis, singuli alterutrum fratres? Quid ergo a foris vos conturbare aut contristare possit, si intus bene estis, et *fraternâ pace* gaudetis? Quis vobis nocere poterit, si *boni aemulatores* fueritis? (1 *Petr.* 3, 13.) Quamobrem « *aemulamini charismata meliora* » (1 Cor. 12, 31), ut bonos vos probetis aemulatores! *Charisma peroptimum caritas* est, plane incomparabile, quod novae sponsae Coelestis Sponsus toties inculcare curabat, nunc quidem dicens: « *In hoc cognoscent omnes, quia Mei « estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* » (Joan. 13, 35): nunc vero: « *Mandatum novum do vobis, ut « diligatis invicem* » (Ibid 34): et: « *Hoc est praeceptum Meum, « ut diligatis invicem* » (Joan. 15, 12): itemque orans unum eos fore, *sicut Ipse et Pater unum* sunt (Joan. 17, 11). Et vide, si non ipse *Paulus*, qui te ad charismata meliora invitat, inter cetera caritatem in summo ponit, sive quum « *fide et spe* »

Sponsi mandatum.

Digitized by Google

dicit eam esse « *majorem* » et supereminentem scientiae; sive quum, enumeratis pluribus ac mirabilibus supernae gratiae donis, tandem ad « *superexcellentiorem viam* » nos mittit; haud aliam profecto illam, quam caritatem diffiniens (1 *Cor.* 12, 31). Denique quidnam huic comparandum putemus, quae ipsi *praefertur martyrio ac fidei, transferenti montes ?* (1 *Cor.* 13, 2.) Proinde dilectissimi, *pacem habete ad vos* et nolite laedere invicem, non facto, non verbo, non signo qualicumque, ne quis forte exacerbatus et praeoccupatus a pusillanimitate spiritus et tempestate, Deum interpellare cogatur adversus eos, qui se laeserint aut contristaverint, et prorumpere in verbum grave contingat : « *Filii matris meae pugnaverunt contra me* » (Cant. 1, 5). Sic enim, peccantes in fratrem, in Christum peccatis, qui ait : « *Quod uni ex minimis meis fecistis, Mihi fecistis* » (Math. 25, 45). (Serm. 29 in Cant. n. 3 et 4. P. L. 183, 930 sq.) — Ut perfecta sit sanctificatio, *mansuetudinem et socialis vitae gratiam* a Sancto Sanctorum discamus oportet, sicut ipse ait : « *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* » (Math. 5, 3). Quid enim hujusmodi hominem dicere prohibet « *deliciis affluentem,* » qui suavis et mitis et multae misericordiae, « *omnibus omnia factus* » est, et universos perfundit oleo quodam mansuetudinis et lenitatis, quo sic infusus est, sic perfusus etiam et superfusus, ut stillare videatur undique ? (*Serm.* 5 *in Vig. Nat. Dni. n.* 6. *P. L.* 183, 108.)

Guillelmus, Abb. S.Theod.: *Volo ut, sicut ego et tu unum sumus, ita in nobis ipsi unum sint* (Joann. 17). Hic est finis, haec est consummatio, haec est perfectio, haec est pax, hoc est gaudium Domini, hoc est gaudium in Spiritu S., hoc est silentium in coelo. (*Lib. de contempl. Deo. c.* 4, *n.* 10; *P. L.* 184, 372.)

Gillebertus : *Dilectio* murus est, antemurale *regularis districtio.* Illa cogitationes sanctas et affectus dulces includit ; haec occasiones delinquendi repellit et excludit. (*Serm.* 35. *in Cant. n.* 2. *P. L.* 184, 184.)

Regula monast. Tarnatens. (*seu Agaunens. ad Rhodanum, c.* 570) : Propter quod in unum estis pro timore

Unanimitas.

Digitized by Google

Domini congregati, oportet, ut *in domo Domini unanimes* habitetis, et sit vobis anima una et cor unum in timore Domini pervigilans... Omnes ergo in unanimitate perstantes *honorate in vobis Deum, cujus templa* effici meruistis. Imprimis *diligamus Deum* totâ virtute animi, deinde *proximum;* ista enim *nobis* sunt *praecepta* specialiter data. (*C.* 14. *P. L.* 66, 982.)

S. Serapion, monach. Aegypt. (*saec. IV.*): Volumus *fratres unanimes* in domo *cum jucunditate habitare*, sed qualiter unanimitas ipsa vel jucunditas *recto ordine* teneatur, Deo adjuvante, mandamus. (*Regul. ad monach. c.* 3. *P. L.* 103, 436.)

S. Caesarius, Ep. Arelat. († 542): Hoc *certamen* habete inter vos, qui alterum vincat per humilitatem, *per caritatem;* qui sit minor, qui sit in opus Dei vigilantior, qui patientiam habeat majorem, qui sit tacitus, mitis, blandus, compunctus, ut laetetur Deus et Angeli Ejus de vestrâ sanctâ conversatione et confundatur diabolus, hostis antiquus! (*Regul. monach. n.* 19. *P. L.* 67, 1102.)

Alter alterius onera portet.

S. Alcuinus: Divinâ auxiliante gratiâ, *custodite vos in omni caritate*, humilitate, concordia, in caritate *onera vestra invicem portantes!* Omnis sermo malus, impudicus, impatiens et inutilis ex ore vestro non procedat, sed quae sunt sancta, pia et justa et vestrae condigna sanctitati; ad exhortationem audientium loquimini, et *semper Deus honorificetur* in ore vestro; et *quae ad pacem pertinent veram*, totâ sectamini intentione et Deus pacis erit vobiscum. (*Epist.* 93. *P. L.* 100, 299.)

Se invicem honorare.

Antiochus Laurensis, mon. de S. Saba in Palaest. († 614): Beatus Monachus, qui *ceteros omnes admirationi ducit et honori*, idque post Deum! Beatus plane Monachus, qui *omnium salutem* et *profectum* peraeque ac propriam omni cum gaudio et animi jucunditate curat! Monachus est, qui *unum se esse cum ceteris* deputat per hoc, quod credit impraetermisse se ipsum contueri in unoquoque fratrum... (*Hom.* 80. *P. G.* 89, 1675.) — Quemadmodum Dominico man-

Non quae sua, sed quae fratrum, quaerenda.

Digitized by Google

dato urgemur, et mutuas condonare offensas et pro invicem orare, ita nec debemus, quae nostra ipsorum sunt, *quaerere*, cupidius, sed *quae fratrum, qui ejusdem sunt membra corporis*, ut ne nostro vitio ullam adeant occasionem noxae aut detrimenti... Itaque, fratres, in omnibus voluntati nostrae injiciamus frenum, proximi causa eam praecidentes ; ut *ne auctores ullius simus scandali* aut subversionis audientibus... Scriptura namque habet ac B. Paulus : « *Nemo « quaerat, quae sua sunt, sed quae proximi. Irreprehensibiles « estote et Judaeis, et Graecis, et Ecclesiae Dei ; quemadmodum « et ego omnibus per omnia placeo, non quaerens, quod mihi « ipsi utile est, sed quae multorum, ut salvi fiant.* » Et versus : « *Caritas non quaerit, quae sua ipsius sunt, non irritatur, « omnia suffert, omnia sustinet.* » (Hom. 73. ib. 1646.)

Joan. Cassianus : *Caritas* est, quae, vitalia pectoris nostri circumdans atque communiens, lethalibus perturbationum objecta vulneribus, *contrarios retundit ictus*, nec ad interiorem hominem nostrum *jacula diaboli* penetrare permittit. « *Omnia* enim *suffert, omnia patitur, omnia sustinet.* » (Collat. l. 1, 5. P. L. 49, 674.) — Haec est vera et indirupta *dilectio*, quae geminâ amicorum *perfectione ac virtute concrescit*. Cujus semel initum foedus nec desideriorum varietas, nec contentiosa dirumpet contrarietas voluntatum. Haec est amicitiae *fida indissolubilisque conjunctio, quae solâ virtutum* parilitate foederatur. Idcirco in his tantum indirupta potest dilectio permanere, in quibus *unum propositum* ac voluntas *unumque velle ac nolle* consistit. (*Collat.* 16. *c.* 3. *ib.* 1015.)

Unum velle ac nolle.

S. Leo M., Doct. Eccl. († 440) : Vera *pax* nutrix est dilectionis, genitrix unitatis, requies beatorum et aeternitatis habitaculum. (*Serm.* 26. *c.* 3. *P. L.* 54, 214.)

Custodia pacis necessaria.

S. Bonaventura : *Pax* est coeli linguagium, Christi encaenium et Dei vestigium. (*Diaet. tit*, 7, *c.* 6.)

Dionysius Carthus. : *Custodia pacis thesaurus* vere pretiosissimus est. (*De prof. spirit. art.* 21.)

Joan. Trithemius : *Nullum bonum* subsistit, *ubi pax*

Digitized by Google

non est. — Cito cum pax in congregatione monachorum exstincta fuerit, totus monasticae *disciplinae vigor peribit.* (Prolog. Regul. c. 2.)

Recreatio.

S. Hildegardis, Abbatissa mont. S. Rupert. († 1179): Quia inhumanum est, hominem in taciturnitate *semper* esse et *non loqui*, Pater *Benedictus* in potestate et discretione Abbatis dimittit (quemadmodum ei plurima alia concedit), ut discipulis suis *horam competentem* provideat, quâ ipsi haec, quae honesta et necessaria sunt, ad invicem loquantur, et *ne indiscreto silentio taedio afficiantur;* quoniam post *hujusmodi ad invicem loquendi permissionem*, convenientius et severius ad taciturnitatem silentii admoneri et coërceri poterunt. (*Explanat. Reg. S. Bened. P. L.* 197, 1056.)

Ad aedificationem instituta.

S. Birgitta, († 1373): Virgo Mater S. Birgittae ita locuta est: « *Amici Dei quandoque possunt consolari*, sive *de verbis aedificatoriis*, seu de aliis operibus, in quibus nihil detractorium sit aut inhonestum. Sicut per exemplum intelligere poteris. Si enim *pugnus semper* tenetur *clausus*, aut contraherentur nervi, aut manus debilitaretur. Sic est etiam in spiritualibus. (*Revelat. l.* 4. *c.* 12.)

Necessaria est.

S. Thomas Aqu.: Animus hominis frangeretur, si nunquam a sua intensione *relaxaretur.* (II. 2. quaest. 168. art. 2.)

Joan. Cassianus: Honesta *recreatio* etiam *Religiosis utilis ac salubris* est, et tam corpori quam spiritui gratissima. (*Collat.* 24. *c.* 20. *P. L.* 49, 1311.) — *Arcum non oportet semper tensum circumferre*, ne jugi curvamine rigoris fortitudo laxata mollescat atque depereat, et, quum oportuerit, ut fortiora spicula dirigantur, rigore per nimietatem continuae tensionis amisso, violentior ictus non possit emitti. *Animus*, nisi *remissione quadam rigorem intensionis suae interdum relevet* ac *relaxet*, irremisso rigore lentescens virtuti spiritûs, quum necessitas poscit, obsecundare non poterit. (*Collat.* 24. *c.* 21. *ib.* 1314.)

S. Bonaventura: Sicut *aquila retrahit alas*, ut melius extendat, sic interdum *remittenda* est *disciplina*, ut postea convalescat. (*Diaet. tit.* 4. *c.* 1.)

Digitized by Google

Circumspecte eā utendum.

V. Ludov. Blosius: *Recreationibus* externis et licitis dum uteris, cave abutaris, i. e. sic *circumspecte utere, ut spiritualem profectum adjuvent*, non impediant. Potes quidem animum *ad honorem Dei* remittere, sed eum dimittere non debes. (*Spec. mon. c.* 7.)

Quomodo colloquendum.

S. Anselmus: Semper *frater de fratre ea loquatur*, unde cor ad dilectionem accendatur. (*L.* 3. *ep.* 151. *P. L.* 159, 184.)

S. Hieronymus: *Nihil* aliud *noverit lingua, nisi Christum*, nihil possit *sonare nisi quod sanctum* est. (*Ep.* 130. *n.* 20. *P. L.* 22, 1124.) — Pretiosa Deo lingua est, quae nonnisi *in divinis rebus* novit verba *construere*, et sanctum est os, unde *coelestia semper eloquia* proferuntur. Linguam tuam semper de bonis eloquiis assuesce, et auditum magis tuum *ad bonorum laudem* quam ad malorum vituperationem accommoda. (*Ep.* 13 *n.* 14 *in app. P. L.* 30, 179.)

S. Sulpitius Severus, presb. Aquitan. († 403): Nunquam *in corde* nisi Christus, nunquam *in ore* nisi pax, nisi castitas, nisi pietas, nisi caritas. (*Vit. S. Martini, c.* 27. *P. L.* 20, 176.)

S. Ambrosius: *Loquamur Dominum* JESUM, qui Ipse est Sapientia, Ipse est Verbum et Verbum Dei. (*Enarr. in Ps.* 36. *n.* 65. *P. L.* 14, 1001.)

Hugo Card.: Nihil magis gratiosum reddit hominem, quam *modestia linguae.* (In Eccli. c. 42. v. 1.) — Lingua *praemia aeternae* jucunditatis obtinebit, *si bene regitur.* (In ep. S. Jac. c. 3. v. 6.)

Regula secunda Patrum: Observent fratres, *ut non se invicem fabulis vanis destruant*, sed unusquisque opus suum meditetur et custodiat, et cogitationes habeat apud Deum. In conventu omnium nullus *junior* quidquam *nisi interrogatus loquatur.* Nec se jungat ad fabulas cum peregrino. (*Reg. n.* 2 *et* 3. *P. L.* 103, 441.)

Clemens Alexandrinus: *Lingua* est *psalterium Domini.* (Paedag. l. 2. c. 4. P. G. 8, 442.)

S. Bernardus: Omnis in vobis, qui *fraternas infirmitates*, tam corporis quam animorum, non solum *patienter*

Digitized by Google

supportat, sed insuper, si licet et si valet, *juvat obsequiis, confortat alloquiis, consiliis informat;* omnis, inquam, qui talia operatur in vobis, *bonum omnino spargit odorem* inter fratres, et odorem de unguentis optimis. (*Serm.* 12 *sup. Cant. n.* 5. *P. L.* 183, 830.) — Quibus laudibus dignum, quanto amplectendum putas affectu fratrem illum, qui *sine querelâ conversans inter fratres*, totâ sollicitudine cavet, ne quid in eo sit, quod ab aliis portari oporteat, et, quidquid in aliis est onerosum, *patientissime portat?* (Serm. 1 de Omn. Sanctis n. 14. P. L. 183, 461.)

Communis deambulatio.

Regula monast. Tarnatens.: Quum (ambulando) proceditis, *simul incedite.* Quum ad optatum locum, custodiente Domino, perveneritis, *in unum fraternitas cuncta* subsistat. In incessu, in statu, in omni corporis motu nihil indecens videatur, quod intendentis offendat aspectum; sed illis operam date, quae vestrae conveniunt sanctitati. (*C.* 17. *P. L.* 66, 984.)

Vitandae partiales amicitiae et singularitates.

S. Basilius: In communi monachorum contubernio *amicitias partiales et sodalitates non patitur caritatis lex.* Necesse enim omnino est, divisas affectiones communem concordiam in multis incommodare. Quamobrem *aequaliter se diligere* inter se omnes debent idemque adversus universum fratrum coetum caritatis modus tenendus est..... (*Serm.* 1. *ascet. n.* 5. *P. G.* 31, 879.) — Ubique enim *aequalitatis defraudatio* initium et occasio odii et invidiae iis est, qui eâ defraudantur. Propterea praeceptum a Domino accipimus, *imitari bonitatem Ejus, qui similiter solem facit oriri super justos et injustos.* Quemadmodum Deus aequaliter lumen omnibus communicat, sic Dei imitatores aequalem et communem omnibus dilectionis radium praebent. (*Serm.* 2. *ascet. n.* 2. *ib.* 886.) — Decet fratres caritatem quidem inter se mutuam habere, sed non ita, ut duo aut tres, simul conspirantes, sodalitates aliquas constituant. Non enim hoc caritas est, sed *seditio divisioque* et eorum, qui sic coëunt, improbitatis argumentum. (*Constit. monast. c.* 29. *ib.* 1418.)

S. Pachomius: Monachi, qui *animo uno* esse concu-

Digitized by Google

piscunt et vivere mente communi disposuerunt, *consiliis Majorum inserviant.* Quod ex *consiliis Patrum* processerit, id faciant. (*Regula n.* 191. *P. L.* 23, 90.)

V. Ludov. Blosius: In omnibus, quae a sinceritate statûs monastici aliena non sunt, conforma te communitati, *vitiosam singularitatem ubique vitans.* (Spec. mon. c. 7.)

Conversio morum.

Haeftenius: *Conversio* facienda *a sacculo* ad religionem, *a peccatis* ad poenitentiam, *a vitiis* ad virtutes, *a voluptate* ad continentiam, *a superbiâ* ad humilitatem, *a vanitate* ad veritatem, *a cupiditate* ad caritatem, *a voluntate propriâ* ad voluntatem Dei, *a carne* ad spiritum, *ab exterioribus* ad interiora, *a multitudine* ad unitatem, *a creaturâ* ad Deum. — Advertendum, *voto conversionis* non *voveri* perfectam morum conversionem quasi factam, sed tantum *de convertendis moribus studium;* atque ita non statim praevaricatorem hujus voti censendum, qui in aliquo a Regulâ fuerit lapsus, sed tum primum, cum, fractus taedio, vel animo vel facto sciens et prudens relinquit *studium conatumque mores suos convertendi et secundum Regulam vivendi.* (Catech. Monast. p. 2. disquis. 9. et l. 4. tract. 6. disquis. 5.)

Votum ejusdem.

Religio est perfectionis studium.

S. Thomas Aqu.: *Status Religionis* est quaedam *disciplina* vel *exercitium ad perfectionem perveniendi.* Ad quam quidem aliqui pervenire nituntur *exercitiis diversis, sicut* etiam *medicus* ad sanandum uti potest *diversis medicamentis.* Manifestum est autem, quod illi, qui operatur ad finem, *non ex necessitate* convenit *quod jam assecutus sit finem, sed* requiritur, quod per aliquam viam *tendat ad finem.* Et ideo ille, qui statum religionis assumit, non tenetur habere perfectam caritatem, sed *tenetur ad hoc tendere et operam dare, ut habeat caritatem perfectam.* -- Semper caritas in viâ potest magis et magis augeri. -- Unde *caritatis augmento nullus terminus praefigitur* in hâc vitâ. (*II*, 2. *qu.* 186. *art.* 2 *in corp.* — *II.* 2. *qu.* 24. *art.* 7 *in corp.*)

Ascensus ad perfectionem.

Joan. Cassianus: Audi paucis ordinem, per quem, *ascendere ad perfectionem* summam sine ullo labore ac difficultate valeas. *Principium* nostrae salutis sapientiaeque

Digitized by Google

secundum Scripturas *timor Domini* (Prov. 6. 1.) est; de timore Domini nascitur *compunctio* salutaris; de compunctione cordis procedit *abrenuntiatio*, i.e. nuditas et contemptus omnium facultatum ; de nuditate *humilitas* procreatur ; de humilitate *mortificatio* voluntatum; mortificatione voluntatum extirpantur atque *marcescunt universa vitia ;* expulsione vitiorum *virtutes fructificant* atque succrescunt ; pullulatione virtutum *puritas cordis* acquiritur ; puritate cordis Apostolicae *caritatis perfectio* possidetur. (*De coenob. instit. l.* 4. *c.* 43 *P. L.* 49, 202.)

Vere Deum quaerere.

V. Ludov. Blosius : In primis moneo te, ut saepe serioque *cogites, quare in monasterium veneris :* nempe ut mundo tibique mortuus, soli Deo vivas. — Si aliud praeter *Deum in monasterio quaeris* et ad *vitae perfectionem* totis viribus non adniteris, monachus non es.— Beati et iterum beati *monachi*, qui, etsi pusilli imperfectique sunt, *ad perfectionem* tamen *pro viribus adspirant* et contendunt ! Nam et ipsos ex *adoptivis Dei filiis* esse constat, quos pius Salvator JESUS consolatur dicens : « *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit* « *Patri vestro dare vobis regnum.* » Securi exspectent mortem, etiamsi adhuc in initiis sancti propositi sint ; quia pretiosa erit in conspectu Domini. Securi exspectent mortem; imo non mortem, sed somnum pacis, sed mortis terminum transitumque de morte ad vitam. (*Spec. mon. c.* 1. *et* 8.)

S. Bernardus : *Magnum bonum quaerere Deum.* Ego hoc nulli in bonis animae secundum existimo. Primum in donis, ultimum in profectibus est. Virtutum nulli accedit, cedit nulli. Cui accedat, quam nulla praecedit ? Cui cedat, quae omnium magis consummatio est ? Quae enim virtus adscribi possit non quaerenti Deum, aut, quis terminus quaerenti Deum? « *Quaerite*, inquit, *faciem Ejus semper !* » Existimo, quia nec cum inventus fuerit, cessabitur a quaerendo. Non pedum passibus, sed *desideriis quaeritur Deus.* Et utique non extundit desiderium sanctum felix inventio, sed extendit. Numquid consummatio gaudii desiderii consumptio est ? Oleum magis est illi : nam ipsum flamma. Sic

Digitized by Google

est. Adimplebitur laetitia : sed *desiderii non erit finis*, ac per hoc *nec quaerendi.* Tu vero cogita, si potes, quaeritandi hoc studium sine indigentiâ et desiderium sine anxietate. Alterum profecto praesentia, alterum copia excludit... *Quaerit anima* Verbum, sed quae *a Verbo prius quaesita* sit... (*Serm.* 84. *in Cant. n.* 1. *et* 3. *P. L.* 183, 1184 *sq.*)— *Quaerit anima Verbum*, cui *consentiat* ad correptionem, quo *illuminetur* ad cognitionem, cui *innitatur* ad virtutem, quo *reformetur* ad sapientiam, cui *conformetur* ad decorem, cui *maritetur* ad fecunditatem, quo *fruatur* ad jucunditatem. Propter has omnes causas quaerit anima Verbum. (*Serm.* 85. *in Cant. n.* 1. *ib.* 1187.) — Ubi *Angelica* in hoc corpore conversatio, in corde *Prophetica* exspectatio, in utroque *Apostolica* perfectio invenitur, quantus est iste cumulus gratiarum! Quid retribuetis Domino pro omnibus, quae retribuit vobis? Sublimis gradus : sed eo amplius periculosa ruina. Numquid tres coeli sunt, quos ascendimus? Itaque qui stat, videat ne cadat. — Fratres mei, quandoquidem verissime certissimeque haec est *generatio quaerentium Dominum*, quaerentium faciem Dei Jacob, quid vobis dixerim aliud, quam quod idem Propheta ait : « *Laetetur cor quaerentium Dominum, quaerite Dominum et confirmamini !* » Et quod alius quidam dicit: « *Si quaeritis, quaerite !* » Quid est, «si quaeritis, quaerite?» *In simplicitate cordis quaerite Illum.* Non aliud tanquam Illum, non aliud praeter Illum, non aliud post Illum. *In simplicitate cordis quaerite Illum.* Simplex natura simplicitatem cordis exquirit. Denique et « *cum simplicibus sermocinatio Ejus.* » « *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis* » (Jac. 1, 8). Non potest, quem quaeritis, inveniri ab his, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Aeternitas est, quae nisi perseveranter quaesita, minime invenitur « *Vae* » etiam « *peccatori terram ingredienti duabus viis !* » « *Nemo* » enim « *duobus dominis servire potest.* » Ne hanc quidem duplicitatem amat integritas illa, perfectio illa, illa plenitudo. Indignum enim est ei, ut inveniendam se praebeat, nisi *perfecto* eam *quaesieris corde*... Quem invenerit *tepidum*, *ex ore*

Et Verbum.

In simplicitate,

Inspiritu et veritate.

Digitized by Google

suo evomere incipit Deus; simulator et proditor ubi parebunt? Si « *maledictus, qui facit opus Dei negligenter* ; » qui fraudulenter fecerit, quid meretur?... Veritas est Deus et tales quaesitores requirit, qui quaerant eum *in spiritu et veritate.* Si nolumus frustra quaerere Dominum, *quaeramus veraciter.* quaeramus *frequenter*, quaeramus *perseveranter*, ut nec prae Illo quaeramus aliud, nec cum Illo aliud, nec ab Illo ad aliud convertamur. Facilius est enim coelum et terram transire, quam ut sic quaerens non inveniat, sic petens non accipiat, sic pulsanti non aperiatur. (*Serm.* 37 *de diversis. n.* 8 *et* 9. *ib.* 643.)— Attende solerter, quid diligas, quid metuas, unde gaudeas aut contristeris. Totum enim cor in his quatuor affectionibus est, et de his accipiendum puto, quod dicitur, ut *in toto corde tuo convertaris ad Dominum. Convertatur* proinde *amor tuus :* ut nihil omnino diligas, nisi Ipsum aut certe propter Ipsum. Convertatur etiam ad Ipsum *timor tuus*, quia perversus est timor omnis, quo metuis aliquid praeter Eum aut non propter Eum. Sic et *gaudium tuum* et *tristitia tua* aeque convertantur ad Ipsum; hoc autem fiet, si nonnisi secundum Eum doleas aut laeteris. (*Serm.* 2 *in c. jejun. n.* 3. *ib.* 172.)

In toto corde.

Dionysius Carthus. : Ad *morum conversionem* pertinet, singulas vires animae reformare, in verbis et actibus ordinatum consistere, interiores exterioresque sensus comprimere, quatenus, sicut religiosus *totum, quod est et habet*, in animâ et corpore a Deo accepit, sic totum hoc *ad Dei cultum, amorem et honorem convertat* nec aliquid sui relinquat sibi. (*I. de prof. mon. art.* 6.)

Semper proficiendum.

Origenes, Alexandr. presb. (✝ 253) : Ne putes, quod *innovatio vitae*, quae dicitur, semel facta sufficiat ; sed *semper et quotidie* (si dici potest) ipsa novitas innovanda est. (*Comment. in Epist. ad Rom. l.* 5. *n.* 8. *P. G.* 14, 1012.)

S. Bernardus. : Et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur exstincta, et sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse; saepe putandum est, imo, si fieri possit, semper; quia semper quod putari opor-

Digitized by Google

teat, si non dissimulas, invenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, et non magis suppressa. (*S.* 58. *in Cant. n.* 10 *P. L.* 183, 1060.)

S. Hieronymus : Perfectum esse nolle, delinquere est. (*Ep.* 14. *n.* 7. *P. L.* 22, 352.)

S. Ambrosius : *Nescit tarda molimina* Spiritus Sancti *gratia.* (In Luc. l. 2. n. 19. P. L. 15, 1561.)

S. Bernardus: Modus diligendi Deum, est *diligere sine modo.* (De dilig. Deo c. 1. n. 1. P. L. 182, 974.)

Deus sine modo diligendus.

Imitatio Christi : *Amor* ad magna operanda impellit... *Amor* vult esse liber et ab omni affectione mundanâ alienus... *Amor* onus non sentit, labores non reputat... Est *amor* fortis, patiens, fidelis et prudens, longanimis et virilis... Deo devotus et gratificus. (*L.* 3. *c.* 5.)

Joan. Cassianus : Hoc unicuique utile atque conveniens est, ut *secundum propositum* quod elegit, summo studio ac diligentiâ *ad operis arrepti perfectionem pervenire festinet;* et, aliorum quidem laudans admiransque virtutes, nequaquam a suâ, quam semel elegit, *professione* discedat. (*Collat.* 14. *c.* 5. *P. L.* 49, 959.) — Debemus ad virtutum studia *irremissâ curâ* ac sollicitudine nosmetipsos semper extendere, ipsisque nos jugiter exercitiis occupare, ne, cessante profectu, confestim deminutio subsequatur. Ut enim diximus, in uno mens eodemque statu manere non praevalet; id est, ut nec augmenta virtutum capiat nec detrimenta sustineat. *Non acquisisse enim minuisse est,* quia desinens proficiendi appetitus non aberit a periculo recidendi. (*Collat.* 6. *c.* 14. *ib.* 665.) — *Facilius ad salutarem conversionem* ac perfectionis fastigium carnalis quis, h. e. *saccularis* vel gentilis accedit, *quam is, qui professus monachum* nec tamen vitam perfectionis arripiens secundum Regulam disciplinae, semel *a spiritualis igne fervoris discessit.* — Est enim in eo factus *saeculari deterior,* quod nec miserum se nec caecum nec indigere monitis aut institutione cognoscit. (*Collat.* 4. *c.* 19. *ib.* 606.)

Qui non proficit, deficit!

Digitized by Google

Fervor de die in diem augendus.

S. Antonius, Abb. (✝ 356) : discipulos suos hortatur : « Hoc sit primum cunctis in commune mandatum : *Nullum in arrepti propositi vigore lassescere*, sed *quasi incipientem augere semper* debere, quod coeperit ! » — Idem *S. Antonius* moriens dixit : « Filioli, secundum eloquia Scripturarum, patrum ingredior viam ; jam enim Dominus me invitat. Admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis. *Hodie vos religiosum studium arripuisse arbitremini*, ut coepta voluntatis fortitudo succrescat ! » (*Vita ejusdem a S. Athan. scripta n.* 16 *et* 91. *P. G.* 26, 867. 970.)

S. Joan. Climacus : Fieri non potest, ut altero oculorum coelum, altero terram respiciamus. — « *Quis, putas, est fidelis et prudens* » monachus ? Qui primum ab ingressu religionis ardorem spiritus inexstinctum retinuit, qui usque ad vitae metam exitumque *ignem* igni, *calorem* calori, *studium* studio, *desiderium* desiderio *semper addendo conatus est augere.* (Scal. parad. gr. 3. et 1.P gr. 88, 6. 70. 643.)

Quae retro sunt, obliviscenda.

S. Joan. Chrysostomus locum S. Pauli ad Philipp. 3. 13 sq. ita interpretatur : S. Paulus post mille mortes, post tanta pericula istud arbitratus est de se ; quanto magis nos ! *Obliviscenda* ergo et nobis *recte facta*, et a tergo relinquenda. — Etenim, *qui currit*, non *reputat*, quantum spatii confecerit, sed *quantum adhuc desit.* Ita et nos non, quantum virtutis impleverimus, reputemus, sed quantum adhuc supersit ! Quid enim nos juverit, quod confectum est, si, quod deest, adjectum non fuerit ? — Et non dixit Apostolus, non reputans neque memorans, sed « *obliviscens.* » Nam ita demum diligentes et seduli reddimur, quando *omnem animi promptitudinem et alacritatem ad id, quod adhuc superest, assequendum collegerimus* et reparavimus, quando praeterita oblivioni mandaverimus. — « *Ad ea vero, quae sunt priora, extendens me ipsum.* » Enitens enim is est, qui *pedes*, quamquam currentes, reliquo corpori *antevertere studens*, seipsum ad ea, quae a fronte sunt, extendit, et *manus quoque protendit*, ut etiam amplius quidquam ultra cursum efficiat. Hoc vero fit ex multâ animi alacritate, ex multo fervore. *Sic oportet*

Digitized by Google

currentem currere, cum tanto studio, cum tantâ alacritate, non pigre. (*Hom.* 12. *in ep. ad Philipp. n.* 1. *P. G.* 62, 271.)

S. Augustinus : *Caritas*, ut perficiatur, *nascitur;* cum fuerit nata, *nutritur;* cum fuerit nutrita, *roboratur;* cum fuerit roborata, *perficitur.* (Tract. 5. in ep. 1. Joan. n. 4. P. L. 35, 2014.) — *Desiderando capax efficeris*, ut, cum venerit, quod videas, implearis. Sicut enim, si velis impleri aliquem *sinum* et nosti, quam magnum est, quod dabitur, extendens sinum sacci vel utris vel alterius rei, nosti, quantum missurus es; et si videas, quia angustus est sinus, extendendo facis capaciorem : sic *Deus differendo extendit desiderium*, desiderando extendit animum, extendendo facit capacem. Desideremus ergo, fratres, quia implendi sumus ! *Videte Paulum* (Philipp. 3. 12 s.) *extendentem sinum*, ut possit capere, quod venturum est. Dicit : « *Non quia jam acceperim aut jam perfectus sim.* « *Fratres, ego me non arbritror apprehendisse.* » Quid ergo agis in hâc vitâ, si nondum apprehendisti ? « *Unum autem :* « *quae retro, oblitus, in ea, quae ante sunt, extentus,* » secundum intensionem « *sequor* » ad palmam supernae vocationis. (*Tract.* 4 *in ep.* 1. *Joan. n.* 6. *ib.* 2008.) — *Proficite, fratres mei !* Discutite vos semper sine dolo, sine adulatione, sine palpatione ! Non enim est aliquis intus tecum, cui erubescas et jactes te. Est ibi, sed cui placet humilitas... *Semper tibi displiceat, quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es !* Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris : « *Sufficit !* » periisti. *Semper adde*, semper *ambula*, semper *profice !* Noli in viâ remanere, noli retro redire, noli deviare ! (*Serm.* 169. *c.* 15. *n.* 18. *P. L.* 38, 926.) — Quid interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu *navis* operiatur, an *paulatim subrepens aqua* in sentinâ et *per negligentiam derelicta* atque contempta impleat navem atque *submergat ?* (Ep. 265. n. 8. P. L. 33, 1089.)

Extendens dus cordisinus.

S. Gregorius M. : Si, quod videtur gerendum, sollicitâ intentione *non crescit*, etiam quod fuerat bene gestum *decrescit.* In hoc quippe mundo humana anima quasi *more navis* est, *contra ictum fluminis conscendentis;* uno in loco

Digitized by Google

Vita via est aut ascendens aut descendens.

nequaquam stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. (*Reg. Pastoral. p.* 3. *c.* 34. *P. L.* 77, 118.)

S. Anselmus : *Vita* praesens *via est* nec, quamdiu vivit homo, aliud facit, nisi ire, *aut ascendens* in coelum bene vivendo, *aut descendens* in infernum male vivendo. Quodsi ergo ad propositum vobis coelum vultis pertingere, necesse est vos *sanctis actionibus tanquam totidem passibus* illuc *proficere.* In quo hoc unum notandum est, quod multo velocius faciliusque descenditur, quam ascenditur. (*L.* 3.*ep.* 138. *P. L.* 159, 171.)

Vovistis Domino vestros *convertere mores :*
Jam nunc peccatis sit modus et vitiis.
Nunc *humilis* vivat, qui vixerat ante superbus.
Sit *castus*, quisquis luxuriosus erat.
Quaerebat census aliquis, captabat honores :
At modo *vilescant census honorque* sibi.
Gaudebat dapibus, gaudebat divite mensâ :
Nunc tenuem victum *sobria coena* dabit...
Haec veniam, fratres, conversio vera meretur.
Haec valet offenso vita placere Deo. —
(In carm. de mundi contempt. v. 25 sq. P. L. 158, 689.)

S. Bernardus : Recta quidem semita vestra, carissimi, et *securior via*, non tamen omnino secura. Timendum enim *periculum triplex*, id est, ne forte aut *aequare se alteri*, aut *respicere retro*, aut certe in medio ponte stare seu *residere* quis velit... Contra primum ergo periculum oremus singuli cum Propheta : « *Ne veniat mihi pes superbiae, quoniam ibi* « *ceciderunt, qui operantur iniquitatem* » (Ps. 31, 12). Jam de eo, qui « *mittens manum suam ad aratrum, postea retro convertitur,* » certum est, quoniam labitur statim, et pelagus operit caput ejus. Sed et *qui stare voluerit*, non quidem relinquens ordinem, sed proficere in eo dissimulans, cadat necesse est, ab his, qui sequuntur, impulsus et eversus; arcta enim est via, et impedimento est proficere et proficisci volentibus. Hinc est, quod jugiter arguunt et reprehendunt, quod ferre nequeunt tepiditatis ejus segnitiem, quod velut

Digitized by Google

quibusdam stimulis urgent, et impingunt manibus : ut unum necesse sit e duobus, aut proficere scilicet, aut prorsus deficere. *Minime* igitur *oportet sistere gressum :* respicere quoque retro, aut aequare nos aliis multo minus expedit : sed *totâ humilitate currendum* nobis et properandum. (*Serm.* 35. *de div. n.* 2. *P. L.* 183, 635.) — Vera *virtus finem nescit,* tempore non clauditur. Numquam justus arbitratur se comprehendisse : *numquam* dicit : « *Satis est ;* » sed semper « *esurit sititque justitiam* : » ita ut, si semper viveret, semper quantum in se est, justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum vel ad tempus, instar mercenarii, sed in aeternum divino se mancipat famulatui. Audi vocem justi : « *In aeternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me* » (Ps. 118, 93). Et rursum : « *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum* » (Ibid. 112). Non igitur ad tempus. Proinde « *justitia ejus manet,* » non aliquanto tempore, sed « *in saeculum saeculi* » (Ps. 111, 3). Sempiterna itaque justi esuries sempiternam meretur refectionem; et licet in brevi consummetur pro tempore, judicatur tamen explesse tempora multa pro virtutis perpetuitate... Itaque *indefessum proficiendi studium, et jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur.* Quodsi studere perfectioni, esse perfectum est, profecto *nolle proficere, deficere est.* Ubi ergo sunt, qui dicere solent : « Sufficit nobis, nolumus esse meliores quam patres nostri? » O monache, non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, vivere volo et manere, in quo perveni, nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest. *Quid* enim *stat in hoc saeculo?* Et certe de homine specialiter dictum est : « *Fugit velut umbra et numquam in eodem statu permanet* » (Job. 14, 2). Ipse denique hominis saeculique auctor, quamdiu in terris visus est et cum hominibus conversatus, numquam stetit. Et quidem, teste Scriptura « *pertransiit benefaciendo et sanando omnes* » (Act. 10, 38). Pertransiit autem, sicut non infructuose, ita non

Semper de bono in melius proficiendum.

Jugis conatus ad perfectionem.

Christum sequere currentem.

Digitized by Google

remisse, non pigre, non lento gressu; sed, quemadmodum item de ipso scriptum est: « *Exultavit ut gigas ad currendam viam* » (Ps. 18, 6). Porro currentem non apprehendit, qui et ipse pariter non currit. Et quid prodest sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus aiebat: « *Sic currite, ut comprehendatis* » (1 Cor. 9, 24). Ibi tu, Christiane, fige tui cursus profectusque metam, ubi Christus posuit suam. « *Factus est*, inquit (Apostolus), *obediens usque ad mortem* » (Philipp. 2, 8). Quantumlibet ergo cucurreris, si usque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendis. *Bravium Christus est.* Quod si Illo currente tu gradum sistis, non Christo appropias, sed te magis elongas; timendumque tibi est, quod ait David: « *Ecce, qui elongant se a Te, Domine, peribunt* » (Ps. 72, 27). Itaque si proficere currere est, ubi proficere, ibi currere desinis: ubi vero non currere, ibi et deficere incipis. Hinc plane colligitur, quia nolle proficere nonnisi deficere est. Vidit *scalam Jacob* et in scala Angelos, *ubi nullus residens, nullus subsistens* apparuit; sed vel ascendere, vel descendere videbantur universi (*Gen.* 28, 12): quatenus palam daretur intelligi, inter profectum et defectum in hoc statu mortalis vitae nihil medium inveniri, sed quomodo ipsum *corpus* nostrum continue *aut crescere constat aut decrescere;* sic necesse sit, et spiritum aut proficere semper aut deficere. (*Ep.* 254. *n.* 2. *sq. P. L.* 182, 460 *sq.*) — Non est stare omnino in pendulo fragilis scalae, neque in incerto hujus mortalis vitae quicquam in eodem statu permanet. « *Non habemus hic manentem civitatem,* » nec futuram adhuc possidemus, sed inquirimus. Aut ascendas necesse est aut descendas; si attentas stare, ruas necesse est. *Minime* pro certo est *bonus, qui melior esse non vult;* et ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus. (*Ep.* 91. *n.* 3. *ib.* 224.) — « *Cum consummatus fuerit homo, tunc incipit* » (Eccli. 18, 6). Indicium ergo tuae consummationis est, quod nunc coepisti; et in quo arbitrabaris te non comprehendisse, jam comprehenderas. *Nemo* quippe *perfectus, qui perfectior esse non appetit;* et in eo quisque perfectiorem se probat, quo ad majorem tendit

Vita est scala Jacob.

Digitized by Google

perfectionem. (*Ep.* 34. *n.* 1. *ib.* 140.) — Ita, quaeso, ita facite, dilectissimi! Discipulus quippe proficiens, gloria est magistri. Quisquis in schola Christi non proficit, Ejus indignus est magisterio... « JESUS (autem), ut ait Evangelista, *crescebat et proficiebat sapientiâ et aetate et gratiâ apud Deum et homines* » (Luc. 2, 52). Ille « *exultavit ut gigas ad currendam viam* » (Ps. 18, 6) : et nos quoque, si non desipimus, *curremus post Eum, trahemur in odore unguentorum Ipsius.* Alioqui si elongari contigerit, erit pigritanti animae et laboriosior et periculosior via, dum nec odore recreari nec certa possit agnoscere vestigia longius abeuntis. « *Sic ergo currite, Fratres, ut comprehendatis!* » (1 Cor. 9, 24.) Quod sane ita fiet, si nequaquam arbitramini vos comprehendisse, sed *obliti quae retro sunt, extenditis vos in anteriora* (Philipp. 3, 13). « *Si apprehendatis disciplinam, nequando irascatur Dominus et pereatis de viâ justâ* (Ps. 2, 12). *Qui edit me*, ait Sapientia, *adhuc esuriet; et qui bibit me, adhuc sitiet* » (Eccli. 24, 29), ut noverit piger, qui digne prorsus lapidatur stercoribus boum (*Ibid.* 22, 2), fastidium sibi non de satietate, sed de inediâ generari. Denique, quia « *omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti* » (Rom. 8, 28), moveat nos ipsum quoque *saecularis cupiditatis exemplum!* Quem enim ambitiosum vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus ad alias non anhelare? Sic et curiosi cujusque non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu. Quid? eorum, qui avaritiae serviunt, aut amatores sunt voluptatum, seu vanas sectantur hominum laudes, nonne et ipsorum *insatiabilia desideria* arguunt nos negligentiae et tepiditatis? Pudeat certe spiritualium nos bonorum minus cupidos inveniri; erubescat anima conversa ad Dominum, minori affectu sectari justitiam, quam iniquitatem antea sectaretur! Est enim causa quoque valde dissimilis, « *Stipendium quippe peccati mors* » (Rom. 6, 23), fructus autem spiritus vita aeterna. Pudeat proinde negligentius nunc in vitam, quam prius in mortem ire, et minori studio salutem acquirere, quam perditionis

Moveat saecularis cupiditatis exemplum.

Digitized by Google

Quo citius, eo facilius.

augmentum! Nam, ut omnino simus inexcusabiles, *in viâ vitae, quo citius, eo facilius curritur;* et leve Salvatoris *onus, quo crescit amplius, eo portabilius* est. (*Ep.* 385. *n.* 1-3. *P. L.* 182, 588). — Ambulemus, dum lucem habemus, ne tenebrae nos comprehendant (*Joan.* 12, 35). Ambulare proficere est. Ambulabat Apostolus qui dicebat: « *Non arbitror* « *me comprehendisse.* » Et addit: « *Unum autem: quae retro sunt obliviscens, ad ea, quae ante sunt, me extendo* » (Philipp. 3, 13). Quid est « *unum autem?* » Unum autem, inquit, quasi remansit mihi ad remedium, ad spem, ad consolationem. Quid illud? « *Quae retro sunt* » videlicet « *oblivi-* « *scens, ad ea, quae ante sunt, me extendo.* » Magna fiducia, quod magnum electionis vas, perfectum (i. e. perfectionem) abnuens, profectum fatetur. Ergo non ambulantem, sed *sedentem a mortis tenebris comprehendi periculum* est. Et quis sedens, nisi qui non curat proficere? Id caveto, et si morte praeoccupatus fueris, in refrigerio eris. Dices Deo: « *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo* » nihilominus « *omnes scribentur* » (Ps. 138, 16). Qui *omnes?* Profecto qui in desiderio proficiendi inveniuntur. (*Serm.* 49. *in Cant. n.* 7. *P. L.* 183, 1019.) — In omnibus fere religiosis congregationibus... invenire est homines pusillanimes et remissos, deficientes sub onere, virgâ et calcaribus indigentes; quorum remissa lactitia, pusillanimis tristitia est; quorum brevis et rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio; quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine aedificatione. (*Serm.* 5. *in Ascens. n.* 7. *P. L.* 182, 318.) — Subit quidam animi rigor, et vigor lentescit; languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor sollicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, sopitur ratio, spiritus exstinguitur, defervescit novitius fervor, ingravescit *tepor* fastidiosus, refrigescit fraterna caritas. (*Serm.* 63. *in Cant. n.* 6. *P. L.* 183, 1083.) — Timendum est, ne quando *tepidi* eâtenus Deum offendant, ut manifeste abjiciantur et evomantur ab Eo, aut si pudor neget apostasiam corporis, tepor ipse

Intelix spidus.

Digitized by Google

paulatim ingerat apostasiam cordis. (*Serm.* 3. *in Ps.* 90. *n.* 5. *P. L.* 183, 194.) — Divina solet pietas ordinare, ut quanto plus quis profecerit, minus se reputet profecisse. (*Serm.* 25. *de dev. n.* 4. *P. L.* 183, 607.) — Exsurgamus, obsecro, quicumque tepidi sumus, resarciamus animam, spiritum recolligamus, *abjicientes perniciosam tepiditatem.* Et si non quia periculosa est, et Deo solet, ut interdum miserabiliter plangimus, vomitum provocare, certe quia molestissima; plena miseriae et doloris et inferno plane proxima umbra mortis jure censetur. (*Serm.* 5 *de Ascens. n.* 7. *P. L.* 183, 319.)

Grandis via sanctitatis.

Guillelmus, Abb. S. Theod.: Fratres, nolite negligere, nolite tardare! *Grandis* enim vobis *restat via. Altissima est professio vestra*; coelos transit, par Angelis est, angelicae similis puritati. Non solum vovistis omnem sanctitatem, sed omnis *sanctitatis perfectionem* et omnis consummationis finem. Non est vestrum, circa communia praecepta languere, neque hoc solum attendere, quid praecipiat Deus, sed quid velit, probantes, « *quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta* » (Rom. 12). Aliorum est enim Deo servire, vestrum adhaerere. Aliorum est Deum credere, scire, amare, revereri; vestrum est sapere, intelligere, cognoscere, frui. Magnum est hoc; arduum est hoc! Sed omnipotens et benignus est, qui in vobis est pius promissor, fidelis redditor, et indefessus adjutor. (*Ep. ad Fratr. de mont. Dei l.* 1. *c.* 2. *n.* 5 *P. L.* 184, 311.)

Deo sanct vivendum.

S. Anselmus: Congregatio vestra templum Dei debet esse; at « *templum Dei sanctum* » est. Si ergo sancte vivitis, i. e. si *ordinis proposita diligenter custoditis* nec minima contemnitis, templum Dei estis. (*Epist. l.* 3, 125. *P. L.* 159, 161.) Scitis, filii carissimi, meum de vobis desiderium, ac saepe audistis, quid meas consoletur tribulationes in vobis. Si corda vestra *soli Deo* student *vacare* proposito, quod fortiter arripuistis, velut *boni in Christi vineâ operarii* strenue insudatis, si *mundum vobis crucifixum* et vos mundo vita vestra testatur; si *non vobis, sed Deo,* i. e. non vestrae, sed Dei voluntati *vivitis*, si etiam in minimis *Deum valde timetis*, si *districtio-*

Digitized by Google

nem ordinis vestri amatis, quam qui odit, certissimo signo se vitiosum esse et diligere dissolutionem demonstrat, si *pacem inter vos* et *obedientiam Priori* servatis, — hoc est meum de vobis desiderium, haec consolatio mea et requies in vobis. Haec cogitate, haec retractate ac facite, si me laetificare, imo si Deum vobis vultis placare! Haec vobis Spiritus Sanctus persuadeat pro hisque gloriae suae beatam exhibeat visionem! Amen. (*Ep. l.* 3, 76. *ib* 114. *P. L.* 159, 113.)

S. Augustinus: Quis non monachos miretur et praedicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, *in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati*, simul aetatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nullâ superbiâ tumidi, nullâ pervicaciâ turbulenti, nullâ invidentiâ lividi, sed *modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intentissimam in Deum*, gratissimum munus Ipsi offerunt, a quo ista posse meruerunt?... Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum, si laudare velim, neque digne valeo... (*De morib. eccl. cath. l.* 1. *c.* 31. *n.* 67. *P. L.* 32, 1338.)

Digitized by Google

Secundum Elementum.

Opus Dei in choro quotidie perficiendum.

Communis oratio — Ejus ratio — Angelis aequat et sociat — A Christo et Apostolis tradita — A SS. P. Benedicto disposita — Ejus excellentia — Psalmus — Operis Dei fructus — S. liturgiae laus — Speciale exauditionis promissum — Christus orantium in choro caput — Chorus Ecclesiae et populi spes — Felix monachi sors — Vox Sponsae Christi et creationis.

Declaratio.

Communis oratio (officium divinum).

Coenobium familia Dei est ac monachus adoptionis filius; "*nonne in his*" praecipue, "*quae Patris*" ejus "*sunt, oportet eum esse*" (Luc. 2, 49), h. e. in oratorio, in *choro?* Quodsi reliqua omnia in coenobio communiter fiunt, numquid dignum est ac justum, *principale opus* seorsum privatimque persolvi? Imo vero ad hoc ipsum, sicut decet, perficiendum monachi a saeculo recedentes in unum sese corpus mysticum congregarunt. Considera, quaeso, dilecte frater, **communis orationis** rationem, fructum ac virtutem.

Ejus ratio.

Huic orationi qui se sociat, tam corpore quam animo Deum colit. Est adorator Altissimi non "*in spiritu*" modo, sed plenâ "*in veritate*", quippe qui vere cunctis viribus Ei serviat, totum hominem in debitum tradat Creatoris Redemptorisque servitium, ita ut

Digitized by Google

spiritus carnem elevet, nobilitet, transfiguret, *caro* spiritum amplius incitet atque inflammet, et ut simul *caro ac spiritus* incarnatum glorificent Patris Verbum. *Divinum* deinde *officium* sive *cultus Dei publicus* et *communis* vere *catholicus* est, catholicae Ecclesiae proprius. Luculentissime enim ante oculos ponit *Sanctorum*, quam credimus, *communionem*, suavem referens imaginem mystici corporis Christi. Jam, siquidem claustrum coeli instar est civitas ac familia Dei, monachi " *erunt sicut Angeli in coelis* " (Marc. 12, 25), qui Patris " ma-

Angelis aequat et sociat.

" jestatem *socià exultatione concelebrant* nec " cessant clamare, *unâ voce* dicentes: Sanctus, " Sanctus, Sanctus! " Sunt quippe " *almae Sionis aemuli* ", augustissimum gloriaeque plenum in terris sortiti coelicolarum ministerium. Quinetiam, quicunque in coelis terrisque Deum colunt, unius ejusdemque proprie familiae sunt filii, in divinâ laude perpetuo juncti atque consociati. Idcirco Angeli coram Bethlehemiticis pastoribus nocturnas *Christo* cantarunt vigilias, nec dubium est, quin Salvatori concinerint, quum *in Coenaculo* primam cum Apostolis Missam conventualem (*Cf.* "*Hymno dicto*" *Matth.* 26, 30; *Marc.* 14, 26) et *in Cruce* cum beatissima Matre sua, Joanne piisque mulieribus celebraret cruentum illud ac summe adorandum Pontificale Sacrificium. Quibus

A Christo et Apostolis tradita.

Digitized by Google

considerationibus impulsa communem orationis cultusque modum *s. Ecclesia* et ab initio instituit et summo semper favore prosecuta est. Primitiae enim ipsius "*erant perseverantes in communicatione fractionis panis et orationibus, quotidie in templo unanimiter perdurantes*" (Act. 2, 42 et 46; cf. 12, 5).

A SS. P. Benedicto disposita.

Idem spectavit SS. monachorum Patriarcha, quum instituit ac disposuit diligentissime *Opus Dei*. Maximi igitur facias vehementerque diligas hoc sacrum tuum ac palmare munus. Etiam atque etiam cogita, quanta sit ejus excellentia. Ipse est Deus, qui Sua vel sanctorum *eloquia, cantica, hymnos* tuo imponit ori. Quid dicamus de *psalmis*, immortalibus illis ac suavissimis canticis, quae Spiritus S. e pectore "*viri secundum cor Dei*" elicuit, ut omnium exin saeculorum pia vota, suspiria, preces ac laudes ad coelos deportent reportentque divina lumina, solatia, gratiarum subsidia? Studiose porro expende, quam vere sit divinitus dictum: "*Sacrificium laudis honorificabit Me, et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei*" (Ps. 49, 23).

Ejus excellentia.

Psalmus.

In primis tibimetipsi mirum est, quot et quanta ex officio divino *animae bona* fluant. Salutaris enim haec precum conjunctio animum tuum suavi perfundit tranquillitate, solatio ac gaudio S. Spiritus. Eadem insigniter animam tuam *purgat, illuminat unitque* Deo. Aperit

Operis Dei fructus pro te.

Digitized by Google

quodammodo coelos ita, ut *manna* inde pluat, omne in se habens delectamentum, *epulum vere coeleste*, quod et cor pascat et mentem transformet a claritate in claritatem (2 *Cor.* 3, 18). Est eadem orationis communio Jordanis instar *sacrum* quoddam *balneum*, in quo *septies* per diem mersus maculas abluas renovesque ut aquilae juventutem animae. Egregium profecto est pietatis adjumentum, pignus virtutis, fortissimum adversus spiritum saeculi praesidium, piissimum obedientiae erga s. Ecclesiam exercitium, atque divinae contemplationis fons abundans. O quam *bonum* est *confiteri Domino et psallere nomini Tuo, Altissime!*" (Ps. 91, 1).

Pro fidelibus.

Praeterea, in fideles quae inde vis exaedificans redundet, mente revolve ac pondera. Publicus enim Dei cultus nonne *cor perarat*, *convertit*, leniter *mulcet*, simulque divinum *invitat Seminatorem*, ut semen suum coeleste spargat? Idem uberrimis animas *irrorat gratiis* summamque parat laudem ac commendationem *sacrae Liturgiae*, utpote quae vere sit "*fons aquae salientis in vitam aeternam*" (Joan. 4, 14), seu "*lignum vitae, per menses singulos reddens fructum suum*" in paradiso Ecclesiae (*Apoc.* 22, 2). Cujus utinam omnes scirent donum, reputantes secum, in *s. Liturgia* habitare in nobis Verbum carnem factum, veritatis plenum et gratiae, ac membra suae vitae

S. Liturgiae laus.

Digitized by Google

spiritu perfundens! Accedit *speciale*, quo communis oratio ornata est, *exauditionis promissum*. Ipse enim Dominus dicit: " *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine Meo, ibi sum in medio eorum*," quapropter " *de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre Meo, qui in coelis est* " (Matth. 18, 19 sq.). JESUS CHRISTUS igitur orantium in choro, ut caput, ita etiam dux ac mediator est, pro eis interpellans, Ejusque *Spiritus Ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (Rom. 8, 26). Hinc illa, quam et s. Ecclesia et populus Christianus in canonicâ potissimum oratione reponit, *spes* ac *fiducia*, adeo certa, ut eos, qui divino vacant officio, aciem nuncupent in antiquum hostem ordinatam, *propugnaculum pacis* ac *salutis*, alterum *Moysen*, qui *in monte sancto* manus levans victoriam conciliat populo Israël (*Ex.* 17, 11).

Speciale exauditionis promissum.

Christus orantium in choro caput.

Chorus Ecclesiae et populi spes.

Et haec quidem communis oratio tuum singulare est munus, felix *tua sors*, tuum peculiare officium. *Benedictinus* vocaris, quasi ut *benedicas* Deum laude perenni, eoque ipso *benedicaris* ab Eo modo speciali. " *Monachi propter chorum fundati* " sunt, ut eorum voce tanquam suâ ipsius utatur Sponsa Christi, ideoque velut tubicines sunt creationis, fidelium interpretes, patroni ac procuratores apud Altissimum. Ergo tu quoque in electorum numerum adscriptus es, de quibus Dominus loquitur:

Felix monachi sors.

Vox Sponsae Christi et creationis.

Digitized by Google

Palmare officium.

"*Populum istum formavi Mihi: laudem Meam narrabit*" (Is. 43, 21). Ac s. Ecclesia ministerium tibi angelicum ac vere principale assignavit, die noctuque in summi Regis palatio praecipuum tenendi locum ac laudis sacrificium offerendi. *Nihil* tibi profecto *tam officium quam divinum.* Caput et arx est vitae coenobiticae, Religionis medulla, caementum monachorum, omnium occupationum corona sive "*primum*" illud, cui "*reliqua*" ut minus honorata ac digna solummodo "*adjicientur,*" quo nihil omnino praestabilius, antiquiusve habendum est.

Nihil praeponendum.

Haec est causa, cur Patriarcha noster in disponendo opere Dei tredecim, imo *septemdecim s. Regulae capita* consumpserit. Insculpenda igitur cuivis coenobio sunt aurea ejus verba: **Nihil operi Dei praeponatur.** Vult pius legifer tuus, ut palmare chori officium exquisito in honore habeas et unice diligas, sciens, insignem te gerere similitudinem illius "*Angeli,*" qui, "*stetit ante altare habens thuribulum aureum,* "*et*" cui "*data sunt incensa multa, ut daret* "*de orationibus sanctorum omnium super* "*altare aureum, quod est ante thronum Dei*" (Apoc. 8, 3). Jamvero animo inhaereat tuo, gloriosum illud munus a SS. Patriarcha **opus** appellari. Laboriosa nimirum res est, in quâ oportet omnem curam industriamque te collocare. Ideo *sollicitus* esto *ad opus Dei,* diligen-

Summe honorandum ac diligendum.

Est opus seu labor.

Sollicite persolvendum,

Digitized by Google

tissimam adhibens praeparationem. Ut campana sonat, tibimet dic: "*Hoc signum magni Regis est; eamus!*" Et omnibus relictis ad chorum convola, sicut ad mellifluum apes alveum. In *statione*, quam vocant, excute animum, ut, qui coram Domino compareas, dignus sis, soli divino servitio vacaturus. *Oratorium* tanquam coelestem regiam ingressus, sic ad modestiam pietatemque compositus sis, ut adorationem omnino spires tuumque Regem ac Sponsum praesentem testeris. Jam ipsum *opus Dei* persolvas *digne*, *attente* ac *devote*, religiosissime servans, quoscunque s. Ecclesia praescripsit, sacros *ritus* ac *ceremonias*. E studio enim a te impenso metiri licet, quae tua erga Deum sit fides et pietas, quae vocationis aestimatio ac religio, qui denique zelus domus Dei.

Digne, attente, devote

Dominici studiosus servitii ita **recitabis,** ut dilucida sint, clara atque distincta verba in honorem Verbi increati, ex quo omnis emanat veritas. Tali modo et internus gustatur verborum sensus et cor coelesti lumine atque unctione perfunditur. Tam in psalmodiâ quam in **sancto Ecclesiae cantu** et mens tua concordet voci et vox menti. "*Sonet vox tua in auribus*" Sponsi ita, ut "*vox*" sit Illi "*dulcis et facies*" quae est anima "*tua decora*" (Cant. 2, 14). Castae in sacris hymnis resonent Angelorum

Quomodo recitandum et cantandum.

Digitized by Google

melodiae, ut una tecum *aedificentur audientes* et, sicut animi, ita sensus jucunde ad Deum convertantur. Sic "*psallitur sapienter*," jubilatur in timore ac laetitiâ, in cordis simplicitate et puritate, in reverentiâ, humilitate et lacrymarum compunctione. O te perbeatum, si tua erit laus illa: "*Ecce verus Dei cultor: de omni* "*corde suo laudavit Dominum, et dedit in cele-* "*brationibus decus, et dilexit Deum, qui fecit illum*"! (Eccli. 47, 10, 12.) Atqui, opus Dei non tantum divino constat officio. Hoc, ut ita dicam, quasi pretiosum quoddam est involucrum, pretiosiorem condens thesaurum, vel tanquam radiata corona, quâ splendidus circumdatur sol, fons omnium luminum atque flammarum.

Sacrificium altaris.

Sacrificium laudis adornat tantummodo decoratque **Sacrificium altaris,** sacrosanctum illud atque adorandum mysterium, in quo, quae in sublimi coelorum altari, in conspectu divinae Majestatis, a Summo Sacerdote sine intermissione, exultantibus coelicolis, fiunt, ante oculos nostros mystico sub velamine perficiuntur. Eadem est divina hostia, quae in throno gloriae et nostro in altari sese aeterno Patri offert in propitiationem vivorum ac vitâ functorum. Quantâ igitur cum innocentiâ, devotione atque admiratione, et quam castis seraphicisque suspiriis ac jubilationibus quotidie solemni, quae cantatur, **Missae conventuali** assistere et

Missa conventualis.

Digitized by Google

ipsemet **Sacrum facere** debeas, verbis sat dignis exprimi vix potest. Summo jure sanctissimum hoc "*fidei mysterium*" finis habetur et centrum totius Religionis cultusque divini. Itaque intimo usque ardentissimoque pii animi amore prosequeris sacrosanctam **Eucharistiam**, coelestem illum in tabernaculo habitantem Emanuelem, qui se tibi tanquam dulcissimum praebet socium, convivium ac solatium, animam tuam divinâ virtute pascens, corroborans, deliciis sacris semperque novis oblectans, vere panis fortium, vinculum caritatis ac gloriae futurae pignus.

S. Eucharistia.

Ecce *Sacrificii Officiique* divini arcta connexio, unde, quam conveniens sit *chori* atque *altaris* propinquitas, plane liquet. *Altare* cor est chori, *chorus* seu presbyterium altaris complementum. In ambobus conjunctis, *quasi in coelesti theatro*, divinum benedictae redemptionis sanctificationisque *drama* celebratur, quod per *s. Liturgiam* apparatur et in quo vita divina per sanctam diffunditur Ecclesiam. Quapropter etiam *Abbatem* tuum, qui aeterni Pontificis loco et choro praesidet et tremendum solemnissime sacrificium super altare conficit, *Pontificali* gaudes *dignitate* vigere. Ecquis te felicior, frater, quippe quem Deus evocaverit, ut coelestis istius dramatis partes suscipias vitâque illâ s. Ecclesiae divinâ abunde replearis?

Chorus et altare.

Digitized by Google

Monachus vir Dei et Ecclesiae.

Ex fide vivens.

Coram Deo ambulans.

Addictus SS. Cordi JESU *et B. V. Mariae.*

Angelis et Sanctis.

S. Ecclesiae et Summo Pontifici.

Revera singulari modo *vir Dei* es sive, quod idem sonat, *vir Ecclesiae, vir fidei, orationis* ac *s. liturgiae.* Universa tua vita vere est *supernaturalis.* Sanctuarii igitur staterâ divinoque judicio omnia examinabis, omnia ponderabis, plus plusque in pretiosissimos fidei thesauros penetrans, ita ut penitus sensim "*ex fide vivas.*" Propriae sapienter naturae, tuae ipsius menti ac propensioni, diffidens, animum in Deum solum intendes, rerum coelestium contemplator assiduus. Cordis sensuumque evagationibus sollicite vitatis, et *coram divina majestate ambulabis,* admodum addictus sanctae **orationi** ac **meditationi.** Secundum **Cor Jesu** amantissimum, quo nihil tibi carius est, summum tenerrimumque obsequium dulcissimae praestabis Dominae ac Matri tuae, immaculatae Virgini **Mariae,** cujus honoribus studere, privilegia glorificare cujusque in tutelâ fiduciâ te effusissimâ tradere in deliciis habebis. Item ardenti pietatis cultu et **Angelos** prosequeris et **Sanctos,** qui Christi vestigia secuti jam una cum Ipso gloriosi regnant in coelis. Spiritu verae asceseos animatus devotissimâ reverentiâ, observantiâ ac caritate amplecteris **s. Ecclesiam** ejusque caput ac fundamentum, **Romanum** dico **Pontificem,** infallibilem illum Orbis Magistrum ac Pastorem, qui quidem Christi vices agit, pro custode constitutus gra-

Digitized by Google

tiae et veritatis, justitiae ac salutis. Cui filiali prorsus amore atque officio adstrictus usque ad mortem inservies ita, ut ejus eloquia, desideria, studia, prosperitates in visceribus semper geras. Coenobia enim antiquitus Summorum Pontificum castella censentur.

Ex quo fit, ut, quaecunque commendaverit S. Sedes Apostolica, veluti **pia exercitia** rosarii, viae crucis, alia ss. indulgentiis ditata, quam maxime cordi tibi sint; ut vota facias pro incremento ac triumpho s. Ecclesiae, Religionis progressu, haeresum schismatumque exstirpatione, pro conversione gentilium atque infidelium, emendatione peccatorum, justorum perseverantiâ ac defunctorum refrigerio; ut tota denique vita tua, in arctissimâ cum s. Matre Ecclesiâ conjunctione transacta, continuum sit *opus Dei* bonusque JESU CHRISTI odor. In eo enim verus constat **Religionis spiritus,** fons ille certus solidae pacis ac dulcissimae unctionis, aeternae salutis securitas et sola ratio, quâ **In Omnibus Glorificatur Deus,** ut " *sine timore,* " *de manu inimicorum nostrorum liberati, ser-* " *viamus Illi, in sanctitate et justitiâ coram* " *Ipso omnibus diebus nostris* " (Luc. 1, 74 sq.).

Pietatis exercitiis.

Religionis spiritu plenus.

U. I. O. G. D.

Digitized by Google

Testimonia

I. ex S. Regula, II. ex decretis et documentis S. Ecclesiae, III. ex Sanctorum et Doctorum scriptis deprompta.

S. Regula.

Oratio communis.

ADHIBEAT Abbas, *quod majus est, suam et omnium fratrum* pro infirmo fratre *orationem*, ut Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa eum. (*C.* 28.)

Intrantes et exeuntes hebdomadarii in Oratorio, mox Matutinis finitis, Dominicâ *omnium genibus provolvantur, postulantes pro se orari.* (C. 35.)

Lector Dominicâ ingrediens post *Missas et Communionem, petat ab omnibus pro se orari*, ut avertat ab eo Deus spiritum elationis. (*C.* 38.)

Dirigendi fratres in viâ, *omnium fratrum et Abbatis orationi se commendent.* (C. 67.)

Antequam me *invocetis*, dicam: « *Ecce adsum* » (Is. 65, 24). Quid dulcius nobis hâc voce Domini invitantis nos, fratres carissimi? (*Prolog.*)

Opus Dei.

Nihil operi Dei praeponatur. (C. 43.)

Nuntianda hora *operis Dei* die noctuque sit cura Abbatis,... ut *omnia horis competentibus compleantur.* (C. 47.)

Facto signo absque morâ surgentes *festinent invicem se praevenire ad opus Dei*, cum omni tamen gravitate et modestiâ. (*C.* 22.)

Ejusdem dispositio.

(Cap. 8, usque ad Cap. 18, ordinatio et dispositio officii divini peragendi).

Ut ait Propheta: « *Septies in die laudem dixi Tibi* » (Ps. 118, 164); qui *septenarius sacratus numerus* a nobis sic implebitur, si Matutini, Primae, Tertiae, Sextae, Nonae, Vesperi Completoriique tempore *nostrae servitutis officia*

Digitized by Google

persolvamus. Quia de his horis dixit Propheta : « *Septies in die* etc. » ; nam de *nocturnis vigiliis* idem ipse Propheta ait : « *Mediâ nocte surgebam ad confitendum Tibi* » (Ps. 118, 62). Ergo his temporibus *referamus laudes Creatori nostro* super judicia justitiae suae. (C. 16.)

Facto autem *primo signo* disjungant se ab opere suo singuli et sint *parati, dum secundum signum pulsaverit.* (C. 48.) *Statio.*

Oratorium hoc sit, quod dicitur. (C. 52.) *Opus Dei opus.*

Agant ibidem fratres opus Dei, *cum tremore divino* flectentes genua... et *servitutis pensum non negligant* reddere. (C. 50.)

Praemisso imprimis versu : " *Deus in adjutorium meum intende*, etc." (C. 9.)

... Qui cantat, dicat « *Gloria* », quam dum incipit *cantor* dicere, mox omnes de sedibus *surgant ob honorem et reverentiam* SS. Trinitatis. (C. 9.)

Legat Abbas lectionem de Evangelio, *cum honore et tremore stantibus omnibus.* (C. 11.)

Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non praesumimus nisi *cum humilitate et reverentiâ ;* quanto magis *Domino Deo universorum cum omni humilitate et puritatis devotione supplicandum est?* (C. 20.)

Si quis fallitur, nisi *cum satisfactione* ibi coram omnibus *humiliatus* fuerit, majori vindictae subjaceat, quippe qui noluit *humilitate corrigere*, quod negligentiâ deliquit. (C. 45.)

Ubique credimus *divinam esse praesentiam*, et oculos Domini in omni loco speculari bonos et malos : maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credimus, *cum ad opus divinum assistimus.* Ideo semper memores simus, quod ait Propheta : « *Servite Domino in timore* » (Ps. 2, 11). Et iterum : « *Psallite sapienter* » (Ps. 46, 8). Et : « *In conspectu Angelorum psallam tibi* » (Ps 137, 1). Ergo consideremus, *qualiter oporteat nos in conspectu Divinitatis et Angelorum esse*, et sic stemus ad psallendum, ut *mens nostra concordet voci nostrae.* (C. 19.)

Digitized by Google

Psalmodia et cantus.

Omni hebdomadâ *Psalterium* ex integro numero *psallatur*,... quia nimis iners *devotionis suae servitium* ostendunt monachi, qui minus... psallunt. (*C.* 18.)

Fratres non per ordinem *legant* aut *cantent*, sed *qui aedificent audientes.* (C. 38.)

Cantare aut legere *non praesumat, nisi qui potest ipsum officium implere, ut aedificentur audientes.* Quod *cum humilitate* et *gravitate* et *tremore* faciat, et cui jusserit Abbas. (*C.* 47.)

Chorus et Altare.

Secundum ordines (in Oratorio) fratres accedant ad *Pacem*, ad *Communionem*, ad *psalmum* imponendum, in choro *standum.* (C. 63.)

Expleto opere Dei omnes *cum summo silentio* exeant, et *agatur reverentia Deo* (in SS. Sacramento?). (*C.* 52.)

Vita S. P. Bened.: Vir Dei, correptus febribus, sextâ die portari se *in Oratorium* a discipulis fecit, *ibique exitum* suum *Dominici Corporis et Sanguinis perceptione munivit*, atque... spiritum inter verba orationis efflavit. (*C.* 37.)

Oratio.

Quidquid agendum *inchoas* bonum, *a Deo perfici instantissimâ oratione deposcas*... Quod minus habet in nobis natura possibile, *rogemus Dominum, ut gratiae suae jubeat nobis adjutorium ministrare.* (Prol. 37, 58, 70.)

Instrumenta artis spiritualis sunt: *Orationi frequenter incumbere;* — Mala sua praeterita cum lacrymis vel gemitu *quotidie in oratione* Deo confiteri; — In Christi amore *pro inimicis orare.* (C. 4.)

Non in multiloquio, sed *in puritate cordis et compunctione* lacrymarum *nos exaudiri* sciamus. Et ideo *brevis* debet esse et *pura oratio, nisi* forte *ex affectu inspirationis divinae gratiae protendatur.* (C. 20.)

Frater si vult sibi *secretius orare*, simpliciter intret (in Oratorium) et *oret*, non in clamosâ voce, sed *in lacrymis et intentione cordis.* (C. 52.)

Vita S. P. Bened.: Vir Dei consuevit *orando plangere.* (C. 17.)—Biduo, *more suo, in oratione* fuit *occupatus.* (C. 27.)

Digitized by Google

Venerabilis Pater Benedictus ad B. Joannis Oratorium perrexit *ad orationem*, (et, contemptis diaboli minis, nonnisi) eâ completâ rediit. (*C.* 30.)

Quum vir Dei, quiescentibus adhuc fratribus, *instans vigiliis, nocturnae orationis tempora praevenisset*, ad fenestram stans et *Omnipotentem Deum deprecans*, subito vidit lucem clarescere. (*C.* 35.)

Meditatio.

Quod restat post Vigilias, a fratribus, qui *psalterii* vel *lectionum* aliquid indigent, *meditationi inserviatur.* (C. 8.)

Frater, qualiter contemnentes Deum in *gehennam* pro peccatis incidunt, et *vitam aeternam*, quae timentibus Deum praeparata est, *animo suo semper revolvat.* (C. 7, gr. 1.)

Instrumentum artis spiritualis 46 est: *Vitam aeternam* omni concupiscentiâ spirituali *desiderare.* (C. 4.)

Monachus *reum se* omni horâ de peccatis suis *existimans*, jam *se tremendo Dei judicio praesentari* aestimet. (C. 7, gr. 12.)

Apertis oculis nostris *ad deificum lumen, attonitis auribus audiamus*, divina quotidie clamans *quid nos admoneat* vox (*Prolog.*)

Vita S. P. Bened.: Constitutâ horâ, expletâ psalmodiâ, se fratres in *studium orationis inclinabant.* (C. 4.)

Vita fidei.

Succinctis fide vel observantiâ bonorum actuum *lumbis* nostris et *calceatis pedibus* pergamus itinera Christi... *Processu* vero conversationis et *fidei*, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei. (*Prolog.*)

Ambulatio coram Deo et Angelis.

Instrumentum artis spiritualis 49 est: In omni loco *Deum se respicere* pro certo *scire.* (C. 4.)

Aestimet se homo de coelis a Deo semper respici omni horâ et *facta sua* in omni loco *ab aspectu Divinitatis videri* et *ab Angelis* omni horâ *Deo nuntiari*... Ergo, si *oculi Domini speculantur* bonos et malos, et Dominus de coelo semper respicit super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum, et *ab Angelis nobis deputatis* quotidie *die noctuque* Domino, Factori nostro et Creatori omnium Deo, *opera nostra nuntiantur, cavendum est* ergo omni horâ,

Digitized by Google

fratres, sicut in Psalmo (52, 4) dicit Propheta, ne nos declinantes in malum et inutiles factos aliquâ horâ aspiciat Deus. (C. 7, gr. 1.)

Ubique credimus divinam esse praesentiam etc. (*Cf. totum Cap.* 19.)

Monachus timorem Dei ante oculos semper ponens, oblivionem omnino fugiat. (*C. 7, gr.* 1.)

S. Romana Ecclesia. (S. Liturgia.)

Sicut psallit Ecclesia Romana, dicatur (et agatur). (*C.* 13.)

Monachi *Christo omnino nihil praeponant.* (C. 72.)

Amor et glorificatio Dei.

Instrumentum artis spiritualis 21 est: *Nihil amori Christi* praeponere. (*C.* 4.)

Omnibus humilitatis gradibus ascensis, monachus mox ad *caritatem Dei* perveniet illam, quae perfecta foras mittit timorem, per quam universa, quae prius non sine formidine observabat, *absque ullo labore, velut naturaliter ex consuetudine* incipit custodire, non jam timore gehennae, sed *amore Christi* et *consuetudine ipsâ bonâ* et *delectatione virtutum.* (C. 7.)

Ut in omnibus Glorificetur Deus. (*C.* 57.)

Vita S. P. Bened.: Quia juxta Joannis vocem *Deus caritas est* (1 Jo. 4, 16.), justo valde judicio *plus potuit* (S. Scholastica), *quae amplius amavit.* (C. 33.)

S. Ecclesia.

Oratio communis.

Catechismus Conc. Tridentini: *Oratio vocalis* incendit animi studium et religionem orantis inflammat. Quod ad Probam scripsit *S. Augustinus* (Ep. 130 c. 9.) hoc modo: « *Nonnunquam verbis et aliis signis ad augendum desiderium sanctum nos ipsos acrius excitamus.* » (P. 4. c. 8, 2.)

Concil. Provinc. Viennense, (*Wien* a. 1858): Deo laudes gratesque *adunatâ fidelium multitudine* persolvere plurimum valet ad pietatis sensus alendos et confirmandos. Nam prout *flamma flammis accedentibus* crescit, sic fides et

Digitized by Google

devotio nostra exemplis coetus christiani, ad Dominum orandum congregati, augmenta capit. Praeterea generi humano sanctissima est obligatio, bonorum omnium auctori palam junctisque viribus litare. (*Tit.* 4. *c.* 1.)

Cultus communis et publicus

Concil. Provinc. Coloniense (a. 1860): Quam gravi homo *Deum colendi obligatione* teneatur, id sacrae Literae innumeris locis maximâque vi inculcant. Et sane non poterat satis commendari, ut homo supremam Dei majestatem agnosceret Eique devotâ animi submissione honorem exhiberet, quum justiores illis, quibus ad id praestandum obligamur, tituli cogitari nequeant. Dei enim suprema effulget majestas, cui *homo et animâ et corpore, utpote Dei donis, obstringitur.* Porro, qui *totus, corpore et animâ, beatitudinis reddendus est particeps, ut etiam totus, animâ et corpore, eam mereatur* par est. Nec potest esse *verus et sincerus cultus* ille, qui pectoris ambitu contineatur nec unquam erumpat foras. Nec potest diu in mente foveri illud, quod externis actionibus non incenditur et inflammatur. Sed *ad cultum internum simul et externum publicus* etiam *accedat* oportet, quum homo etiam, tanquam in societate eâque religiosâ constitutus, Deo debeat honorem, aliis exemplum. *Cultus* hic *communis publicus*, quem *Ecclesia catholica*, divinitus edocta, inde a suis exordiis tantopere *promovit fovitque*, et quem christiani *primis Ecclesiae saeculis ne mortis quidem deterriti periculo* Deo exhibere satagebant, eo magis Pastoribus cordi esse debet, quo latius religionis incuria eum vilipendere et imminuere contendit. (*Tit.* 2. *c.* 19.)

Innocentius I. († 417): *Communibus et alternis* plus agimus orationibus, quam singularibus et privatis. (*Ep.* 10. *P. L.* 20, 513.)

Concil. Albiense, (*Albi* in Gallia, a. 1850): Cum universa propter semetipsum operatus sit Deus, certe hoc est maximum et *primum mandatum, ut Eum in spiritu et veritate adoremus*, ex toto corde diligamus, atque Illi fideliter serviamus. Ex illius praecepti observatione pendet, non solum quod est honoris et gloriae Dei, sed etiam hominis et *socie-*

Digitized by Google

uberiorem et in futuro aeternae beatitudinis praemia consequantur. Eapropter statuimus et ordinamus, ut *divinum officium*, nocturnum pariter et diurnum, in omni loco et signanter *in choro* cum *reverentiâ et morum gravitate ac verborum integritate*, tractim ac cum debitis pausis, exclusis clamoribus discantibus et scholaribus, tam legendo quam cantando, ab omnibus personis regularibus, statutis horis et debitis temporibus, prout in Regula *Beatissimi P. Benedicti* continetur, *devote persolvatur*. (Ex manuscr. Salisburg.)

Quomodo persolvendum.

Concil. Provinc. Ultrajectense (a. 1865) : Omnibus, qui munere funguntur officium divinum persolvendi, commendatum intelligi illud apprime debet : « *Ante orationem praepara animam tuam* » (Eccli. 18). Sedulo diligenterque perpendant, quanta *sit divini officii dignitas*. Ab *Ecclesiâ* enim, *cujus nomine agunt* in horis canonicis persolvendis, *deprecatores pro populo constituuntur* et in *debito laudum tributo* rependendo *Angelicis choris consociantur*. Divinas psalmodias *congruo tempore atque loco* recitent et in id intendant toti, ut non modo externa *corporis compositio ac modestia* cum actionis sanctitate collineet, sed et mens ad Deum attollatur, ac *digne, attente* ac *devote* in psalmis, hymnis et canticis laudes divinae Majestati persolvantur. Monita vero *S. Augustini* sollicite sequantur : « *Si orat psalmus, orate ; et si gemit, gemite ; et si gratulatur, gaudete ; et si sperat, sperate ; et si timet, timete.* » (In Ps. 30. enarr. 2. serm. 3.) *Praestantissimae* omnium sunt *precationes in* sacrosanctae *Missae sacrificio et in horis canonicis* a nobis prolatae, quippe quas non ipsi nobis selegimus, sed *Deus per Ecclesiae ministerium nobis proponit ac suggerit* ad religionem nostram fovendam et ad faciendam nobiscum misericordiam suam. *Pabulum quotidianum plane exquisitum* spiritui nostro orationes illae praebent, si intimo cordis affectu eisdem conjungamur. Per illas, solutis a terrenis desideriis et ad coelestia evectis vere cum *David* dicere licebit : « *Dirupisti vincula mea. Tibi sacrificabo hostiam laudis et nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi*

Ejus dignitas.

Digitized by Google

Ejus, in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem. (Ps. 115, 16. sq.). (Tit. 8. c. 2.)

Concil. Provinc. Coloccense (*Colocza* in Hungariâ, a. 1863) : Quem deceat magis esse *virum orationis*, quam qui *pro universo terrarum orbe* legatus intercedit apud Deum, ut inter vestibulum et altare oret et ploret pro suis et populi peccatis? — *Jungant sensum verbis, affectum sensui, exultationem affectui!* Non enim soli sunt, sed *omnis Ecclesia cum illis in commune orat* et vocem *conjungit* ad *Angelorum*, Deum incessabili voce laudantium, *opus* et coelestis hymnodiae praeludium in terris peragendum. Est *Liber precum*, qui continet *officium divinum*, antiquitate, partium nexu, psalmorum selectu, eorum ad annum ecclesiasticum relatione *omnium longe praecellentissimus.* Libri hujus vinculo *coelum et terra amico foedere junguntur*, beati *Spiritus* et *Sanctorum* animae devote coluntur, *patiens Ecclesia* solatium ac suffragia accipit, ministri vero militantis Ecclesiae sancto quodam foedere ad mutuum adjutorium et Dei laudem conspirant. (*Tit.* 4. *c.* 10.)

Est Ecclesiae et Angelis sociatus.

Officii excellentia.

Clemens Pp. XIV. (✠ 1774) : Ad *divinum Officium* plurimum diligentes esse oportet religiosos, quod ipsos facit *almae Sionis aemulos*, beatorum videlicet Spirituum, qui divinas laudes in coelesti urbe Jerusalem in aeternum canunt. Prompte igitur omnes et singuli, dato aeris campani signo, accedant, modeste intersint, graviter psallant et pie interim, quae psallunt, meditentur. *Sit una omnium vox, et quidem consona vox :* sit *una in tempore pausa*, sitque *omnium unus spiritus, unum cor unaque mens* in misericordem Deum... ut, qui vos audiunt, fideles compungantur et corde ferantur in Deum. (*Const.* "*In vinea Domini*" *a.* 1772 § 10.)

Congreg. Suevica S. Josephi. (*approbata* 1725) : Inter opera, quae a nobis Regula Professioque nostra exquirit, facile praecipuum est celebratio officii divini, quod S. P. N. speciali titulo « *opus Dei* » vocat. Ex eo enim elucet *felicitas nostra* singularis et *eximia dignitas*, dum, quod *Beatorum Spirituum proprium* est *munus*, nobis effecta est

Caeleste munus.

Digitized by Google

occupatio quotidiana, Deum videlicet *assidue laudare*, Illi dies noctesque *Angelorum instar assistere*, devotoque cordis affectu ac jucundo vocis praeconio ejusdem *magnalia decantare*. Quâ in re nobis singulari Dei dono concessum est unum illud, quod devotissimus rex David tam ardenter petiit a Domino, *ut inhabitemus in domo Domini omnibus diebus vitae nostrae*, ut *videamus voluptatem Domini*, et quotidie visitemus templum Ejus. Merito proinde in hoc omne nostrum studium et industriam conferemus, ut *officium divinum, quantâ nobis possibile fuerit, devotione peragamus*, ut tanto beneficio, quo divina Majestas in conspectu suo nos quotidie tolerat, *gratos nos exhibeamus*. Quantâ curâ et sollicitudine, divini cultus incrementum quaesierit *S. P. Benedictus*, inde manifestum est, quod, modum et tempora celebrandi divini officii praescripturus, *septemdecim* omnino *capita* hâc de re sanctionibus suis expleverit. Igitur, juxta S. P. N. praescriptum, Abbas et Superiores omnes *cultum divinum inter primas curarum* suarum partes reponent omnique studio curabunt, ut officium horarum canonicarum quotidie competenti tempore, ad divini Numinis gloriam *attente* et *ad exterorum aedificationem* devote, absque confusionibus et erroribus, in Monasteriis suis peragatur. Sedulo etiam curent, ut *Rubricae* Breviarii et *ritus ceremoniaeque*, a Congregatione nostrâ praescriptae, in celebratione divini officii accurate et exacte ab omnibus observentur. (*Pars* I. *praef. et c.* I, *punct.* I.)

Summâ devotione peragendum.

Nihil praeponendum.

Congreg. Cassinensis (fund. 1409) : Qui debent *legere* aut *cantare*, *providcant* lectiones et antiphonas praeparentque libros tempore congruo. (*Constit. Declar. ad c.* 47. *S. Regulae.*)

Praeparatio et signum ad opus Dei.

Congreg. Hirsaugiensis (approb. a Greg. VII. c. 1083): Inter loquendum, si ad *horam regularem* signum audierit monachus in claustro, ipsum verbum, quod habet in ore, non perficit, sed continuo tacet et occurrit ad *orationem*. (Constitut. l. I. c. 63. P. L. 150, 992.)

Congreg. Argentinensis (*Strassburg* a. 1624): *Strenue* et *pure divinis laudibus interesse curemus ! Strenue* quidem,

Strenue et pure et modeste.

Digitized by Google

ut, sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistamus, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non proscindentes verba dimidia, non integra transsilientes, non fractis et remissis vocibus muliebre quiddam barbarumve sonantes, sed virili, ut dignum est, et sonitu et affectu voces S. Spiritus depromentes. *Pure* autem, ut nihil aliud, dum psallimus, cogitemus, quam quod psallimus; Spiritus enim Sanctus illâ horâ gratum non habet, quidquid aliud, neglecto illo, quod debemus, obtulerimus. *Simul cantemus*, simul *pausemus*, semper mutuo auscultantes. Non illic stetur capite suppodiato aut in latus alterum deflexo, non in altum erecto, sed mediocriter depresso, defixis in terram aut libros aut alia necessaria oculis, non divaricatis aut distentis pedibus vel manibus dissolutis, sed decenter sub habitu compositis. (*Declarat. ad. c.* 19.)

Breviarium : *Aperi, Domine, os meum* ad benedicendum nomen sanctum tuum! *Munda* quoque *cor* meum ab omnibus vanis, perversis et alienis cogitationibus! *Intellectum illumina, affectum inflamma*, ut *digne, attente* ac *devote* hoc Officium recitare valeam et exaudiri merear ante conspectum divinae Majestatis tuae. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aperi, Domine, os!

Missale Romanum : Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos Tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus... Et ideo *cum Angelis* et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, *cumque omni militiâ coelestis exercitus hymnum gloriae Tuae canimus* sine fine dicentes : Sanctus! — Per Christum Dominum nostrum... majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Coeli coelorumque Virtutes ac beata Seraphim *sociâ exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces* ut admitti jubeas deprecamur. — Profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat. *Sed et supernae Virtutes* atque *angelicae Potestates hymnum* gloriae Tuae *concinunt*, sine fine dicentes : Sanctus! — Quam

Sacer cantus *cum Angelis jungendus.*

Digitized by Google

(Majestatem tuam) laudant *Angeli* atque *Archangeli, Cherubim* quoque ac *Seraphim*, qui *non cessant clamare* quotidie *unâ voce* dicentes : Sanctus! (*Praef.*)

Breviar. Rom. : En illa *Sedes Coelitum.* — Semper resultat laudibus... — Illi canentes *jungimur.* — *Almae Sionis aemuli.* (Dedic. Eccl. ad Ld.)

Breviar. Monast. : Tibi, Christe, splendor Patris, — Vita, virtus cordium, — *In conspectu Angelorum* — Votis, voce psallimus : — *Alternantes* concrepando — Melos damus vocibus. — (*In festo S. Mich. Archang.*)

S. P. Benedictus.

Missale Monast. : De omni corde suo laudavit Dominum et dilexit Deum, qui fecit illum.... Et *stare fecit cantores contra altare* et in sono eorum *dulces* fecit *modos.* Et dedit *in celebrationibus decus* et ornavit tempora usque ad consummationem vitae, *ut laudarent nomen sanctum Domini* et *amplificarent mane Dei sanctitatem.* (Epist. Miss. vot. de *SS. P. N. Bened.* ex Eccli. 47.)

Brev. Rom. : *Corde* et *animo* Christo *canamus* gloriam. (*Offic. B. M. V.*)

Conc. Aquisgran. (816) : Studendum summopere cantoribus est, ut donum sibi divinitus collatum humilitate, et castitate, sobrietate et ceteris sanctarum virtutum ornamentis exornent : quorum melodia animos populi circumstantis ad memoriam amoremque coelestium non solum sublimitate verborum, sed etiam suavitate sonorum, quae dicantur, erigat..... Psalmi in ecclesia non cursim, excelsis, atque inordinatis seu intemperatis vocibus, sed plane ac dilucide et cum compunctione cordis recitentur, ut et recitantium mens illorum dulcedine pascatur, et audientium aures illorum pronuntiatione demulceantur. (Regula Canon. c. 138. P. L. 105, 929.)

Regula Canonic. S. Chrodegangi († 766) : Tales ad legendum, et cantandum, et psallendum in ecclesia constituantur, qui non superbe, sed humiliter, debitas Domino laudes persolvant, et suavitate lectionis ac melo-

Digitized by Google

diae doctos demulceant, et minus doctos erudiant. (*c.* 51. *P. L.* 89. 1079.)

Joannes XXII. (✝ 1334) : Docta sanctorum Patrum decrevit auctoritas, ut *in divinae laudis officiis*, quae debitae servitutis obsequio exhibentur, cunctorum mens vigilet, sermo non cespitet et modesta psallentium gravitas placidâ modulatione decantet. Nam " *in ore eorum dulcis resonabat sonus.* " Dulcis quippe omnino sonus in ore psallentium resonat, quum Deum corde suscipiunt, dum loquuntur verbis; in Ipsum quoque cantibus devotionem accendunt. Inde enim in ecclesiis Dei *psalmodia cantanda praecipitur, ut fidelium devotio excitetur.* In hoc nocturnum diurnumque Officium et Missarum celebritates assidue clero ac populo sub maturo tenore distinctâque gradatione cantantur, ut eâdem distinctione collibeant et maturitate delectent. Nonnulli *novellae scholae discipuli*, dum *temporibus mensurandis* invigilant, novis notis intendunt; *fingere suas, quam antiquas cantare malunt:* in semibreves et minimas ecclesiastica canuntur, notulis percutiuntur; melodias *hoquetis* intersecant, *discantibus* lubricant, *triplis* et *motetis* vulgaribus nonnunquam inculcant, adeo ut interdum *Antiphonarii* et *Gradualis fundamenta* despiciant, quum ex multitudine notarum *ascensiones pudicae descensionesque temperatae plani cantus*, quibus toni ipsi secernuntur, ad invicem obfuscentur. Haec relegare, imo prorsus abjicere ab Ecclesiâ Dei efficacius properamus. (*In Extrav. comm. III, tit.* 1.)

Sit gravis cantus.

Concil. Provinc. Coloniense (a. 1860): Post multiplices in musicam sacram inductas depravationes illum *antiquissimum cantum*, qui *Gregoriani* nomine venit, *vere ecclesiasticum* esse et omnis cantus ecclesiastici fontem, *nullo alio supplendum*, nemo facile diffitebitur. *Nam cantum Gregorianum sanctius quid et sublimius spirare, quam omnes* illos modos, qui labentibus saeculis in usum venerunt et musicae profanae inservire solent, rerum periti non negant. Statuimus ergo et *mandamus, ut cantus ille Gregorianus suo*

Cantus Gregorianus *vere ecclesiasticus.*

Digitized by Google

restituatur juri ac magis magisque colatur.... Quum autem *res ista minime in superficie posita* sit et, *nisi quis profundius ecclesiasticae et religiosae disciplinae leges perscrutatus mysteriisque*, ut recte dicamus, *regni coelorum initiatus* sit, in musicâ sacrâ vere proficere vel illam promovere et docere non possit : hinc ordinamus et mandamus, ut in ecclesiis cathedralibus et collegiatis... *scholae cantorum*,... instituantur, quibus *viri in scientiis et disciplinis ecclesiasticis optime versati et vere pii* tanquam *magistri* praeficiantur. Quo fiet, ut, quae, proh dolor! interrupta jam est ex longiore tempore, *sacri cantus traditio*, denuo reviviscat et per omnes dioecesium ecclesias successu temporis *vera* et *sancta ejusdem principia rectaque exsequendi methodus* propagentur. (*Tit. II, c. XX.*)

Pius IX. (✝ 1878): *Cantus Gregorianus* omni alio rejecto, tradetur. (*Litt. quibus seminarium Pium instituitur, tit.* 5. *IV. Kal. Jul.* 1853.)

Benedictus XIV. (✝ 1758): Nihil est magis Ecclesiae disciplinae inimicum aut perniciosum, quam divinam psalmodiam in ecclesiis Dei contemptim aut negligenter obire.... Hinc autem necessario sequitur, diligenter invigilandum, ut cantus praeceps minime sit aut citior quam decet, utque suis locis pausae fiant et ut altera pars chori versiculum psalmi subsequentem non exordiatur, priusquam altera antecedentem absolverit.... Demum ut cantus vocibus unisonis peragatur et chorus a peritis in cantu ecclesiastico qui *cantus planus* seu *firmus* dicitur, regatur. Hujusmodi cantus ille est, quem ad musicae artis regulas dirigendum efformandumque multum laboravit *S. Gregorius M.* praedecessor noster.... *Cantus ille* est, qui fidelium animos *ad devotionem et pietatem excitat*, denique ille est, qui, si recte decenterque peragatur in Dei ecclesiis *a piis hominibus libentius auditur* et alteri, qui cantus harmonicus seu musicus dicitur, merito praefertur... Qui quidem, cum *a monachis* accurate diligenterque tractetur, sacrisque in functionibus adhibeatur, haec potissimum causa est, cur a christiano

Digitized by Google

populo frequentius Regularium ecclesiae... adeantur, ut bene advertit J. Eveillon *(de rectâ ratione psallendi)* " Sordescit quippe sanctis auribus omnis musici concentûs titillatio prae hâc plani cantûs ac simplicis psalmodiae harmoniâ, si recta fuerit; atque eo fit, ut relictis hodie ecclesiis collegiatis et parochialibus tam libenter et avide populus fidelis concurrat ad ecclesias *monachorum*, qui, *magistram habentes in colendo Deo pietatem, sancte, moderate*, atque, ut psalmistarum princeps olim dixit, *sapienter psallunt* et Domino suo ut Domino et Deo cum summâ reverentiâ famulantur. (*Constitut.* " *Annus qui* " *a.* 1749. *n.* 2.)

Concil. Provinc. Pragense: *Cantus Gregorianus* restituatur et promoveatur. (*Tit.* 3. *c.* 7.)

Concil. Provinc. Rothomagense (*Rouen*, a. 1850): *Cantus ecclesiasticus* vel retineatur vel restituatur secundum pristinam Ecclesiae gravitatem et simplicitatem. Moneantur *omnes*, ut in divinis laudibus persolvendis *vocem suam choro Angelorum et presbyterorum pie ac simpliciter admisceant.* (Decret. 2.)

Concil. Provinc. Burdigalense (*Bordeaux*, a. 1850): Cantus vere et proprie ecclesiasticus est *cantus planus* seu *firmus*, ad id institutus et mirum in modum aptatus, ut audientium mentes ad divinae majestatis cultum pietatisque fervorem erigat, modestâ placidâque moderatione cantantium mens verborum dulcedine pascatur et audientium aures illorum pronuntiatione demulceantur. (*Tit.* 2. *c.* 5.)

Vis cantus firmi.

Concil. Provinc. Bituricense (*Bourges*, a. 1850): Quanto oblectamento quantaeque utilitati sit fidelibus perita et *religiosa cantus Gregoriani modulatio*, synodus provinc. attendens, valde optat, ut hanc artem omnes aemulatione piâ exercere glorientur. (*Tit.* 4.)

Congreg. Montis Oliveti (approb. a Joanne XXII. a. 1324) : Nulli in Choro libros legere aut incompositas *in canendo* voces edere liceat. In canendo morositates et caudae tollantur. In canendo falsis vocibus aut contrapunctis (ut vocant) non utantur, sed tantum *cantu plano.* (*P.* 1. 20.)

Digitized by Google

SS. Eucharistia et Missa.

Missale Rom. : Concede nobis, quaesumus Domine, haec digne frequentare mysteria, quia, *quoties hujus hostiae commemoratio celebratur, opus nostrae Redemptionis exercetur.* (Dom. IX p. Pentec. Secreta.)

Concil. Tridentinum : Sumi voluit Salvator noster sacramentum hoc tanquam *spiritualem animarum cibum* quo alantur et confortentur, viventes vitâ illius, qui dixit: « *Qui manducat Me, et ipse vivet propter Me.* » (Sess. 13. C. 2.)

Concil. Basileense : Innitentes Constitutioni *Benedicti XII.* Papae statuimus, ut omnes Monachi non Sacerdotes *singulis Septimanis* ad minus *semel confiteantur*, et imprimis *Dominicis* necnon principalibus solemnitatibus *ad communionem* accedant. (Ex manuscr. Salusburg.)

S. liturgia: ejus finis.

Concil. Tridentinum : Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine *adminiculis exterioribus* ad rerum divinarum meditationem sustolli: propterea pia mater Ecclesia *ritus* quosdam, ut scilicet quaedam submissâ voce, alia vero elatiore in Missâ pronuntiarentur, instituit. *Ceremonias* item adhibuit, ut mysticas *benedictiones*, *lumina*, *thymiamata*, *vestes*, aliaque id genus multa ex Apostolicâ disciplinâ et traditione; quo et majestas tanti sacrificii commendaretur et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. (*Sess. 22. c. 5.*)

Concil. Provinc. Ultrajectense (a. 1865): Universa *Ecclesiae Liturgia altissimo fini inservit*, ad obtestandam nempe nostram Deo subjectionem, gratitudinem, amorem ; ad id, quod credimus, publice profitendum ; *ad mentem per visibilia signa ad invisibilium rerum meditationem sustollendam devotionisque igne inflammandam;* arctius Ecclesiae membra inter se jungenda *unitatemque catholicam ob omnium oculos ponendam;* ad manifestandam denique *religionem* a Christo Domino institutam, quae sicuti *solâ fidei veritate consistit*, ita etiam *solo veri cultus decore ac majestate splendescit.* (Tit. 5. 1.)

Digitized by Google

(*Oratio et*) *Meditatio.*

Clemens XIV. : In primis hortamur vos, fratres carissimi, ut semper *vigiletis in orationibus*, atque in eâ potissimum, quae *meditatio* appellatur. « Hâc enim, inquit divus « *Laurentius Justinianus*, fugatur tentatio, abscedit tristitia, « virtus reparatur, excitatur fervor, et divini amoris flamma « succrescit. » Haec *est lucerna*, quâ mens nostra illustratur; *ignis*, quo cor nostrum calet in Deum ; *cibus*, quo anima nostra nutritur, uno verbo : « Consideratio, ait divus *Ber-* « *nardus*, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus. » *Accedite* igitur ad eam, fratres, *et illuminamini ! Sine intermissione orate*, atque optima erit vitae vestrae ratio et cumulata virtus !... Neque haec orandi ratio aliis unquam, etsi piis et sacris, functionibus interrumpatur, nec liceat Superiori cum totâ communitate de praescriptâ meditatione dispensare. Cum singulis vero fratribus super hâc re caute etiam agat; raro enim rationes justae sunt, cur aliquis ab orando dispensetur. Potest quis dicere : Non possum jejunare ; non possum nocte surgere ad psallendum. Numquid dicere poterit : non possum corde et mente ferri in Deum Ejusque colere majestatem ? Norunt, qui vere spirituales sunt, quid sibi velit regius psaltes : « *Benedicam Dominum* « *in omni tempore ; in omni loco dominationis Ejus benedic,* « *anima mea, Domino...* » Credite nobis, dilectissimi fratres : si *orationis fervor* tepescit, paulatim religiosorum' pietas et studium minuetur sanctumque ruet institutum. « Religiosus « enim, perbelle aiebat divus Philippus Nerius, *religiosus* « *sine oratione est religiosus* (*seu potius animal*) *sine ratione ;* » quumque homo negligit per orationem erigi super se, per turpia crimina, permittente Deo, deprimitur infra se. (*Constit.* « *In vinea Domini* » *a.* 1772 § 9.)

Oratio-nis *praeceptum et virtus.*

Catechismus Conc. Tridentini : Orationis praeceptum *necessarii jussi vim habet.* Quod a Christo Domino declaratum est illis verbis : « *Oportet sempe orare* » (Luc. 18, 1). Hanc orandi necessitatem ipsa etiam illo Dominicae precationis prooemio *ostendit Ecclesia :* « *Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus*

Digitized by Google

dicere. » — *Sequitur fructus amplissimus et jucundissimus orationis,* quum a Deo preces audiuntur. Est enim ex S. Augustini sententiâ, *coeli clavis* oratio justi. « *Nam ascendit,* » inquit, « *precatio et descendit Dei miseratio.* » — Omnino inest in precatione singularis *gaudii cumulus.* Quamobrem sic loquebatur Dominus : « *Petite et accipietis, ut gaudium* « *vestrum sit plenum.* » (P. 4, c. 1 et 2 q. 2.)

Missale Rom. : Deus, a quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis : ut *cogitemus,* Te *inspirante,* quae recta sunt et Te gubernante eadem *faciamus.* (Dom. v p. Pascha.)

Pius Pp. IX. : Quia *monachus* est *homo Dei,* idcirco *homo Ecclesiae illiusque praesertim Cathedrae,* a Deo positae ad ipsam regendam, ac ut sit omnibus veritatis magistra et centrum unitatis..... (*Breve miss. ad Rmum. Dom. Freppel, Ep. Andegavens.* (*Angers*) 10. *Apr.* 1876.)

S. Gregor. VII. (✝ 1085) : Noveritis, fratres et sacerdotes nostri, imo tota haec S. Synodus cognoscat et sciat, quia, quum *ultra montes* multa sint *monasteria* ad honorem Dei omnipotentis et B. Apost. Petri et Pauli nobiliter et religiose fundata, inter omnia quoddam est, quod quasi *peculiare* et *proprium B. Petro et huic Ecclesiae speciali jure adhaeret,* Cluniacense videlicet, *ad honorem et tutelam hujus S. et Ap. Sedis* ab ipsis *primordiis principaliter assignatum,* et, favente divinâ clementiâ, sub religiosis et sanctis Abbatibus ad id usque dignitatis et religionis pervenit, ut ceteris Monasteriis in Dei servitio et spirituali fervore praecellat et nullum in terrâ illâ, quod ego sciam, huic omnino valeat adaequari. Nullus enim Abbas unquam ibi fuit, qui sanctus non fuisset. Quin *Abbates et monachi hujus semper Ecclesiae filii nullo modo degeneres exstiterunt* nec curvaverunt genua sua ante Baal et Baalim nec Jeroboam, sed hujus *S. Romanae Sedis libertatem dignitatemque imitantes,* quam ab origine traxerunt, nobiliter sibi per successionis seriem auctoritatem servaverunt. Non enim alicui unquam alienae vel terrenae potestati colla subdiderunt, *in solâ B. Petri et hujus Ecclesiae*

Digitized by Google

subjectione defensioneque permanentes. Idcirco volumus, ut tantummodo sub *alis Apostolicis* ab omni aestu et turbine impugnationis respiret et in gremio hujus S. Matris Ecclesiae, ad honorem omnipotentis Dei et BB. App. Petri et Pauli, in perpetuum dulcissime requiescat. (*In Concil. Romano a.* 1076. *Bull.Clun.* 21.)—Divino amore monente, locum vestrum specialiter diligere, juvare et ab omnibus violentiis, sicut *Ecclesiae Romanae specialiter haerentem* defendere decrevimus. (*L.* 7. *ep.* 8. *ad monach. Massil. P. L.* 148, 552.)—Ita sexcenti alii.

Urbanus II. (✝ 1099): Cum omnium fidelium petitionibus et necessitatibus subvenire debeat *Apostolicae caritatis gratia*, multo magis his est impertienda ejus beneficii clementia, quos *singulariter filios se gaudet habere Romana mater Ecclesia.* Inter quos quoniam Cluniacensis Congregatio, divino charismate ceteris imbuta plenius, ut *alter sol enitet in terris.* (Ep. 214. ad mon. Clun. P. L. 151, 486.) — Precor, ut *omnem sanctorum fratrum congregationem commonere* facias, ut apud omnipotentis Dei clementiam preces effundat, quatenus et *nos et Ecclesiam Sanctam*, quae tantis videtur subjacere periculis, in pristinum restaurare statum dignetur. Noveris enim *omnibus specialius* hoc negotium super te pendere. (*Ep.* 2. *ad S. Hug. Abb. Clun. P. L.* 151, 286.) — Cum universis S. Ecclesiae partibus pro sedis Apostolicae auctoritate ac benevolentiâ debitores existamus, *illis tamen locis atque personis, qui specialius ac familiarius Romanae adhaeserint Ecclesiae*, quique amplioris religionis gratia eminere noscuntur, propensiori nos inducunt caritatis studio imminere. (*Ep.* 66. *ad Petr. Abb. Cav. P. L.* 151, 347,) — Vos oportet regularis disciplinae institutionibus sollicitius et devotius mentis et animae virtutibus anheletis ; *praecipue studentes Romanae Ecclesiae* decreta veneranda servare, cujus patrocinio ab omni jugo viventium estis, annuente Domino, praemuniti. (*Ep.* 129. *ad mon. Hirsaug. P. L.* 151, 403.)— Praeter generale caritatis debitum, praeter singularem vestri coenobii praerogativam, quae in monasticae legislatione et latore *SS.*

Digitized by Google

dicere. » — *Sequitur fructus amplissimus et jucundissimus orationis*, quum a Deo preces audiuntur. Est enim ex S. Augustini sententiâ, *coeli clavis* oratio justi. « *Nam ascendit,* » inquit, « *precatio et descendit Dei miseratio.* » — Omnino inest in precatione singularis *gaudii cumulus*. Quamobrem sic loquebatur Dominus : « *Petite et accipietis, ut gaudium* « *vestrum sit plenum.* » (P. 4, c. 1 et 2 q. 2.)

Missale Rom. : Deus, a quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis : ut *cogitemus*, Te *inspirante*, quae recta sunt et Te gubernante eadem *faciamus*. (Dom. v p. Pascha.)

Monachus vir Dei, Ecclesiae et S. Sedis Romanae.

Pius Pp. IX. : Quia *monachus* est *homo Dei*, idcirco *homo Ecclesiae illiusque praesertim Cathedrae*, a Deo positae ad ipsam regendam, ac ut sit omnibus veritatis magistra et centrum unitatis..... (*Breve miss. ad Rmum. Dom. Freppel, Ep. Andegavens.* (*Angers*) 10. *Apr.* 1876.)

S. Gregor. VII. (✠ 1085) : Noveritis, fratres et sacerdotes nostri, imo tota haec S. Synodus cognoscat et sciat, quia, quum *ultra montes* multa sint *monasteria* ad honorem Dei omnipotentis et B. Apost. Petri et Pauli nobiliter et religiose fundata, inter omnia quoddam est, quod quasi *peculiare* et *proprium B. Petro et huic Ecclesiae speciali jure adhaeret*, Cluniacense videlicet, *ad honorem et tutelam hujus S. et Ap. Sedis* ab ipsis *primordiis principaliter assignatum*, et, favente divinâ clementiâ, sub religiosis et sanctis Abbatibus ad id usque dignitatis et religionis pervenit, ut ceteris Monasteriis in Dei servitio et spirituali fervore praecellat et nullum in terrâ illâ, quod ego sciam, huic omnino valeat adaequari. Nullus enim Abbas unquam ibi fuit, qui sanctus non fuisset. Quin *Abbates et monachi hujus semper Ecclesiae filii nullo modo degeneres exstiterunt* nec curvaverunt genua sua ante Baal et Baalim nec Jeroboam, sed hujus *S. Romanae Sedis libertatem dignitatemque imitantes*, quam ab origine traxerunt, nobiliter sibi per successionis seriem auctoritatem servaverunt. Non enim alicui unquam alienae vel terrenae potestati colla subdiderunt, *in solâ B. Petri et hujus Ecclesiae*

Digitized by Google

subjectione defensioneque permanentes. Idcirco volumus, ut tantummodo sub *alis Apostolicis* ab omni aestu et turbine impugnationis respiret et in gremio hujus S. Matris Ecclesiae, ad honorem omnipotentis Dei et BB. App. Petri et Pauli, in perpetuum dulcissime requiescat. (*In Concil. Romano a.* 1076. *Bull.Clun.* 21.)—Divino amore monente, locum vestrum specialiter diligere, juvare et ab omnibus violentiis, sicut *Ecclesiae Romanae specialiter haerentem* defendere decrevimus. (*L.* 7. *ep.* 8. *ad monach. Massil. P. L.* 148, 552.)—Ita sexcenti alii.

Urbanus II. († 1099): Cum omnium fidelium petitionibus et necessitatibus subvenire debeat *Apostolicae caritatis gratia*, multo magis his est impertienda ejus beneficii clementia, quos *singulariter filios se gaudet habere Romana mater Ecclesia.* Inter quos quoniam Cluniacensis Congregatio, divino charismate ceteris imbuta plenius, ut *alter sol enitet in terris.* (Ep. 214. ad mon. Clun. P. L. 151, 486.) — Precor, ut *omnem sanctorum fratrum congregationem commonere* facias, ut apud omnipotentis Dei clementiam preces effundat, quatenus et *nos et Ecclesiam Sanctam*, quae tantis videtur subjacere periculis, in pristinum restaurare statum dignetur. Noveris enim *omnibus specialius* hoc negotium super te pendere. (*Ep.* 2. *ad S. Hug. Abb. Clun. P. L.* 151, 286.) — Cum universis S. Ecclesiae partibus pro sedis Apostolicae auctoritate ac benevolentiâ debitores existamus, *illis tamen locis atque personis, qui specialius ac familiarius Romanae adhaeserint Ecclesiae*, quique amplioris religionis gratia eminere noscuntur, propensiori nos inducunt caritatis studio imminere. (*Ep.* 66. *ad Petr. Abb. Cav. P. L.* 151, 347,) — Vos oportet regularis disciplinae institutionibus sollicitius et devotius mentis et animae virtutibus anheletis ; *praecipue studentes Romanae Ecclesiae* decreta veneranda servare, cujus patrocinio ab omni jugo viventium estis, annuente Domino, praemuniti. (*Ep.* 129. *ad mon. Hirsaug. P. L.* 151, 403.)— Praeter generale caritatis debitum, praeter singularem vestri coenobii praerogativam, quae in monasticae legislatione et latore *SS.*

Digitized by Google

Benedicto, universorum per Occidentem monasteriorum caput a Domino institutum est; illa etiam benignitatis magnificentia, quâ semper et nostris praecipue temporibus congregatio vestra *S. Romanae Ecclesiae* subvenit, multum nos eidem loco fore compellit obnoxios. Is enim locus nostrorum pauperum relevatio, fugientium refugium, *fessorum Sedis Apostolicae filiorum requies indefessa permansit et permanet.* (Ep. 219. ad mon. Cassin. P. L. 151, 492.) — Vestrum praecipue Monasterium *S. nostrae Sedi Apostolicae semper familiarius ac devotius adhaesit* et *in omni persecutionis opportunitate promptius ac benignius adfuit.* (Ep. 247. ad mon. Cassin. P. L. 151, 515.)

Paschalis II. (✠ 1118): Inconcussa caritatis unitas, quâ inter procellas omnes *Sedi Apostolicae adhaesistis*, mansuetudinem nostram vehementius exhortatur, imo urget atque compellit, ut quieti vestrae providere sollicitius debeamus. (*Ep.* 34. *S. Hugon. Abb. Clun. P. L.* 163, 56.)

Gelasius II. (✠ 1119): Cluniacensis monasterii prudens religio et religiosa prudentia, et ante nostra et nostris temporibus, *Romanam Ecclesiam* maxime sibi fecit obnoxiam. (*Ep.* 8. *ad Pontium Abb. Clun. P. L.* 163, 492.)

Innocentius III. (✠ 1216): Vestro Cassinensi monasterio nos quam maxime obnoxios facit, quod *Romanae Ecclesiae filiorum unicum in adversis solatium* et in prosperis infatigata requies perseverat. (*Ep.* 133. *ad mon. Cass. in suppl. P. L.* 217, 185.)

Sancti et Doctores.

Oratio communis.

S. Ignatius Martyr. Ep. Antioch. (✠ 107): Omnes ad orandum in eodem loco convenite; *sit una communis precatio*, una *mens*, una *spes in caritate et fide* inculpata in Christum Jesum, quo nihil praestantius. (*Ep. ad Magnesios c.* 7. *P. Gr.* 5, 667).

Deo vim infert.

Tertullianus, presb. Afric. (✠ 245): *Coimus ad Deum. Quasi manu factâ*, precationibus ambiamus! *Haec vis Deo grata* est. (*Apolog c.* 39. *P. L.* 1. 532.)

Digitized by Google

S. Ambrosius, Ep. Mediolan et Doct. Eccl. (✝ 397): *Ecclesia* quaedam forma justitiae est, commune jus omnium; *in commune orat*, in commune operatur, in commune tentatur. (*Offic. l.* 1. *c.* 29. *n.* 142. *P. L.* 16, 65.) — Multi *minimi*, *dum congregantur unanimes*, *fiunt magni;* et *multorum preces* impossibile est, ut non impetrent. (*Comm. in ep. ad Rom. inter apocryph. c.* 15, 30. *P. L.* 17, 177.)

Est Ecclesiae proprium.

S. Augustinus, Ep. Hippon. et Doct. Eccl. (✝ 430): Sic clamat unus tanquam omnes, quia *omnes in uno unus est*. (In Ps. 69. n. 1, P. L. 36, 866.) — *Christus orat pro nobis* ut sacerdos, *orat in nobis* ut caput nostrum, *oratur a* nobis ut Deus noster. Agnoscamus ergo in Illo voces nostras et voces Ejus in nobis. (*In Ps.* 85 n. 1 P. L. 36, 1081.) — Quod est spiritus noster (*i. e. anima nostra*) ad membra nostra, hoc est *Spiritus Sanctus* ad *membra Christi*, ad corpus Christi, quod est Ecclesia. (*Serm.* 268 *n.* 2 *P. L.* 38, 1232.)

Christus orantium caput.

S. Hilarius, Ep. Pict. et Doct. Eccl. (✝ 368): In tantum humanae pacis *Christus* studuit concordiae, ut *unitatis merito omnia*, quae a Deo precanda sunt, *impetranda esse confirmet.* (In Matth. c. 18 n. 9. P. L. 9, 1021.

Omnia impetrat.

Justinianus, Imperator (✝ 565): Si Monachi puris manibus et nudis animabus pro Republica supplicent Deo: manifestum, quod et exercitus habebunt bene, et civitates bene disponentur. Deo quoque placato et propitio existente, quomodo non universa plena totius pacis et devotionis? Sed et terra nobis feret fructus, et mare quae sua sunt dabit, illorum oratione propitiationem Dei ad omnem rem publicam deducente. (*Novella* 133.)

S. Basilius M. Archiep. Caesar. in Cappadoc. et Doct. Eccl. (✝ 378): Psalmus totius Ecclesiae una vox est. (*Hom. in ps.* 1 *P. Gr.* 31, 1725.) *In perfectissimâ communitate*, communia universa sunt; communis Deus, *communis pietatis negotiatio*, communis salus, communia certamina, communes labores, communes coronae. (*Constit. mon. c.* 18 *n.* 1. *P. Gr.* 31, 1382.) — Oratio, quae non est *comprecatores* nacta, multo est seipsâ languidior atque debilior. (*Ep.* 97. *P. Gr.* 32, 494.)

Est perfecta communitas.

Digitized by Google

Deum placat,

S. Joan Chrysostomus, Archiep. Constaninop. et Doct. Eccl. († 407): *Oratione in communi factâ Deus potissimum placatur.* (Hom. 4. in 2. Thessal. n. 4. P. Gr. 62, 491.) —

Est Ecclesiae munimentum,

Oratio communis Ecclesiae murus, qui rumpi non potest, *munimentum inconcussum,* daemonibus formidabile, piis vero, nimirum nobis, salutiferum. (*Serm. 2. de precat. int. dub. P. G.* 50, 784): — *Quid hâc oratione fortius,* quae columnam et Ecclesiae turrim (Petrum) adjuvat (*Act.* 12, 5)? Ne dixeris: Vix pro me ipso orare audeo; quomodo pro aliis audebo? In Ecclesiâ enim *majus aliquid est,* nempe *unanimitas et consonantia caritatisque vinculum et sacerdotum orationes,* quae sunt *potentiores.* Quibus si debiliorum vota conjungantur, simul cum eis ascendunt in coelos. (*Ecloga de orat. hom. 2 P. G.* 63, 586.) —

Superat privatam orationem.

Fieri non potest, ut *domi* tam bene ores, quam *in ecclesiâ,* ubi tot patres, ubi clamor felici societate excitatus ad Deum immortalem refertur. *Non pariter exoras, quum solus Dominum obsecras, atque tuis cum fratribus.* Est enim in hoc *plus* aliquid, videlicet *concordia, conspiratio, copula amoris et caritatis, sacerdotum clamores.* Praesunt enim ob eam rem sacerdotes, ut populi orationes, quae infirmiores per se sunt, validiores illas complexae simul in coelum evehantur. *Plurimum ea pollet oratio, quae cum consensu agitur* et jugi concordiâ plurium hominum. (*Hom. 3 de incomprehens. Dei naturâ n. 6.* P. Gr. 48, 725.)

S. Athanasius M., Ep. Alexandr. et Doct. Eccl. († 373): Concordia multitudinis *Deum ad audiendum promptiorem habet.* (Apolog. ad Constantin. Imp. c. 16. P. G. 25, 615.)

Oratio Sanctorum communio.

Cassiodorus, Abb. Vivariens. in Calabriâ († 562): Per totum psalmum *universalis* eloquitur *chorus Sanctorum,* qui ab initio mundi sive fuerunt sive sunt sive futuri esse creduntur.... Unus autem ubique introducitur ad loquendum, ut *virtus unitatis in Ecclesiâ concordi* possit agnosci (*Introd. in Ps.* 118 *de divis. P. L.* 70, 835.)

Orationis et caritatis communio.

B. Alcuinus, Abb. Turonens. († 804): Magna est apud Deum *communis oratio* et magna *caritatis communio*; et multo est melius, cum fratribus *communiter orare,* mandu-

Digitized by Google

care et dormire, quam in speciali habitatione solum cum periculo manere. (*Ep.* 16 *P. L.* 100, 168.)

S. Antoninus, Archiep. Florent. O. Pr. (✠ 1459): Cum communitate *citius exauditur oratio:* quia *oratio communis plus valet,* quam particularis. (*Summa theol. P.* 4. *lit.* 5. c. 8.)

Dionysius Carthus. (✠ 1459): *Qui communiter orat, particeps est omnium bonorum,* quae fiunt, et *bonum, quanto communius, tanto divinius* perhibetur. *(In ep. S. Jacob. c.* 5.*)*

Est bonorum communio.

Thomas a Kempis, Canon. Regul. (✠ 1471): Sicut *carbo frigidus conjunctus igni ardenti* fit calidus et ardens, sic tepidus *sociatus* fervido et devoto fit saepe fervidus. (*Hortul. ros. c.* 1.)

Incendit animos.

S. Thomas Aquin. Doct. Eccl. (✠ 1274) : *Necessaria* est *laus oris,* non quidem propter Deum, sed propter ipsum laudantem, cujus *affectus excitatur in Deum* ex laude Ipsius secundum illud Ps. 49 : « *Sacrificium laudis honorificabit me : et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* » Et in quantum homo per divinam laudem affectu ascendit in Deum, in tantum per hoc retrahitur ab his, quae sunt contra Deum. — Ideo quaecunque ad hoc utilia esse possunt, in divinas laudes congruenter assumuntur. Manifestum est autem, quod secundum diversas *sonorum melodias* animi hominun diversimode disponuntur et ideo *salubriter* fuit *institutum, ut in divinas laudes cantus assumerentur.* (II. II, qu. 91, a. 1, c. 2.)

Laus oris (*oratio vocalis*).

S. Laurentius Justinianus, Protopatriarch. Venet. (✠ 1455): Commendabilis prorsus est, et supra modum cognoscitur experimento certo esse perutilis, *vocalis oratio,* quae janua est et manuductrix ad *degustandam mentalem* et *in spiritu exhibitam orationem.* (De perfect. gradib. c. 12.)

Hugo a S. Charo, (*S. Cher, Vienne*) O. Pr. et Cardinal. (1260): *Officium Religiosi* est, laudare Deum. (*In Ps.* 34. *v.* 8.)

Sacrificium laudis *est monachi.*

Thomas a Kempis : *O quam gratum et commendabile collegium, ad laudandum Deum* praecipue dedicatum,

Digitized by Google

ubi sunt *tot tubae* resonantes, *quot voces* in choro alacriter cantantes! — Nihil salubrius, nihil jucundius, nihil dulcius, quam Deum laudare. (Serm 1 et 28 ad novit.) — *Nihil tibi melius*, nil salubrius, nil suavius, nil jucundius, nil dignius, nil altius, nil felicius, nil perfectius, nil beatius, *quam ardentissime amare* et *altissime laudare Deum.* Hoc centies dico, hoc millies replico: nullum studium elegantius, *nullum opus eminentius*, quam amare et laudare Deum. (*Vall. lilior. c.* 26.) — *Lauda Deum* cum omnibus Sanctis in terris, quem laudant omnes Angeli in coelis! *Si laudas, Angelis assimilaris.* (Hortul. rosar. c. 18) — Qui a Dei laudibus torpescit aut tacet aut se absentat, non est *amicus Dei* nec *civis coeli.* (De disc. claustr. c. 8.)

S. Laurentius Justinianus : *Laus divina est sacrificium* salutare, oblatio munda, thymiama suavissimum, munus acceptabile, grata libatio, fragrantissimus odor, hostia immaculata. (*De casto connub. c.* 25.)

S. Augustinus : *Deum laudare*, salus et gaudium animae est. (*Medit. c.* 32. in app. *P. L.* 40, 925.)

S. Bernardus, Abb. Claraevall. et Doct. Eccl. († 1153) : *Oblatio laudis*, quae Deo immolatur, triformis esse debet : *affectuosa*, ut mens concordet voci, *fructuosa*, ut aedificationem pariat audienti; *gratiosa*, ut placeat Conditori. (*Lib. sentent. n.* 14. in app. *P. L.* 184, 1138.)

Philippus de Heinsberg, Ep. Coloniens. († 1191): Utinam esset in qualibet villa dioecesis meae conventus justorum, qui et *Deum jugiter laudarent*, et tam pro me quam pro mihi commissis orarent! Puto, quia tunc melior esset status ecclesiae meae, quam modo sit. (*Caes. Heist. dialog. l.* 6 *c.* 64.)

Thomas a Kempis: *Spiritus Sancti opere et arte divinum officium ordinatum* est. (*Discipl. claustr. c.* 8.)

S. Joan. Chrysostomus : Ad hoc *creatus est homo, ut laudet Deum.* Nihil a nobis aeque requirit Deus, ac laudes et gratiarum actiones. Propterea *rationales nos fecit* et a

Digitized by Google

brutis *linguâ discrevit*, ut Eum laudemus et jugiter glorificemus. (*In Ps.* 116.)

Psallentes quasi acies.

S. Petrus Damianus, Abb. Fontisavellan. Card. et Doct. Eccl. (✠ 1072) Ad pugnam *quasi castra* contendimus, cum, ut ita dicam, *psalturi* vel *oraturi ad Ecclesiam festinamus.* Et reverâ, quam pulchra militiae species, praecipue nocturnis horis, *cum fratres*, quasi tubarum clangoribus excitati, *cuneum faciunt* et *tanquam directâ acie* properantes, attoniti *ad procinctum divini certaminis concorditer gradiuntur:* cum videlicet *puerorum ala* procedit, *juvenum* tanquam manipulorum *turma* subsequitur, postremo, legentes vestigia, *senes*, *belli* scilicet *robur*, ne subsidat aliquis, ne vel hostis furtivus immergat, totius exercitus terga custodiunt. Sic centuriae Christi ad comedendum *coeleste manna*, sic ad obtinendam *terram lacte melleque manantem* verae Israëliticae properant legiones. Clangentibus namque tubis *ad tabernaculum foederis properant*, ut verbi coelestis illic epulas comedant et *sacrificium laudis* Deo ac bonae voluntatis vota persolvant. (*Opusc.* 13, *c.* 17. *P. L.* 145, 316.)

Manna comedunt.

S. Nicetius, Ep. Trevirensis (✠ 551): Quid hac utilitate commodius, quid hac delectatione jucundius, quia et Psalmis delectamur, et orationibus irrigamur, et interpositis lectionibus pascimur? Et vere sicut boni convivae ferculorum varietate delectantur, ita nostrae animae multiplici lectione et hymnorum exhibitione saginantur. (*De Psalmodiae bono. c.* 3. *P. L.* 68, 374.)

Hymni coeleste solatium.

S. Basilius: *Ecquid beatius, quam in terrâ concentum Angelorum imitari;* statim, ac dies incipit, ad preces surgentem, *hymnis* et *canticis* Creatorem venerari; exinde, sole jam clare dilucescente, ad opera conversum, comitante ubique oratione, *hymnis etiam opera tanquam sale condire?* Siquidem hilarem jucundamque animae aequalitatem *hymnorum solatia* conferunt. (*Epist.* 2. *n.* 2. *P. Gr.* 32, 226.)

Monachi tanquam Angeli.

S. Joann. Chrysostomus: *Monachi*, haec *orbis terrarum luminaria*, quando sol oritur, quinimo multo ante auroram *e lectulo surgunt* incolumes et solertes et sobrii; nec

Digitized by Google

enim ulla tristitia vel sollicitudo, non capitis gravedo negotiorumve labores, non turba vel hujusmodi quicquam eos disturbat, sed *tanquam Angeli* degunt in coelo. Surgentes itaque statim ex cubili, hilares et laeti *chorumque constituentes* in alacri conscientiâ, consonanter omnes tanquam *ex uno ore hymnos omnium Deo concinunt*, Eum venerantes et Ei gratias de omnibus agentes tam propriis quam communibus beneficiis. Itaque, si videtur, *interrogemus, quid ab Angelis differat hic chorus* super terram canentium et dicentium : « *Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax, in hominibus bona voluntas!...* » Mox ut illa dixerint cantica, flexis genibus laudatum Deum invocant. Petunt autem praesentium quidem nihil (eis enim horum nulla ratio), sed ut cum fiduciâ stent coram illo tremendo tribunali, quum veniet vivos judicaturus et mortuos unigenitus Dei Filius, et nullus illam audiat horrendam vocem dicentem : « *Nescio vos* », et ut cum purâ conscientiâ multisque meritis hanc laboriosam transigant vitam et secundo vento difficile navigent pelagus. *Praecedit ante eos in oratione Pater Praelatus.* Deinde surgentes, perfectis illis sanctis et continuis precibus, orto jam sole vadunt ad opus quisque suum, multum hinc proventum egentibus cumulantes. (*Hom.* 68. *in Matth. n.* 3. *P. Gr.* 58, 644.)

Oratio armatura et ventus.

Armis nobis opus est; *magna* ergo *armatura oratio.* Opus est ventis a puppi, opus omnia discere, ut diei spatium *absque naufragiis et vulneribus* transigamus. Multi namque per singulos dies scopuli ; et frequenter illiditur scapha atque submergitur. Propterea nobis opus est oratione, matutina praesertim et nocturna. (*Hom.* 14. *in ep. ad Hebr. n.* 4. *P. Gr.* 63, 116.)

S. Joann. Climacus, Mon. (*C.* 580) : Da Domino primitias diei tuae : erit enim tota ejus, qui prior occupaverit... Ab ipso matutino tempore cursum totum meum diei scio. (*Scal. parad. grad.* 26. *P. Gr.* 88, 1035.)

Offic. div. diligendum.

S. Macarius, Mon. (✠ 395 *vel* 404) : Cursum monasterii (*officium divinum*) super omnia *diligas.* (*Regul.* c. 9. P. L. 103, 449.)

Digitized by Google

Cassiodorus: Merito se a verâ vitâ credat alienum quisquis *jucunditate hujus muneris* non fruitur. (*Praef. in Psalter. P. L.* 70, 10.) Quid felicius, quam modo exercere, quod te speras in futurâ beatitudine peragere? (*In Ps.* 146. *v.* 1. *P. L.* 70, 1034.)

S. Pachomius, Mon. (Saec. IV.): Frater, cum audierit *vocem tubae*, ad collectam (opus Dei) vocantis, statim egrediatur cellulam suam, de Scripturis aliquid meditans usque ad *ostium* conventiculi. (*Regul. n.* 3. *P. L.* 23, 68.)

Signum et statio.

S. Aurelianus, Ep. Arelatens. (✠ 551): *Signo facto* omne opus praetermittatur, et *sicut apes* prudentissimae ad alvearium, ita veloci festinatione properare contendite. (*Regul.* c. 30. P. L. 68, 391.)

Sicut apes ad alvearium.

Regula cujusdam ad Virgines, (Saec. VII.): Quandocunque vel diurnis vel nocturnis horis ad Opus divinum *signum* insonuerit, mox cum summâ festinatione surgendum est, ac si *praeco Regis insonet*, omni opere, quod in manibus habebatur, postposito. (*C.* 8. *P. L.* 88, 1060.)

Signum summi Regis.

Dionysius Carthusianus: *Signo surgendi audito*, mox, omni morâ postpositâ et omni torpore excusso, omni pigritiâ conculcatâ, cum interna jucunditate *promptissime consurgendum* est; utpote *clangore buccinae summi Regis excitante* atque ad Creatoris ac Regis coelestis praeconium spiritualeque proelium invitante, audito. *Erubescat* ergo tunc *monachus*, vel ad punctum *tardare*, aut caput sub operimento celare; et quamvis intensum sit frigus, nihilominus confestim de lectulo ad alloquendum, ad adorandum, ad laudandum Deum suum exsiliat. (*De profect. spirit. art.* 5.) — *Officium divinum* cum praecipuâ devotione incipere, alacriter continuare, delectabiliter consummare debemus. (*De fructuos. temperant. deductione, art.* 1.) — Eundo ad chorum, redeundo a choro *reverenter* te habe. (*Exhortat. ad novit.* 2.) — In ecclesiâ, in choro tempore divini officii et orationis refrenandi ac *custodiendi sunt oculi*, ne aliquod devotionis atque internae recollectionis impedimentum ingerant cordi (*De profect. spirit. art.* 5.)

Ejus buccina.

Digitized by Google

Officium mysteriis plenum.

Durandus, Ep. Mimatens. (*Mende in Gallia,* ✠ 1296): Quaecunque in *officiis ecclesiasticis* consistunt, divinis plena sunt signis atque mysteriis, ac singula sunt *coelesti dulcedine redundantia*, si tamen diligentem habeant inspectorem, qui novit *mel de petrâ* sumere *oleumque de saxo* durissimo. (*Rationale, Prooem.*)

Epistola Episcopor. Daniae ad Concil. Basil. (1434): Plura sunt monasteria, in quibus Sororum et Patrum conventualium fervens et affectuosa viget devotio et vitae regularis observantia secundum Ordinem instituta perfectissime observatur, tam per continuas praedicationes, quam per *divinae Majestatis cultum et obsequium*, videlicet Missarum solemnia et divinarum horarum jugiter *psalmodiam.* Unde quasi *infiniti peccatores* de die in diem divinitus inspirati *convertuntur* conversique in brevi proficiunt, magna virtutum accumulantes incrementa et spirituales effecti, calcatis saeculi curis. (*Ap. Bolland. tom.* 4. *Oct., proleg. in vit. S. Brig. n. 177.*)

Convertens peccatore.

Officii cura. Religionis praesidium.

Bonaventura, Cardinal. et Doct. Eccl. (✠ 1274): *Cura officii diligens, maxima status integritas;* neglectus officii, maxima vitae corruptio, maxima religionis deformitas. (*Specul. discipl. ad novit. l.* 1. *c.* 16.)

Divinus proprius monastico institutus.

Suarez S. J. (✠ 1617): Constat inprimis *Religionem a Benedicto institutam* proprie et perfecte monachalem esse. Nam finis illius est propria perfectio ad *divinam contemplationem et laudem ordinata* et comparanda per media vitae monasticae propria. In ejusdem Regulâ, quae pertinent ad *divinum* et *canonicum officium* et Psalmodiam, expressius et distinctius traditae inveniuntur, quam in aliis regulis religionum ab Ecclesiâ approbatis; simul tamen in eâdem Regulâ artificia seu opera et labores monachorum commendantur. (*De Relig. tract.* 9, *l.* 2 *c.* 2 *n.* 5.)

S. Joannes Eleemosynarius, Episc. Alexandr. (✠ 616) nolens esse inexpers hujus boni, videlicet monachicae vitae connumerationem, congregans duos Ordines Monachorum statuit eis omnem utilitatem tribui de villis suis in

Digitized by Google

civitate sua : et faciens eis cellulas in duobus oratoriis dixit amantissimis Deo Monachis ita : Ego post Deum utilitatem corporalem vestram procurabo, vos autem spiritalis habetote meae curam salutis. Vespertina et nocturna Vigilia mihi apud Deum imputetur : quidquid vero in cellulis vestris officii feceritis, pro vestris sit animabus. (*Vita c.* 44. *P. Gr.* 93, 1652.)

Hildemarus, monach. Mediolan. († 843) : Cum psallimus Deo, *assistentibus Angelis* psallimus, quia Deus non est sine suis nuntiis atque ministris. (*Comment. in Regul. S. Bened. c.* 19. *P. L.* 66, 478.)

Angeli assistunt et concinunt.

S. Ambrosius : *Angelorum militia* est, semper *esse in Dei laudibus.* (*Ep.* 73, n. 82. P. L. 16, 1211.)

S. Basilius : Quid beatius atque felicius quam *Angelorum choros in terris imitari?* (Ep. 2. n. 2. P. Gr. 32, 226.)

S. Joan. Chrysostomus : Cum *Angelis* stamus, canimus, hymnos dicimus. (*Hom.* 24. *in Act. Ap. n.* 4, *P. Gr.* 60, 190.) — *Angelorum ordinem et stationem* imitantes, sine cessatione laudes offertis. O mira Christi dona ! *In supernis* exercitus *Angelorum* canunt gloriam, *in terris* eandem *hominum* depromit multitudo. *Communiter festivus conventus congregatur* et *a Trinitate velut plectro* quopiam *movetur.* Delectabile illud et felix resonat melos, illa angelica cantio, ille desinere nescius concentus. (*Hom. in Ps.* 41. *n.* 2. *P. Gr.* 55, 158.) — In coelis *Seraphim* hymnum ter sanctum exclamant, in terrâ hominum coetus eundem modulantur. (*Hom.* 1. *in verb. Is. n.* 1. *P. Gr.* 56, 98.)

Unus monachorum et Angelorum chorus.

S. Hieronymus : In Sion, quae comparatur paradiso Dei, aliud esse non debet nisi gaudium et laetitia, confessio et vox laudis, ut quod in coelis facturi sunt Sancti cum Angelis Dei, hoc etiam in terra jugi in Domini laude meditentur. (*In Is. c.* 51. *l.* 14. *P. L.* 24, 483.)

S. Bernardus : Quod psallentibus dignanter sancti *Angeli* admisceri soleant, quid eo manifestius, quod Psalmista ait (*Ps.* 67) : « *Praevenerunt principes, conjuncti psallen-*

Digitized by Google

« *tibus.* » Unde et dicebat : « *In conspectu Angelorum psallam* « *Tibi* » (Ps. 137.)... Ea propter attendite principes vestros, cum statis ad orandum vel psallendum, et state cum *reverentiâ* et *disciplinâ :* (*Serm.* 7. *in Cant.* n. 4. P. L. 183, 808.) —

Angeli congaudent, confortant, protegunt.

Solent *Angeli* adstare orantibus et delectari in his, quos vident levare puras manus in oratione ; holocaustum sanctae devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. (*Hom.* 3. *sup.* "*Missus est.*" *n.* 11. *P. L.* 183, 71.) — Quid est quod ait : « *Sacrificium laudis honorificavit me ?* » O, si quis haberet oculos apertos, quos orando propheta (Elisaeus) puero revelavit ! Videret proculdubio, quemadmodum « *praeve-* « *niunt principes, conjuncti psallentibus, in medio juvencula-* « *rum tympanistriarum* ». Videret, inquam, quâ curâ quove tripudio intersunt cantantibus, adsunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiescentibus, ordinantibus et procurantibus praesunt. Agnoscunt nimirum *supernae potestates* concives suos, et pro his, qui haereditatem capiunt salutis, sollicite congaudent, confortant, instruunt, protegunt providentque omnibus omnes in omnibus. (*Ep.* 78. *n.* 6. *P. L.* 182, 194.)

Solliciti discurrunt inter laudantes Deum.

S. Laurentius Justinianus : *Intersunt choris laudantium S. Angeli* exultantque in laudibus psallentium, si tamen *distincte*, si *attente*, si *vigilanter*, si *ardenter*, si *concorditer*, si *humiliter*. Discurrunt namque inter illos, utpote ipsorum concives et consortes regni. *Comprimunt* et *immundorum spirituum impetus*, nec eos saevire patiuntur tanquam fideles custodes. Nunc *ascendunt*, nunc *descendunt*, ad illorum profectum. *Ubique* vero *alacres* sunt, ubique *festivi*, ubique *solliciti*, ne divina interrumpatur laus, ne coelestia cantica maculentur. *At si vel ad momentum tepescat affectus*, distrahatur animus aut dormierit oculus, illico indignantur sic oscitantes et non invenientes, quid offerant, suam mox *praesentiam subtrahunt.* Verecundum igitur et valde perniciosum est, in conspectu tantorum principum irreverenter psallere. (*De discipl. mon. c.* 17.)

- **S. Nicetius,** Ep. : Nullus debet ambigere hoc vigilia-

Digitized by Google

rum sanctarum ministerium, si digna fide et devotione vera celebretur, Angelis esse conjunctum, quos constat sine somno, sine occupatione indesinenter laudare Deum in coelis, et benedicere Salvatorem. (*De Psalmodiae bono. c.* 3. *P. L.* 68, 373.)

Aemulantur monachi coeleste Alleluja.

Joan. Bona, mon. et Card. (✠ 1674): Aemulantur *monachi supernae Jerusalem gaudia,* per cujus vicos festivum *Alleluja,* nunquam interruptis concentibus, cantatur. (*Div. psalm. c.* 1. § 4.)

Haeftenius, Praepos. monast. Affligeniens. (✠ 1648): Sane divina Psalmodia suave canticum est militantis Ecclesiae, consolantis in hoc exilio absentiam suam a Sponso coelesti. Hymnodiae *illius filia* est, *quae canitur assidue ante sedem Dei et Agni.* Clericorum piissima occupatio et quotidianus jubilus est monachorum. (*Disquis. monast. l.* 7. *tr.* 6. *disqu.* 6.)

Septies haus dicenda.

Septem divina beneficia.

S. Bonaventura: *Officium divinum* in Ecclesiâ Spiritus Sanctus ordinavit fieri, ut *beneficiorum Dei memores* certis horis gratias pro his laudando et orando Ei jugiter referamus, qui natus in *nocte* ex Mariâ Virgine, *mane* judici passurus assistitur, *diluculo* resurrexit, horâ *tertiâ* flagellatur et postea Spiritum S. mittit Apostolis, *sextâ* crucifixus, *nonâ* in cruce pro nobis mortuus, *vespere* coenans corporis et sanguinis sui sacramenta condidit et *completorio* sepultus est. (*De sex alis serm.* 8.)

Horae septem in terra, duodecim in coelo.

Rupertus, Abb. Tuitiens. (*Deutz*) (✠ 1135): *Septem canonicas horas* diei non licet a quoquam, qui in conspectu Dei vacuus et ingratus apparere nolit, negligenter praeteriri. Hae siquidem *Creatori* nostro *deferunt laudes,* et pro certis ac magnis Ejus beneficiis *quasi vectigales sunt gratiarum actiones.* Sol namque verus et *Dies aeternus, Christus, duodecim habens horas spirituales* et sempiterne secum stantes, has *septem horas temporaliter currentes,* clarissimis misericordiae suae radiis illustravit atque dedicavit. (*De Div. off. l.* 1. *c.* 1. *P. L.* 170, 13.)

Quasi septem lavacra.

S. Petrus Damianus: *Septem canonicarum horarum officia* quasi *septem baptismatum lavacra* in S. Ecclesiae

Digitized by Google

sunt gremio constituta, ut *septem offensionum maculas*, quas ex quotidianâ vitae hujus conversatione contrahimus, totidem, ut ita loquar, orationis quotidianae fluentis expiare curemus. (*Opusc.* 10. *c.* 1. *P. L.* 145, 223.)

Psalterii laus.

S. Ambrosius : Licet omnis Scriptura divina *Dei gratiam* spiret, praecipue tamen *dulcis psalmorum liber*... Historia instruit, Lex docet, Prophetia annuntiat, correptio castigat, moralitas suadet; *in libro psalmorum profectus* est *omnium* et *medicina quaedam salutis humanae.* Quicunque legerit, habet, quo propriae vulnera passionis speciali possit curare remedio. Quicunque cernere voluerit, *tanquam in communi animarum gymnasio* et quodam *stadio virtutum* diversa genera certaminum reperiens praeparata, id sibi eligat, cui se intelligat aptiorem, quo facilius perveniat ad coronam... Illud etiam quantae altitudinis, quod brevi intervallo *offensionum adversa* distinxit et *reconciliationis secunda* subtexuit; ut simul cognosceres, quid incredulitatis obesset offensa, quid fides prompta conferret?... Si quis praeterea *adversus nequitiae spiritalis incursus* vult esse munitus, quid magis quam psallendum sibi esse noverit? Psallebat David adolescentior; et Saulus nequam spiritum fugabat, qui eum antea stringebat... De virtute autem prophetiae quid loquar?... *In psalmis* non solum *nascitur* JESUS, sed et salutarem illam *suscipit* corporis *passionem, quiescit, resurgit, ascendit* ad coelum, *sedet ad dexteram Patris*... Quid igitur psalmo gratius? Unde pulchre ipse David: « *Laudate*, inquit, *quoniam bonus est psalmus! Deo nostra sit jucunda decoraque laudatio* (Ps. 146). Et vere; *psalmus* enim benedictio populi est, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, *sermo universorum, vox Ecclesiae*, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis laetitia, clamor jucunditatis, laetitiae resultatio. Ab iracundiâ mitigat, a sollicitudine abdicat, a moerore allevat. Nocturna arma, diurna magisteria; scutum in timore, festum in sanctitate, imago tranquillitatis, pignus pacis atque concordiae...

Digitized by Google

Psalmus dissidentes copulat, discordes sociat, offensos reconciliat. Quis enim non remittat ei, cum quo unam ad Deum vocem emiserit? Magnum plane *unitatis vinculum*, in unum chorum totius numerum plebis coire!... Psalmus nocturni operis commercium, diurnae requiei stipendium, institutio incipientium, perfectorum confirmatio, *Angelorum ministerium*, militia coelestis, *hostia spiritalis*. Psalmum et saxa respondent; psalmus canitur, et ipsa etiam saxosa pectora molliuntur. Videmus flere praeduros, flecti immisericordes. — *Certat in psalmo doctrina cum gratiâ simul.* Cantatur ad delectationem, discitur ad eruditionem... Quid igitur *psalmus* nisi *virtutum est organum*, quod Sancti Spiritus plectro plangens propheta venerabilis, coelestis sonitûs fecit in terris dulcedinem resultare?... Merito igitur tanti ministrum muneris Dominus laudans ait: « *Inveni David secundum cor Meum!* » (*Enarrat. in psalm.* 1. *praef. nn.* 4, 7, 8, 9, 10, 11. P. L. 14, 922.)

S. Joan. Chrysostomus: Verbum non est Davidicum: sed divinae gratiae. Locutus quippe est propheta; sed prophetae linguam excitavit Paracletus. Ideo inquit: Lingua mea calamus scribae velociter scribentis (Ps. 44, 2). Quemadmodum calamus non a seipso scribit, sed virtute manus ipsum moventis: sic et lingua prophetarum non a seipsa loquebatur, sed ex Dei gratia. At cur non dixit: *Lingua mea calamus scribae* tantum, sed: Calamus scribae *velociter scribentis?* Ut discas spiritualem esse sapientiam: ideo magna facilitas, ingens cursus. (*in Ps.* 145, 2. *P. G.* 55, 520. 521.)

S. Augustinus: *In David Christus* erat. (*Sermo* 175. *c.* 7. *n.* 8. *P. L.* 38, 948.) Christi vocem in *omnibus* psalmis vel psallentem vel gementem vel laetantem in spe, notissimam jam et familiarissimam habere debemus. (*In Ps.* 42. *n.* 1. *P. L.* 38, 476.) — *Psalterium* meum *gaudium meum.* (In Ps. 137. n. 3. P. L. 38, 1775.) — Ut bene ab homine laudetur Deus, *laudavit seipsum Deus.* (In Ps. 144 n. 1. P. L. 38, 1869.)

In eo Deus seipsum laudat.

Digitized by Google

In psalmo veritas cum suavitate conjuncta.

S. Basilius: *Liber* hic (*psalmorum*) *commune quoddam* est bonae doctrinae *promptuarium*, qui quidquid cuilibet profuturum sit, diligenter offert. Nam antiquis animarum *vulneribus medetur;* promptam nuper vulnerato *sanitatem reddit;* quod aegrum est, *fovet*, quod vero incolume et integrum, *conservat.* Quoad fieri potest, pravos coercet affectus, qui per hominum vitam in animos varie grassantur, idque *cum concinnâ quâdam suavitate* atque voluptate, quae honestas ingerit cogitationes. Etenim, ubi *Spiritus S.* genus hominum perspexit ad excolendam virtutem adduci vix posse, et a nobis, ob nostram in voluptatem propensionem, viam rectam contemni, quid agit? *Dogmatis immiscuit harmoniae dulcedinem*, ut rerum auditarum jucunditate ac dulcedine eloquiorum utilitatem nescientes perciperemus; *haud aliter ac sapientes medici*, qui, nauseantibus potionem amariorem daturi, calicem melle circumliniunt. Ideo concinni illi psalmorum concentus excogitati nobis sunt, ut ii, qui quasi aetate aut moribus sunt juvenes, dum in specie cantant, reipsâ animas erudiant suas... *Psalmus* tranquillitas est animarum, pacis arbiter, tumultuosas turbulentasque cogitationes compescens. Ut reprimit excandescentiam et animi cogitationem, ita lasciviam refrenat... Et bonorum maximum, *caritatem*, *conciliat* psalmorum cantus, qui concentum seu quoddam vinculum ad concordiam jucundam adinvenit populumque ad chori unius symphoniam congregat. *Daemones psalmus fugat*, accersit Angelorum patrocinium; ministrat arma contra nocturnos timores, diurnorum laborum est requies... Frequentat solitudines, forum emendat. *Psalmus* incipientibus initium est, incrementum proficientibus, perfectis firmamentum. *Vox est Ecclesiae;* laetificat dies festos, eam, quae secundum Deum est, tristitiam creat, quoniam e lapideo corde *ciet lacrymas.* Psalmus *Angelorum opus* est, coelestis conversatio, spirituale thymiama. O sapiens Magistri inventum, qui *artem*, *quâ simul caneremus et utilia disceremus*, excogitavit, unde et magis quodammodo animis praecepta imprimuntur! Vix enim durare solet, quod invitus

Digitized by Google

didiceris ; quod autem jucunde suaviterque acceptum est, tenacius in animis insidet. Quid enim *inde discere* non queas? Nonne *fortitudinis* claritudinem, *justitiae* integritatem, gravitatem *temperantiae*, *prudentiae* perfectionem? nonne *poenitentiae* aut *patientiae* mensuram ? nonne tandem omnia, quae proferri possunt, bona ? Hic *perfecta theologia*, hic de Christi in carnem adventu vaticinium, hic comminatio judicii, resurrectionis spes, timor supplicii, gloriae promissio, *mysteriorum revelatio.* Omnia in psalmorum libro velut in magno quodam et communi promptuario reconduntur. (*Hom. in Ps.* 1. *n.* 1. 2. *P. Gr.* 29, 211.)

S. Nicetius Ep.: Habet in Psalmis infans quid lacteat, puer quid laudet, adolescens quid corrigat viam, juvenis quid sequatur, senior quid precetur. Discit femina pudicitiam, pupilli inveniunt patrem, viduae judicem, pauperes perspectorem, advenae custodem, audiunt reges judicesque quid timeant. Psalmus tristes consolatur, laetos temperat, iratos mitigat, pauperes recreat, divites ut se agnoscant admonet, et ne superbiant increpat; omnibus omnino suscipientibus se aptam medicinam contribuit. Psalmus nec peccatores despicit, sed remedium eis per poenitentiam lacrymosam salubriter ingerit.... Quidquid Prophetae, quidquid Evangelia ipsa praecipiunt, in his carminibus suavi meditantium dulcedine continetur.... Deus ostenditur ut timeatur, simulacra ridentur, justitia ingeritur, iniquitas prohibetur, misericordia laudatur, incredulitas abdicatur, veritas requiritur, mendacia damnantur, dolus accusatur, innocentia collaudatur, superbia dejicitur, humilitas sublimatur, poenitentia praedicatur, pax sequenda depromitur. Contra inimicos protectio postulatur, vindicta promittitur, spes certa nutritur; et quod his est omnibus excellentius, in Psalmis Christi sacramenta cantantur.... Nam et generatio ejus exprimitur, et rejectio plebis impiae, et gentium haereditas nominatur, virtutes Domini cantantur, passio veneranda depingitur, resurrectio gloriosa monstratur, sedes quoque ad dexteram mirabiliter depingitur. Deinde

Digitized by Google

igneus Domini manifestatur adventus, terribile de vivis et mortuis judicium panditur. Quid plura? Etiam Spiritus creantis emissio, et terrae renovatio revelatur: post quae erit in gloria Domini sempiternum justorum regnum, peccatorumque perenne supplicium. (*De Psalmodiae bono. c.* 1. *P. L.* 68, 371 *sq.*)

Cassiodorus: Psalmi *vasa sunt veritatis*, quasi spiritualia dolia, vinum Domini incorrupto sapore servantia. (*In Ps.* 70. *v.* 23. *P. L.* 70, 503.)

Psalmus tanquam manna.

Radolphus de Rivo, Decanus Tungrens. († 1403): *Sicut* olim *manna habuit omne delectamentum* et omnem saporem suavitatis, ita nunc *psalmi habent effectum omnium orationum* et sensum cujuslibet intentionis. *In ore justi* sunt verba gratias agentis, *in ore peccatoris* verba veniam deprecantis, *pro defunctis* verba animae de supplicio ad Deum clamantis. Et quocunque se intentio canentis converterit, illuc *se sensus psalmorum affectui canentis conformabit*... Dum cogitas psalmos, *Christus in mente* tua est; dum ore psalmos decantas, *Christus in ore* tuo est. Psalmorum radices non in terra, sed in coelo fixae sunt, quia ibi est *Christus*, qui *omnium psalmorum materia est et intentio;* ibi est conversatio *Ecclesiae*, quae est corpus Christi. (*De can. observ. c.* 9.)

Psalmus omnibus omnia factus.

S. Joann. Chrysostomus: Omnes David *circumferimus* ore. *In ecclesiis* pernoctantibus et *primus* et *medius* et *novissimus est David.* Si pompae *in funeralibus* defunctorum, si *tela in virginum domibus* agitur, et primus et medius et novissimus est David. O rem inauditam! Multi, qui literarum experimenta minus sumpsere neque ipsis edocti principiis, totum David in pectore conservant. Neque *in urbibus* solum atque ecclesiis per omne tempus, per omnem aetatem fulget, sed *in foro* medio atque ipsâ *in solitudine* et inhabitabili terrâ certatim Deo sacras stationes excitat. *In monasteriis sanctis*, choris angelicarum acierum, *in coenobiis virginum* Mariam imitantium et primus et medius et novissimus David. Et omnes quidem homines naturali *noctis somno* alte premuntur, solusque *David* instat

Digitized by Google

atque *Dei servos in angelicas turmas congregans* excitat totâ mente, terram in coelum vertit et Angelos homines facit. Nostram proinde vitam omnibus exornat muneribus, « *omnibus omnia factus.* » Nostram omnino *vitam angelicam reddit, pueris* coadolescens, *juvenes* ad prudentiam convocans, *virginibus* pudicitiam largitus, *senioribus* firmitatem donans, *peccatores* ad poenitentiam provocans, eos, qui beneficia receperunt, ad gratiarum actiones excitans, eos, qui multoties peccaverunt, *ad confessionem revocans*, misericordiam a Deo cupientes edocens, ad sacerdotium vocatos confirmans. Tractos ad judicium *docet*, in timore conversos *admonet*, exspectantes et gratias agentes *ad majores gratiarum actiones excitat. O magnam citharam*, hominum totius orbis animas veluti nervos quosdam unam in consonantiam, in unum gloriae sermonem concrepantem et congregantem! (*Hom. de poenitent. int. spur. P. Gr.* 64, 12.) — Ecce ingressus *psalmus* voces miscuit et, ut unum cum harmoniâ canticum efferretur, effecit. Juvenes et senes, divites et pauperes, mulieres et viri, servi et liberi, melos omnes unum emisimus. Si enim *citharoedus*, diversos nervos arte temperans, sonos multos unum efficit, quid mirum, si *psalmi et spiritualis cantici vis* id ipsum fecerit? Sed et mortuum cum vivis miscuit. Ille namque nobiscum psallebat beatus Propheta... Pellitur ista saecularis inaequalitas, ac coelum terra imitatur. Tanta est Ecclesiae nobilitas. (*Hom. de studio praesentium n.* 1. *P. Gr.* 63, 486.)

Est magna cithara vel citharoedus.

S. Basilius : De nocte consurgit apud nos *populus* ad domum precationis. Et in labore, in afflictione ac jugibus lacrymis confitentes Deo, tandem *a precatione surgentes ad psalmodiam transeunt.* Et nunc quidem *in duas partes divisi*, alternis succinentes psallunt, ac simul et meditationem Scripturarum inde corroborant et animum attentum et cor evagationis expers sibi ipsi comparant. Postea rursus uni *committentes, ut prior canat; reliqui succinunt.* Et sic, posteaquam in psalmodiae varietate noctem traduxere, intermixtis

Psalmodia.

Digitized by Google

precibus, die jam illucescente, omnes simul velut ex uno ore et uno corde psalmum confessionis Domino concinunt. (*Epistol.* 207. *n.* 3. *P. Gr.* 32, 763.)

S. Gregorius Naz., Ep. et Doct. Eccl. (✠ 390): Psalmodia laudis venturae est anteambulatrix et *gloriae praeludium.* (Or. 40. n. 46. P. Gr. 36, 426.)

Semper psallendum.

Regula Tarnatensis (Agaunensis, S. Mauritii) monasterii (*circ.* 570): *Psalmis* et *hymnis* cum Dominus exoratur, ea plantentur in corde, quae proferuntur in voce. *Arator* stivam tenens Alleluja cantet; sudans *messor* psalmis se avocet; et dum palmitem curvum secat *vinitor* falce, aliquid *Davidicum canat!* Haec sint vestra carmina, haec pastorum sibilus, haec instrumenta culturae! (*C.* 8. *P. L.* 66, 981.)

S. Epiphanius: Ep. Salaminae (✠ 403): Oportet ut verus monachus *sine intermissione* habeat in corde suo *orationem* et *psalmodiam.* (*Apophthegm. ap. Cotel. Eccl. graecae monum. Ip.* 428.)

S. Isidorus, Ep. Hispalens. (*Sevilla*) et Doct. Eccl. (✠ 636): *Psallendi utilitas* tristia corda *consolatur,* gratiores mentes facit, fastidiosos *oblectat,* inertes *exsuscitat,* peccatores *ad lamenta invitat.* Nam quamvis dura sint carnalium corda, statim ut psalmi dulcedo insonuerit, ad affectum pietatis animum eorum inflectit. (*Sentent. l.* 3, *c.* 7. *n.* 31. *P. L.* 83, 678.)

V. Ludov. Blosius, Abb. Laetiens. (Liessies) (✠ 1566): Felix eris, si *in Psalmodiâ sedulo te occupaveris* et suavitatem pacisque gratiam, quam in se continet, percipere merueris. *Psalmodia* enim plane est gratissima animarum tranquillitas, jucunda cordium serenitas, dulcis moerentium consolatio et honesta laetantium compositio. *Psalmodia* daemones fugat, Angelos invitat, coelos aperit et Deum ad miserandum veluti cogit. (*Canon vitae spirit. c.* 18. *n.* 5.)

Praeparatio ad Opus Dei.

S. Augustinus: Non Te laudabunt labia mea, Domine, nisi me praecedat misericordia Tua. *Dono Tuo Te laudabo.* Non enim ego possum laudare Deum, nisi mihi donet laudare Se. (*In Ps.* 62. *n.* 12. *P. L.* 38, 755.)

Digitized by Google

S. Bernardus: Si oramus, *Spiritum S. ad nos vocemus.* (Lib. *de modo bene vivendi* c. 49. n. 117. *in app.* P. L. 184. 1271.) — Cum ad orandum sive ad psallendum ecclesiam intraveris, fluctuantium *cogitationum tumultus exterius relinque*, curamque exteriorum penitus obliviscere, ut soli Deo possis vacare. Fieri enim non potest, ut aliquando cum Deo loquatur, qui cum toto mundo etiam acens fabulatur. (*Meditat. c.* 6. *n.* 16 *in app. P. L.* 184, 495.) — Ex Regulâ nostrâ nihil "*operi Dei*" praeponere licet. Quo quidem nomine laudum solemnia, quae Deo in oratorio quotidie persolvuntur, Pater Benedictus ideo voluit appellari, ut ex hoc clarius aperiret, quam nos operi illi vellet esse intentos. Unde vos moneo, dilectissimi, *pure* semper ac *strenue* divinis interesse laudibus. *Strenue* quidem, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non praecidentes verba dimidia, non integra transsilientes, non fractis et remissis vocibus muliebre quiddam balbâ de nare sonantes; sed virili, ut, dignum est, et sonitu et affectu voces sancti Spiritus depromentes. *Pure* vero, ut nihil aliud, dum psallitis, quam quod psallitis, cogitetis. (*Serm.* 47. *in Cant. n.* 8. *P. L.* 183, 1011). — Quid aliud cogitare debet frater *intrans ad orationem*, quam propheticum illud: "*Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis*, "*usque ad domum Dei*" (Ps. 41, 4). Omnino siquidem oportet nos orationis tempore *curiam intrare coelestem*, illam utique curiam, in qua Rex regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili et ineffabili B. Spirituum exercitu. Unde et ipse, qui viderat, quia majorem numerum invenit: *Millia*, ait, *millium ministrabant Ei, et decies centena millia assistebant Ei*" (Dan. 7, 10). *Quantâ* ergo *cum reverentiâ*, quanto *timore*, quantâ illuc *humilitate* accedere debet a palude suâ procedens et repens ranuncula vilis! *quam tremebundus*, quam *supplex*, quam *humilis*, quam denique *sollicitus*, et toto intentus animo Majestati gloriae, in praesentiâ *Angelorum*, in concilio Justorum et congregatione Sanctorum assistere poterit miser homuncio? In cunctis igitur actionibus nostris

Oratio donum Spiritus S.

Est opus seu labor.

Strenue ac pure perficiendum.

Tanquam in coelesti curiâ.

Summâ cum reverentiâ et humilitate.

Digitized by Google

multâ opus est *animi vigilantiâ*, sed praecipue in oratione. Etenim sicut in Regulâ nostrâ legimus, " *licet horâ omni et omni loco oculi Domini nos speculentur, maxime tamen in oratione.* " Licet semper videamur, sed nunc etiam *praesentamus* et *ostendimus nos, quasi facie ad faciem cum Deo loquentes.* Porro quamvis ubique sit *Deus, in coelo* tamen *orandus* est, ibique orationis tempore cogitandus, ut mens nostra non oratorii tecto, non aëris spatio, non ipsâ retardetur nubium densitate, juxta eam formulam, quae nobis a Christo tradita est, ubi ait : " *Sic orabitis, Pater noster, qui es in coelis* " (Matth. 6, 9). Sic igitur oret, qui orat, tanquam assumptus et praesentatus Ei, qui sedet super excelsum thronum in Angelis, qui minime ceciderunt, et elevatum in hominibus, quos suscitavit de pulvere inopes et erexit de stercore pauperes. Sic, inquam, semetipsum consideret et sic attendat, *tanquam praesentatum Domino* majestatis, ut dicat cum Abraham: " *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis et cinis* " (Gen. 18. 31), et quia Tuo praecepto commonitus, Tuâ institutione formatus, id praesumo, Domine, fons pietatis! (*Serm.* 25. *de divers. n.* 7. 8. *P. L.* 183, 609.) Credimus, *Angelos* sanctos *adstare orantibus*, offerre Deo preces et vota hominum: ubi tamen sine irâ et disceptatione levari *puras* manus perspexerint. Laudem ergo cum coeli cantoribus in commune ducentes, utpote cives Sanctorum et domestici Dei, *psallite sapienter!* Cibus in ore, *psalmus in corde sapit.* Tantum illum terere non negligat fidelis et prudens anima quibusdam *dentibus intelligentiae* suae, ne, si forte integrum glutiat et non mansum, frustretur palatum sapore desiderabili et dulciori super mel et favum... Offeramus cum Apostolis in coelesti convivio et in Dominicâ mensâ favum mellis. *Mel in cerâ, devotio in literâ* est. Alioquin litera occidit, si absque Spiritûs condimento glutias. Si autem cum Apostolo " *psallas spiritu, psallas et mente*; " cognosces et tu de illius veritate sermonis quem dixit Jesus: " *Verba, quae locutus sum vobis, spiritus* " *et vita sunt* " (Joan. 6, 64). Et item, quem legimus dicente Sapientiâ (*Eccli.* 24, 27): " *Spiritus meus super mel dulcis.* " *Serm.* 7. *in Cant.* n. 4. 5. P. L. 183, 808.)

Digitized by Google

S. Nilus, monach. (✝ 430): Si nondum accepisti *charisma* orationis aut *psalmodiae*, insiste et accipies (*De orat. c.* 8. *P. Gr.* 79, 1186.)

Alacriter psallendum.

S. Ephrem: Si in domo Domini ad divinum spiritalemque cultum constiteris, in *psalmodiis* te *alacrem promptumque* praebeto. (*De vita spirit. n.* 16. *tom.* 1. *p.* 262.)

Agnus aperit (psalterii) librum.

Origenes, presb. Alexandr. (✝ 253.): Supplicandum Domino, ut *veniat Agnus* ex tribu Juda et Ipse *librum signatum dignetur aperire.* Ipse est enim, qui *Scripturas adaperiens accendet corda* discipulorum, ita ut dicant: "*Nonne cor nostrum ardens erat intra nos, cum aperiret nobis Scripturas?*" (*Hom.* 12. *in Ex.* n. 4. *P.* Gr. 12, 385.)

Disciplinate psallendum.

Gillebertus de Hoillandia, Abb. mon. Swinesheve-densis, dioec. Lincolens. (✝ 1172.): Fratres mei, si totius vitae vestrae respexeritis ordinem et regularis observantiae cursum, non erit exiguus, quem boni testimonii coaedificatis, acervus ("Galaad" interpretatus "testimonii acervus"). Nam si a *nocturnis Vigiliis*, quas impigro velut primitias quasdam praelibatis affectu et *effunditis* a principio vigiliarum *sicut aquam cor vestrum* ante conspectum Dei; si, inquam, a capite singulos per gradus conversationis divinae seriatim velitis incedere, quid ibi reperietis, quod *disciplinam* non *sonet*, quod non *concinat fidei* nostrae, quod non vel *corpus atterat* vel *mentem erigat*, vel dirigat erectam? *Inter psallendum* quanta est *disciplina in corpore*, et quam *major* quorumdam *in mente*, dum ne ad modicum vel certe tantum ad modicum a sensu verborum illam sinunt abire. Nam ibi, i. e. in ipsis, quae cantantur, verbis, aut ligatam tenent aut ad cognata relaxant, ad peregrina nequaquam. Quodsi contingat (fugax est enim mens humana), quantâ statim castigant censurâ et morae hujus usuras a se reposcunt. Sed nec ipsa communium horarum *intervalla nocturna* vacant. Deus bone, hora illa noctis, quam sine nocte est, quam *nox* illa "*illuminatio in deliciis!*" Orationes illae privatae fiunt, sed privata non petunt. Submissior quidem vox, sed mens intensior, et preces tacitae multum habent acuminis. (*Serm.* 23 *in Cant. n.* 3. *P. L.* 184, 120.)

Digitized by Google

Digne, *in conspectu Dei.*

S. Cyprianus, Ep. Carthag. et Mart. († 258): Sit orantibus sermo et precatio *cum disciplinâ, quietem continens et pudorem.* Cogitemus nos *sub conspectu Dei* stare. Placendum est divinis oculis et habitu corporis et modo vocis... Claudatur contra adversarium pectus, et *soli Deo* pateat; necad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur. (*L. de orat. domin. n.* 4. 31. *P. L.* 4, 538, 457.)

S. Bonaventura: In choro *reverentia* tam interior quam exterior est habenda. (*Spec. discipl. P.* 1. *c.* 15.) — *Honestas in choro* in exteriorum actuum gravitate, in corporis decentia et uniformi dispositione accipi potest. *Uniformitas in choro* est in prostratione et inclinatione specialiter, quamquam in aliis generaliter observanda. Amatores honestatis *oculos* ab inordinatâ evagatione in choro diligenter custodiunt. (*Regul. novit. c.* 15 *et* 24.)

Cassiodorus: " Sacrificium laudis honorificabit me: et illic iter, in quo ostendam illi salutare Dei. " Hoc contra illos ponitur, qui indigni laudes Domini canere praesumebant. " Sacrificium laudis honorificabit me; " non quale scelerati canunt, sed quale pura mens consuevit offerre. Ipsum enim " sacrificium laudis " honorat Dominum, quod puritate fidei, et actionum probitate fuerit immolatum. Sequitur quoque, " et illic iter est. " " Iter " appellat beatissimam psalmodiam. Sed haec via ubi ducat, exponit, " quo ostendam illi salutare Dei. " Gloriosa semita, quae ducit ad coeli terraeque Creatorem. Verum istud " iter, " quod dictum est, non pedibus, sed sanctis mentibus ambulatur. Quod in puro corde gradiamur, nos ducit ad Christum, fitque nobis illa scala Jacob quae ascendentes perducebat ad coelos. (*Gen.* 28. 12). (*In Ps.* 49. *n.* 23. *P. L.* 70, 357.)

S. Ephrem: *Esto* totus orationis tempore *velut coelestis Angelus;* mens tua non evagetur et *coram Deo bene te compone.* (*De virginitate.* t. III. p. 78.)

Cum modestiâ et verecundiâ.

S. Ambrosius: Speculum mentis plerumque in verbis refulget. Ipsum *vocis sonum librat modestia,* ne cujusquam offendat aurem vox fortior. Denique in ipso canendi genere

Digitized by Google

prima disciplina verecundia est; imo etiam in omni usu loquendi, ut sensim quis aut psallere aut canere aut postremo loqui incipiat, ut verecunda principia commendent processum. (De off. l. 1. c. 18. n. 67. P. L. 16, 43.)

Non voces, sed verba.

S. Hieronymus : " *Et nolite inebriari vino, in quo* " *est luxuria; sed implemini Spiritu S.; loquentes vobis-* " *metipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, can-* " *tantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias* " *agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri* " JESU CHRISTI *Deo et Patri.*" Audiant haec adolescentuli; *audiant hi, quibus psallendi in ecclesia officium est,* Deo *non voce, sed ore cantandum;* nec in tragoedorum modum guttur et fauces dulci medicamine colliniendas, ut in ecclesiâ theatrales moduli audiantur et cantica, sed in *timore*, in *opere*, in *scientiâ Scripturarum*.... Sic cantet servus Christi, ut *non vox* canentis, *sed verba placeant*, quae leguntur: ut spiritus malus, qui erat in Saul, ejiciatur ab his, qui similiter ab eo possidentur, et non introducatur in eos, qui de Dei domo scenam fecere populorum. (*In Epist. ad Ephes. c.* 5. *v.* 19. *l.* 3. *P. L.* 26, 528).

Non theatraliter.

S. Joann. Chrysostomus : Cum ad Deum accesseris, cogita ad quem accedas: sufficit tibi ad vigilantiam fides ejus a quo gratiam exspectas. Respice in coelum, et cogita quem alloquaris. (*In Ps.* 145, 6. *P. G.* 55, 526.) — In conspectu Dei oret, qui orat, undecumque colligens mentem suam, nihil habens cum terrâ commercii, sed ad Ipsum Deum totus commigrans, omni cogitatione humanâ ab animo depulsâ. (*Hom.* 2. *de fide S. Annae n.* 2. *P. G.* 54, 645.)

Praesente Deo.

V. Ludov. Blosius : Omnia ipsorum *divinorum officiorum verba* sacratissima, quae Spiritus S. dictavit, *integre* et *cum reverentiâ, religiosis vocibus pronuntiate* et *cantate;* certo credentes, nec minimam quidem syllabam, nec unius notulae cantum, nec modicam inclinatiunculam ibi perire, si spiritus vester vigil, si intentio recta, si affectus purus fuerit. (*In vitâ ipsius c.* 18. *n.* 70. *ap. Bolland. I. Jan.*)

Religiosissime.

Regula Magistri (Saec. VII.): Tanta debet esse *reve-*

Digitized by Google

Cum gravitate ut servus,

rentiae gravitas vel *disciplina psallendi*, ut amabilius a Domino audiatur, quam a nobis dicitur, sicut ait Scriptura: "*Exitus Matutini et Vesperae delectabis.*" Et item: "*Bene psallite Ei in jubilatione; quia rectus est sermo Domini.*" Et item: "*Exultate Ei cum tremore*". Et item: "*Psallite Domino sapienter.*" Ergo si sapienter et cum timore jubet psalli, oportet psallentem immobili corpore, inclinato capite stare et laudes Domino moderate canere; quippe *ministerium suum ante Divinitatem implet*, docente hoc prophetâ cum dicit: "*In conspectu Angelorum psallam Tibi.*" (Cap. 47. P. L. 88. 1008.)

2. Attente,

S. Thomas Aqu.: *Triplex* est *attentio*, quæ orationi vocali potest adhiberi: una quidem, quâ attenditur *ad verba*, ne aliquis in eis erret; secunda, quâ attenditur *ad sensum* verborum; tertia, quâ attenditur *ad finem* orationis, *scilicet ad Deum et ad rem*, pro quâ oratur. (*II. II. qu.* 83, *art.* 3.)

Toto corde.

S. Cyprianus : Quando stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces *toto corde* debemus. Cogitatio omnis saecularis et carnalis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam *id solum cogitet, quod precatur.* Ideo et sacerdos ante orationem, praefatione praemissa, parat fratrum mentes dicendo: "*Sursum corda*"; ut dum respondet plebs: "*Habemus ad Dominum*," admoneantur, *nihil aliud se, quam Dominum cogitare* debere.—Quomodo *te audiri a Deo postulas, cum te ipsum non audias?* Vis esse Deum memorem tui, quando tu ipse memor tui non sis. (*De orat. Dom. c.* 31. *P. L.* 4, 557).

Cor concinat ori.

Hugo a S. Victore, Canon. Regul. monast. S. Victoris Paris. (✠ 1142): Omnibus in horis eadem *vox cordis et oris.* Vox est grata chori, quando *cor concinit ori.* (Serm. 13. *in app.* P. L. 177, 927.)

Hugo de Folieto (✠ 1149.) : Sunt quidam qui mente vagi, attoniti oculis, habitu dissoluti, plana parietum prospicientes perlustrant; aliud cantant et aliud cogitant. *In choro* sunt *corpore*, sed *in foro mente*.. Sit in choro *severa*

Digitized by Google

simplicitas et reverentiae honestas. (*L.* 2. *de claustro animae c.* 22. *et* 23. *P. L.* 176, 1080 *et* 1086.)

S. Bonaventura: Si *corpus* tuum stat *in choro* et *foris vagatur mens* tua, perdis mercedem tuam. (*Serm.* 52. *ad soror.*)

S. Ambrosius: Non de labiis tuis tantummodo tua procedat oratio. *Animo totus intende*; intra in recessum pectoris tui. Totus ingredere; *non te perfunctorium videat* Ille cui placere desideras. Videat, quia *ex corde* oras, ut te ex corde orantem dignetur audire. (*L.* 6. *de Sacramentis c.* 3. *n.* 13. *int. dub. P. L.* 16, 457.)

Toto animo.

S. Augustinus: Bonorum ingeniorum insignis est indoles, *in verbis verum amare, non verbum.* Quid enim prodest *clavis* aurea, si aperire, quod volumus, non potest; aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quaerimus, nisi patere, quod clausum est? (*De doctr. Christ. l.* 4. *c.* 11. *n.* 26. *P. L.* 34, 101.) — David docet, ut *psallamus intelligenter.* Non quaeramus sonitum auris, sed lumen cordis. (*In Ps.* 46. *n.* 9. *P. L.* 36, 529.) — *Si orat Psalmus, orate;* et si gemit, *gemite;* et si gratulatur, *gaudete;* et si sperat, *sperate;* et si timet, *timete*, omnia enim, quae hic scripta sunt, *speculum nostrum sunt.* (*Enarr.* 2. in Ps. 30 *serm.* 3. n. 1. P. L. 36, 248.) Psalmis et hymnis cum oras Deum, hoc versetur *in corde, quod* profertur *in voce.* (*Ep.* 211. n. 7. P. L. 33, 960.)

Verum in verbo amandum.

Intelligenter psallendum.

Joan. Cassianus, Abb. Massiliens. (*Marseille* ✠ 430): *Monachus psallens*, omnes *psalmorum affectus* in se recipiens, ita incipiet decantare, ut eos non tanquam a prophetâ compositos, sed *velut a se editos, quasi orationem propriam* profundâ cordis compunctione depromat; *vel certe ad suam personam aestimet eos fuisse directos*, eorumque sententias non tunc tantummodo per prophetam aut in propheta fuisse completas, sed in se quotidie geri implerique cognoscat. (*Coll.* 10. c. 11. P. L. 49, 838.)

S. Basilius: *Ne dissonans sit* sensus et lingua, sed consonantia sint et utrorumque proferant verba (*In admonit. ad fil. spirit. c.* 12. *in app. P. L.* 103, 693.)

Sono sensus consonet.

S. Joan. Chrysost. Psallebat olim psalmis, et

Digitized by Google

nos hodie cum Davide. Ille citharam habuit ex nervis inanimatis: Ecclesia vero citharam habet ex nervis viventibus intensam. Linguae nostrae sunt chordae citharae, quae diversum sonum edunt, sed concordem pietatem. (*In Ps.* 145. 2. *P. G.* 55, 526.)

Non sponte evagandum.

S. Laurentius Justinianus : Indignum est, in *corpore astare Deo* et *mente* per campos inutilium cogitationum *evagari*... (*Lign. vit. tract. de orat.* c. 9.)

S. Gregorius M., Doct. Eccl. (✠ 604): Saepe in ipso *orationis sacrificio* importunae se cogitationes ingerunt, quae hoc rapere vel maculare valeant, quod in nobis Deo flentes immolamus. Unde *Abraham*, cum ad occasum solis sacrificium offerret, *insistentes aves* pertulit, quas studiose, ne oblatum sacrificium raperent, *abegit*. Sic nos, cum in arâ cordis *holocaustum* Deo offerimus, *ab immundis* hoc *volucribus custodiamus*, ne maligni spiritus et perversae cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino utiliter sperat. (*Moral. l.* 16. *c.* 42 *n.* 53. *P. L.* 75, 1146.)

S. Adalardus. Abb. Corbejens. (✠ 826), cum ad Dei intrasset officium (ut jucundo animo solitus erat dicere), mox omnes *cogitationes et causas rerum temporalium ante ostium reponebat* et secum totus ingrediebatur, ut totus Deo ac sibi adesset. (*Paschas. Ratpertus in ejus vitâ n.* 27. *P. L.* 120, 1522.)

Regula Magistri : *Quod* sonat *in voce*, ipsum sit *in mente* psallentis. Psallamus ergo voce et mente communiter, dicente Apostolo (1. *Cor.* 14): « *Psallam spiritu, psallam et mente.* (*C.* 47. *P. L.* 88, 1009.)

S. Isidorus, Ep. Hispal.: Monachus hoc meditetur *corde*, quod psallitur *ore.* (*Reg. monach.* c. 6. n. 2. P. L. 83, 873.)

Officium div. gustandum.

V. Ludov. Blosius : Tempestive *accurre ad chorum* tanquam ad locum refugii et hortum deliciarum spiritualium... Sub ipsius *Officii* decursu *perfecte, reverenter, gratanter* et *attente sacra eloquia pronuntiare* atque *audire* satage, ut gustes, " *quoniam suavis est Dominus,* " et sentias, quoniam verbum Dei incomprehensibilem habet dulcedinem et virtutem. Quaecumque enim Spiritus S. dictavit, revera

Digitized by Google

vivificus cibus et *deliciosum solatium* sunt animae castae, sobriae et humilis. Ergo ibi fideliter attentus esse memineris.... *Leni, quieto vigilique spiritu*, in laudibus Dei sine perplexitate persevera. (*Spec. mon. c.* 2.) — *Diabolus* explorator invidus quaerit impedire bonos, dum orant. Tu vero, quantumcumque tentatione pulseris inter orandum, persiste in desiderio vel bonâ voluntate et conatu sancto, sicut commode potes; quia desiderium et conatus tuus pius reputabitur pro effectu orationis. Etiamsi *pravas* et *sordidas cogitationes*, quae cordi tuo incidunt, ejicere non poteris, tamen pro illo conatu coronam in coelis recipies. — Ita tibi proderit illa molestia, modo *non consentias* tentationi, sed tibi displiceat, quod indecens est. (*Monil. spir. c.* 3. §. 4.)

Diabolus est impugnandus.

S. Thomas Aqu. : *Devotio* nihil aliud esse videtur, quam *voluntas* quaedam *prompte tradendi se ad ea, quae pertinent ad Dei* famulatum. (*II. II. qu.* 82. *art.* 1.) — Pinguedo devotionis facit sacrificium orationis esse Deo acceptum. (*Opuscul.* 5. *in orat. Domin. c.* 1.)

3. Devote.

S. Augustinus : Dignior sequetur effectus, quem ferventior praecedit affectus. (*Ep.* 130. *c.* 9. *n.* 18, *P. L.* 33, 501.)

Petrus de Roya, Claraevall. mon. (✠ 1169): Cum laudantes Deum *psalmodiae* sunt intenti, quam *purus* sit et quam *fervens* in idipsum *affectus mentis*, ostendit eorum omnis corporis status, in omni timore et reverentiâ sanctitatis; ostendit et ipsorum distinctio morosa et in psalmis modulatio, *quam dulcia faucibus* suis *eloquia Dei.* (*Ep.* 492. *int. Bern. n.* 8. *P. L.* 182, 710.)

Hugo a s. Charo, Card. : Immolantes *hostiam laudis* curemus omni vigilantiâ jungere *intellectum versui* i. e. vocali psalmodiae, *affectum* sensui, *exultationem* affectui, *gravitatem* exultationi, *humilitatem* gravitati, *libertatem* humilitati. Quae psalmodia debet esse recta, ut *intentio ad coelestia* dirigatur et non ad terrena incurvetur. (*In Ps.* 32. *v.* 3.) — *Non vox sed votum;* non musica cordula sed cor; *non clamor sed amor* clamat in aure Dei. (*In Is. c.* 33. *v.* 3.)

Cum amoris affectu.

S. Petrus Damianus : Auribus occulti judicis

Digitized by Google

non tam strepitus vocis, quam *clamor* insonat *cordis*. (L. 6. ep. 9. P. L. 144, 389.)

S. Valerianus, Ep. Cemel.: Auctori tuo *oris munuscula* quotidie *laetus* exhibeas Ejusque sacrificium laudis *verborum suavitate* componas; atque ad officium operis deputati *devotus* occurras! (*Hom.* 3. *n.* 4. *P. L.* 52, 701.)

Diabolus in choro.

Thomas a Kempis: Diabolus in choro adest cito, ut versum ex ore torpentis rapiat et in sacculum suum verborum fragmenta jactet. Sicut enim *Angeli* sancti frequenter cantantium preces Deo offerunt, ita omnia verba neglecta et imperfecta *diabolus* in chartâ suâ caute describit. — *Sicut Angeli in coelo*, sic *religiosi ordinati sunt in choro.* (*De disciplina claustr.* c. 8.) — Sic ergo sta in choro, quasi in medio Angelorum stares. JESUM *in choro statue ad dextram* tuam et *Mariam ad sinistram* et omnes *Sanctos in circuitu* eorum. *Devotus* choralis soli Deo et sibi intendit, tanquam in coelestem chorum translatus et elevatus. Non est leve peccatum in praesentiâ Dei et Sanctorum in choro *vago corde* stare. Sta in choro cum *metu* et reverentiâ. (*Exercit. spirit. c.* 8 *et* 5.)

Sed tecum JESUS, *Maria, Angeli, Sancti.*

Nicetius, Ep.: Fratres, pleniore fiducia hymnorum mysterium fideliter impleamus, magnam nos credentes a Deo gratiam consecutos, quibus concessum est, cum tantis ac talibus sanctis, prophetis dico atque martyribus, Dei aeterni miracula praedicare. Hic cum David Domino confitemur « quoniam bonus est »; cum Moyse potentiam Domini magnis illis canticis personamus; cum Anna quae Ecclesiae speciem gerit, olim sterilis, nunc fecunda, in Dei laude corde confirmamur; cum Isaia de nocte vigilantes psallimus; cum Habacuc, cum Jeremia, cum Jona sanctissimis vatibus orando cantamus: cum tribus aeque pueris, quasi in fornace positi, convocata omni creatura, Creatori omnium benedicentes psallimus. (*De Psalm. bono. c.* 3. *P. L.* 68, 373.)

Psallite sapienter.

S. Basilius: In tempore psalmodiae *sapienter psalle*, fili, ut *virtutem psalmorum* facilius posses acquirere omnisque duritia cordis dulcedine eorum molliatur. Tunc dulces

Digitized by Google

habens fauces, gaudensque cantabis : « *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo!* » Sed non poteris sentire hanc dulcedinem, nisi *cum summâ vigilantiâ ac sapientiâ cantaveris.* Fauces enim escam gustabunt, sensus autem verba discernit. Sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis interior homo pascitur ac nutritur. (*Ad fil. spirit. admon. c.* 12. *n. app. P. L.* 103, 693.) — *Quod est in cibis sensus* qualitatis cujusque cibi, *hoc in verbis* sacrosanctarum litterarum est *intelligentia.* Guttur enim escas gustu dijudicat, mens autem intelligendo verba discernit. (*Job* 12, 11, *apud* LXX.) — Si quis igitur per vim cujusque verbi animo ita afficiatur, quemadmodum gustatu per qualitatem cujusque cibi, prorsus hic mandato illi satisfacit: « *Psallite sapienter.* » (*Regul. brev. resp.* 279. *P. Gr.* 31, 1279.)

S. Nicetius, Ep. : Carissimi, intermittentes fabulas superfluas, intento sensu et vigilanti mente psallamus, ut Deo non displiceamus. Sic enim nos hortatur psalmus dicens : « Quoniam rex omnis terrae Deus, psallite sapienter » (*Ps.* 46, 8), id est intelligenter, ut non solum spiritu, hoc est sono vocis, sed et mente psallamus, et ipsum quod psallimus cogitemus, ne captivata mens fabulis et extraneis cogitationibus, laborem habeat infructuosum. (*De Psalm. bono c.* 3. *P. L.* 68, 374.)

S. Bernardus: Quoties dixeris *versum* in choro tuo, illum, qui *in choro altero* dicitur, *dicas silenter,* et versus singulos saltem aliquo pipere consperges, meditatione scilicet aliquâ spirituali. (*Doctrina S. Bernardi inter apocrypha. P. L.* 184, 1177.)

Martene Edmundus, mon. Congreg. S. Mauri, († 1739): Ille psallere sapienter dicendus est, cui Deus psallendo sapit. (*Comment. in reg. S. B. c.* 19. *P. L.* 66, 477.

S. Gertrudem Magn. (*Virg. monast. Helftens.*, † 1302) Deus allocutus est : « Vellem, ut *Electi* mei crederent, quia pro bono, imo pro optimo acceptarem, si super *expensis suis* Mihi aliquod servitium exhiberent. Verbi gratia : super *expensis propriis Deo sacrificium persolvit,* qui cum non habet

Fideliter *psallendum.*

Digitized by Google

saporem devotionis, nihilominus servit Deo in orationibus, genuflexionibus et similibus, et super his confidit de benignâ pietate Dei, quod tamen placide illud acceptet. (*Legat. div. piet. l.* 3, *c.* 18.)

Quamvis consolatione subtractâ.

S. Bonaventura : Noli diffidere, cum *consolatio internae dulcedinis* tibi *subtrahitur*, quasi, Deus dereliquerit te, vel bona opera tua non sint Ei accepta! Sed recurre ad illa vera testimonia et consolare in ipsis ; scilicet, ut confidas de veritate Dei : *quamdiu tu non discedis a Deo* per consensum ad praevaricationem mandatorum Ejus, quia *Ipse non derelinquet te* per propitiationem suam. (*Tom. 2 de process. relig. c.* 1 *in* 4.)

Vera devotio.

Ven. Ludov. Blosius: *Vera devotio in sui ipsius submissione, resignatione, abnegatione* ac *vilipensione* sita est potius, quam in sensibili sapore et dulcedine. (*In concil. anim. pars* 1. *c.* 13.)

Sufficit desiderium.

S. Dionysius Carthus.: Sat est, quod monachus nequaquam aversus sit a *desiderio spirituali placendi et serviendi Deo*, etsi non desideret tam ferventer, ut vellet. De imperfectione sua humiliter doleat ac discrete, et cum psalmista ardenter desiderare concupiscat, dicendo (*Ps.* 118, 20) : « *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* » (*De gaud. spirit. lib.* 1. *art.* 21.)

Impedit inquietus animus.

S. Laurentius Justin. : Quemadmodum *solis radius* nequaquam cernitur, cum commotae *nubes* coeli faciem obducunt ; nec *turbatus fons* respicientis imaginem reddit, quam tranquillus ostendit ; sic *nec inquietus animus Dei caritatem in rationis speculo potest conspicere.* Quemadmodum, qui terram colit, solerter *sentes* debet eradicare, ut uberiores valeat colligere fructus ; ita, qui concupiscit dulcedinem devotionis in oratione gustare, summopere studeat ipsius impedimenta declinare. (*Lignum vitae, tract. de orat. c.* 5 *et* 4.)

Et inultus.

Sacer cantus et eius effectus.

S. Joan. Chrysostomus: *Cithara estis Spiritui Sancto.* Vos eo, quod hoc in loco versamini, *praebetis vos ipsos organa*

Digitized by Google

vasaque Spiritui ; exhibetis animas vestras *ceu musica instrumenta*, quae Spiritus S. pulset moveatque, praebetis corda vestra *velut organa*, quibus gratiam suam inspiret. *Unde modulatum concentum redditis*, non solum homines demulcentem, verum etiam supernas Virtutes delectantem. (*Concio.* 1. *de Lazaro. n.* 1 *P. Gr.* 48, 963.)— Volens gratiorem officii divini laborem efficere *Deus admiscuit prophetiae melodiam, ut omnes cantici modulatione delectati* cum magna animi alacritate sacros Ei *hymnos emittant.* Nihil enim *animam* aeque *erigit* et *alatam quodammodo efficit* et *a terrâ liberat* et solvit a vinculis corporis et *amore sapientiae afficit* et, ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, perficit, sicut *versus modulatus*, divinum canticum numero compositum. Nostra certe natura usque adeo delectatur canticis et carminibus, ut vel infantes ab uberibus pendentes, si fleant et afflictentur, ea ratione sopiantur..... Quoniam ergo hoc genus delectationis est nostrae animae valde cognatum et familiare, ne daemones, lasciva introducentes, omnia everterent, psalmos Deus construxit, ut ex ea re *simul* caperetur *voluptas* et utilitas... Ex *psalmis* spiritualibus lucri plurimum, maxima utilitas insignisque sanctificatio et omnis philosophiae occasio procedit, cum et verba animam expient et S. Spiritus in canentis animam celeriter advolet. (*Hom. in Ps.* 41. *n.* 1 *P. Gr.* 55, 156. 157.)

Cantare amantis est.

S. Augustinus : Cantare amantis est. *Vox* hujus *cantoris fervor est sancti amoris.* Non jam est labor, sed sapor. (*Serm.* 336. *c.* 1 *P. L.* 38, 1472)... — Quas Tibi voces dabam in psalmis illis et quomodo in te inflammabar ex eis et accendebar eos recitare, si possem toto orbe terrarum, adversus *typhum* generis humani ! Nec satiabar, dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii Tui super salutem generis humani. *Quantum flevi in hymnis et canticis Tuis*, suavesonantis Ecclesiae Tuae vocibus commotus acriter ! *Voces illae influebant auribus* meis *et eliquabatur veritas in cor* meum ; et *exaestuabat inde affectus pietatis*, et *currebant lacrymae*, et *bene mihi erat* cum eis. (*Confess. l.* 9 *c.* 4. *n.* 8 *et c.* 6. *n.* 14 *P. L.* 32, 766. 769.) — Erat *David* vir in canticis eruditus,

Lacrymas excitat.

Digitized by Google

qui *harmoniam* musicam non vulgari voluptate, sed fideli voluntate dilexerit, eâque Deo suo, qui verus est Deus, mysticâ rei magnae figuratione servierit. Diversorum enim *sonorum rationabilis moderatusque concentus concordi varietate compactam bene ordinatae civitatis insinuat unitatem.* (*Civ. Dei l.* 17. *c.* 14. *P. L.* 41, 547.)

Cantus suaviter unit.

Orationem inflammat.

Joan. Cassianus: Nonnunquam *psalmi* cujuscunque *versiculus occasionem orationis ignitae* decantantibus nobis *praebuit;* interdum *canora fraternae vocis modulatio* ad intentam supplicationem stupentium animos excitavit. (*Collat.* 9. *c.* 26. *P. L.* 49, 802).

S. Germanus, Ep. Paris. (✝ 576): Inter ornamenta, quae fulgent in templo, etiam *divina verba dulci proferuntur eloquio*, ut... qui verbis non compunguntur, suavitate modulaminis moveantur, pensantes, *quanta sit dulcedo coelestis cantici, quando in incolatu hujus saeculi tam eleganter resonat Ecclesia laudes Christi.* (*Expositio antiquae liturgiae, epist.* 2. *P. L.* 72, 95.)

Disciplinam relevat.

S. Bernardus: Continentia, labor et rigor disciplinae, psalmorum hymnorumque *dulcedine* relevantur. (*Ep.* 78. *n.* 4. *P. L.* 182, 193.) — *Cantus psalmorum* in Ecclesiâ mentes hominum *laetificat*, fastidiosos *oblectat*, pigros *sollicitat*, peccatores *ad lamenta invitat.* (*L. de modo bene vivendi c.* 52. *n.* 122. *in append. P. L.* 184, 1274.)

Spiritum S. invitat.

S. Joan. Chrysostomus: Ubi sunt *meretricia carmina*, illic congregantur daemones; ubi autem *cantica spiritualia*, illic advolat Spiritus Sancti gratia, quae os sanctificat et animam. (*In Ps.* 41, 2. *P. Gr.* 55, 157.)— *Qui psallunt, implebuntur Spiritu Sancto*, sicut, qui satanica canunt, spiritu immundo. (*Hom.* 19. *in Ephes. n.* 2. *P. L.* 62, 129.)... Rursum nobis Beati Davidis spiritualis cithara a Spiritu Sancto pulsata, coelestes nobis sonos dedit, non aures demulcentes, sed animam erudientes. Illius enim sanctae citharae opus est animas sanctas reddere. Estque semper psalmodia, et laetantium celebritas, et moerentium consolatio, et incantatio quaedam sancta, quae non per fabulas profertur: sed

Digitized by Google

quemadmodum malas bestias, concupiscentias sopit, lasciviam eliminat, exstinguit iniquitatem, accendit justitiam, blasphemas suspiciones evertit, cogitationes turpes exigit, divinam dictat legem, Deum praedicat, fidem interpretatur, haereticos refrenat, Ecclesiam aedificat. (*In Psalm.* 96, 1. *int. Sæur. P. G.* 55, 603.) Telum est acerrimum et regibus in praeliis deprecatio, et nobis ad daemonum impetum propulsandum. (*De precatione orat.* 1. *P. G.* 50, 778.)

Hugo a S. Charo, Card.: *Psalmus* fugat daemones, vocat Angelos, excitat devotionem, placat Deum, impetrat veniam, hilarat animam, illuminat conscientiam. (*In Ps.* 91. *v.* 1.)

Trithemius, Abb. Spanheimens. († 1516): Quemadmodum pulvis a vento dispergitur, sic adversarius noster *diabolus, a voce psallentium* cum humili devotione, confusus et territus *effugatur.* (L. 1. hom. 17. ad mon.)

Sonus servire, sententia dominari debet.

S. Augustinus: In *sonis, quos animant eloquia Tua,* quum suavi et artificiosâ voce *cantantur,* fateor, aliquantulum acquiesco, non quidem ut haeream, sed *ut surgam, cum volo.* Attamen cum ipsis sententiis, quibus vivunt, ut admittantur ad me, quaerunt in corde meo nonnullius dignitatis locum, et vix eis praebeo congruentem. Aliquando enim plus mihi videor honoris eis tribuere, quam decet, dum ipsis *sanctis dictis religiosius et ardentius sentio moveri animos nostros in flammam pietatis, quum ita cantantur,* quam si non ita cantarentur; et omnes affectus spiritus nostri pro sui diversitate habere proprios modos in voce atque cantu, quorum *nescio quâ occultâ familiaritate excitentur.* Sed delectatio carnis meae, cui mentem enervandam non oportet dari, saepe me fallit, dum rationem sensus non ita comitatur, ut patienter sit posterior; sed, quia propter illam meruit admitti, etiam praecurrere ac ducere conatur. Ita in his pecco non sentiens, sed postea sentio. — *Aliquando autem,* hanc ipsam fallaciam immoderatius cavens, *erro nimiâ severitate... Verumtamen, quum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ Tuae* in primordiis recuperatae fidei meae

Digitized by Google

et nunc ipso, quod *moveor*, non cantu, sed rebus, quae cantantur, *quum liquidâ voce et convenientissimâ modulatione cantantur, magnam instituti hujus utilitatem agnosco.* (*Confess. l.* 10. *c.* 33. *n.* 49 *et* 50. *P. L.* 32, 799.)

Ailredus, Abbas Rieval. in Anglia (*Rieval, dioec. York.* ✝1165): Non sensui praeferendus est sonus, sed *sonus cum sensu ad incitamentum majoris affectus* plerumque admittendus. Ideo talis esse debet *sonus*, tam *moderatus*, tam *gravis*, ut non totum animum ad sui rapiat oblectationem, sed sensui majorem relinquat portionem. Ait nempe B. *Augustinus* (Conf. l. 10. c. 33): «*Movetur animus ad affectum pietatis, cantico audito ;* » sed si magis sonum, quam sensum libido audiendi desideret, improbatur. (*Specul. carit. l.* 2 *c.*23 *P. L.* 195, 571.)

Quid et quomodo cantandum.

S. Bernardus : *In solemnitate non novella audiri decet* vel levia, *sed* certe *authentica et antiqua, quae* et *Ecclesiam aedificent* et *ecclesiasticam* redoleant *gravitatem.* Porro sensa indubitata resplendeant veritate, sonent justitiam, humilitatem suadeant, doceant aequitatem. — Quae etiam lumen veritatis mentibus pariant, formam moribus, crucem vitiis, affectibus devotionem, sensibus disciplinam. *Cantus plenus sit gravitate, nec lasciviam resonet, nec rusticitatem ;* sic suavis, *ut non* sit levis ; sic mulceat aures, ut *moveat* corda. Tristitiam levet ; iram *mitiget* ; sensum literae non evacuet, sed *fecundet.* Non est levis jactura gratiae *spiritualis*, levitate cantus abduci a *sensuum* utilitate et plus sinuandis intendere vocibus, quam insinuandis rebus. En, qualia oportet esse, quae in ecclesiae audientiam veniunt. (*Ep.* 398. n. 2. P. L. 182, 610.) — Penitus indignum videtur, qui regulariter vivere proposuerunt, hos irregulariter Deo laudes decantare. (*Tractat. de cantu Antiphonar. n.* 1. *P. L.* 182, 1121.)

Cantus Deum delectet.

Origenes : Quis, putas, *ita canorae vocis* est et ita *spiritus purae mentis*, qui sincere canat, ut *cantilena ejus divinum delectare possit auditum ?* Ille profecto est, qui nullum raucum habet in se peccati sonum, qui nihil offensionis in linguâ, nihil crassitudinis in spiritu gerit. (*Hom.* 6. *in Iudic. n.* 3. *P. Gr.* 12, 977.)

Digitized by Google

S. Augustinus : *Voce cantamus, ut nos excitemus ; corde cantamus, ut (Deo) placeamus.* (In Ps. 147. n. 5. P. L. 37, 1917.) —Nos autem, qui in Ecclesiâ divina eloquia *cantare* didicimus, simul etiam instare debemus esse, quod scriptum est: « *Beatus populus, qui intelligit jubilationem.* » Proinde, carissimi, quod consona voce cantavimus, sereno etiam corde nosse ac videre debemus. (*In Ps.* 18. *enarr.* 2. *n.* 1. *P. L.* 36, 157.) — Neque enim omnis, qui labiis personat, « *cantat canticum novum,* » sed, qui eo modo cantat, ut Apostolus admonet, dicens : « *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* » Intus enim est hic gaudium, ubi vox laudis et canitur et auditur ; quâ voce laudatur, qui gratis amandus est toto corde, totâ animâ, totâ mente, amatoremque suum accendit in se gratia Spiritus Sancti : quid enim aliud est *canticum novum*, quam *laus Dei ?* (Ep. 140. c. 17 n. 44. P. L. 33, 557.) — Canta Deo, sed noli male. Non vult offendi aures suas. *Bene canta, frater !* Si cui bono auditori musico, quando tibi dicitur : « *Canta, ut placeas ei !* » sine aliquâ instructione musicae artis cantare trepidas, *ne displiceas artifici ;* quia, quod in te imperitus non agnoscit, artifex reprehendit ; quis offerat *Deo bene cantare*, sic judicanti de cantore, sic examinanti omnia, sic audienti ? Quando potes offerre tam elegans artificium cantandi, *ut tam perfectis auribus in nullo displiceas ?* Ecce, veluti modum cantandi dat tibi : « *In jubilatione cane !* » Quid est, in jubilatione canere ? Intelligere, verbis explicare non posse, quod canitur corde. Etenim illi, qui cantant sive in messe sive in vineâ sive in aliquo opere ferventi, quum coeperint in verbis canticorum exultare laetitiâ, veluti impleti tantâ laetitiâ, ut eam verbis explicare non possint, avertunt se a syllabis verborum et eunt in sonum jubilationis. « *Jubilum* » sonus quidam est, significans, cor parturire, quod dicere non potest. Et quem decet ista jubilatio, nisi *ineffabilem Deum ?* Ineffabilis enim est, quem fari non potes ; et si Eum fari non potes et tacere non debes, quid restat, nisi ut jubiles ? ut gaudeat cor sine verbis et immensa latitudo gaudiorum metas non habeat syllabarum.

Deo bene cantes !

In jubilatione.

Digitized by Google

Concorditer cantandum.

(*In ps.* 32. *enarr.* 2. *Serm.* 1. *n.* 8. *P. L.* 36, 283.) — *Chorus* est consensio cantantium. Si in choro cantamus, *concorditer cantemus.* In choro cantantium, quisquis voce discrepuerit, offendit auditum et perturbat chorum. (*In Ps.* 149 *n.* 7. *P. L.* 37, 1953.) — *Chorus concordiam significat,* quae in caritate consistit. (*In Ps.* 87. *n.* 1. *P. L.* 37, 1109.) — Orate certatim *concordes* sanctoque certamine. (*Ep.* 130. *c.* 16. *n.* 31. *P. L.* 33, 507.)

S. Nicetius, Ep.: Vox omnium vestrum non dissona debet esse, sed consona. Non unus insipienter protrahat, aut unus humiliet, alter vocem extollat ; sed innitatur humiliter unusquisque vocem suam intra sonum chori concinentis includere, non extrinsecus extollentes, aut protrahentes quasi ad stultam ostentationem indecenter efferre, neque hominibus placere velle. Totum enim tanquam in conspectu Dei, non hominibus placendi studio celebrare debemus. Habemus enim et de hac vocis consonantia formam positam, vel exemplum, tres illos utique beatissimos pueros, de quibus refert propheta Daniel: « Tunc, » inquit, « hi tres quasi ex uno ore hymnum dicebant, et glorificabant Deum in fornace, dicentes: Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum » (Dan. 3, 51. 52). Videtis quia pro magisterio ponitur quod tres pueri pariter Deum ex uno ore humiliter sancteque laudaverint. Et nos utique omnes quasi ex uno ore eumdemque psalmorum sonum, eamdemque vocis modulationem aequaliter proferamus: qui autem aequare se non potest caeteris, melius est ei tacere, aut lenta voce psallere quam clamosa voce omnibus perstrepere ; sic enim et ministerii implebit officium, et humiliter psallenti fraternitati non faciet offendiculum. Si ergo et nostra omnium vox fuerit inoffensa, vel consona labiorum cymbalis bene sonantibus, et nos delectabit, et audientes aedificabit, et Deo nostra suavis erit tota laudatio, qui in domo sua, sicut legitur, unanimes habitare facit. Quando enim psallitur, psallatur ab omnibus ; cum lectio legitur, facto silentio aeque audiatur ab omnibus, ut legente lectore omnino clamosis vocibus nemo perstrepat. Et antequam legatur, omnes convenite ;

Digitized by Google

si quis autem supervenerit cum lectio celebratur, adoret tantum Deum, et praesignata fronte, aurem legi Dei sollicite commodet. (*De Psalm. bono, c.* 3. *P. L.* 68, 374.)

De corde Dei cantandum.

Mechtildis, Virg. mon. Helfens. (✠ *c.* 1300): Cum vice quâdam *valde laboriose cantasset* et jam viribus defecisset, *videbatur sibi, quod omnem flatum, quem spirabat, de corde Dei traheret* et ita non viribus suis, sed *quasi divinâ virtute cantaret.* Solita enim erat, totis viribus Deo canere et tam ferventi amore, ut saepe videretur sibi, quod si etiam ex hoc spiritum exhalaret, non tamen a cantu cessaret. Cum ergo tali unione *cum Deo et in Deo canere* videretur, dixit illi Dominus: « Sicut tu modo flatum tuum ex Meo Corde trahere videris, sic omnis, qui in amore Meo aut Me desiderando, suspiraverit non de suo, sed ex Meo divino Corde spiramentum trahit, sicut follis, qui in se nullum continet flatum, nisi quantum ex aëre trahit. » Cum hymnus: « *Benedicite omnia opera Domini Domino* » in choro cantaretur, desiderabat scire, *quid ex hoc Deus laudis haberet*, cum ita creaturae ad laudem Suam invitantur. Ad quod Dominus respondit: « Cum hic hymnus vel aliud simile canitur, in quo *creaturae ad laudem convocantur divinam*, omnes creaturae spiritualiter velut personae quaedam in Mea praesentiâ stantes pro homine illo vel generaliter pro omnibus, in omnibus, quae feci sibi bonis, Me collaudant. » — Inter Missam, post elevationem, *vidit de Corde Dei exire citharam.* Cithara autem illa *erat Dominus* JESUS, *chordae vero omnes electi*, qui in Deo unum sunt per amorem. Tunc summus Cantor omnium cantorum JESUS *citharam percussit*, et sono dulcisono insonabant omnes Angeli, deinde omnes Sancti cantabant in Deo dulci harmoniâ. (*Lib. special. grat. l.* 3. *c.* 7. *et* 2. *c.* 2.)

Creaturae ad Dei laudem convocandae.

Jesus cantorum cithara.

S. Gertrudis: In *Missâ, quam Dominus* JESUS S. *Gertrudi decantavit*, ipsa per desiderium intraxit sibi *omnem delectationem*, quam unquam in amplexibus humanis aliquis persensit, et illam per primum *Kyrie eleison* de corde suo *in Cor divinum quasi in originem propriam refudit*,

Jesu et cantantis corda conjuant.

Digitized by Google

unde omne delectamentum totius creaturae processit. Et hoc fiebat per quemdam mirabilem influxum Dei in animam et refluxum animae in Deum, ita quod per singulas *notas descendentes* Cor divinum cum ineffabili delectatione flueret in animam et per *notas ascendentes* anima cum omni delectamento suo reflueret in Deum. — *In festo cujusdam Sancti*, dum intenderet horas canonicas in laudem Dei ejusdemque Sancti devotius cantare, *apparebant* omnia *verba, quae canebat, in modum lanceae peracutae de corde suo ad Cor* JESU CHRISTI *protendere* illudque medullitus penetrando inaestimabiliter suavissimâ delectatione commovere. *De ipsâ* enim *lanceâ*, quasi de superiori latere *videbantur spargi radii ad modum* lucidissime rutilantium *stellarum*, qui ad *singulos Sanctorum* pertingentes miro eos (novae) gloriae decore perornabant. Sed *specialiter ille Sanctus, cujus agebatur festum*, mirabili gloriâ singularis splendoris apparebat exhilaratus; *ex inferiori* vero *latere ejusdem lanceae* videbatur etiam omnibus *terrigenis specialis gratiae augmentum* ac *purgandis refrigerii subsidium* in modum guttularum profluentium largiflue ministrari. — Aliâ vice, dum studeret singulas notas et verba cum intentione proferre et in hoc ex humanâ fragilitate saepius impediretur, moesta ex hoc, dixit intra se : « Et quis ex tali studio provenire poterit effectus, cui tanta inest instabilitas? » Cujus moestitiam Dominus non sufferens praesentavit illi quasi propriis manibus suis Cor suum deificatum in similitudine lampadis ardentis, dicens : « *Ecce Cor Meum, dulcissimum semper venerandae Trinitatis organum*, oculis mentis tuae praetendo, cui omnia, quae per te minus supplere sufficis, fiducialiter pro te supplenda commendabis. Et sic omnia coram oculis Meis apparebunt summe perfecta. Quia ad similitudinem sicut servus fidelis, qui semper domino suo ad quaeque beneplacita paratus assistit, sic Cor meum deinceps semper aderit tibi ad hoc, ut omnes negligentias tuas quâlibet horâ pro te suppleat. » (*Legat. div. piet. l.* 4. *c.* 59 *et l.* 3. *c.* 24 *et* 25.)

Cantus Cor JESU *aperit.*

Cor JESU, *Trinitatis organum, supplet nobis.*

Sancte vivas, ut sancte cantes.

Joan. Bona, Card. (✠ 1674) : *Quorum vita cum cantu.*

Digitized by Google

opera cum voce concordant, horum *suavissima est harmonia, gratissimus Deo concentus.* Sonet, ait Ille ad talem animam, « *sonet vox tua in auribus Meis; vox enim tua dulcis et facies tua decora; amici auscultant, fac Me audire vocem tuam!* » O amoris ordinatissimas voces, *o animae amantis* consonantissimam melodiam! Ergone credibile est, *sic Deum humanis cantibus delectari, ut animam sibi dilectam ultro provocet ad cantandum?* O coelestem *virtutum musicam*, quae exsuperat omnem sensum, quae resonat in animâ justi, sed ab his, qui foris sunt, qui non sunt amici, comprehendi non potest! *Facit Deus concentum istum cum Sanctis suis*, et unusquisque pro varietate donorum *sonum* reddit vel gravem *humilitatis*, vel acutum vivae *fidei*, vel superacutum *caritatis.* — Primo quidem *receptum a majoribus cantum integrum oportet et illibatum custodire*, ne si semel aberrare coeperimus a semitis antiquis, quas posuerint patres nostri, paulatim inconsultis mutationibus religionis integritas destruatur. *Mutant mores, qui mutant cantum.* (*De div. Psalm. c.* 18. § 5. *n.* 3. *et* 2.)

Cantandum, quod traditum est.

S. Odo, Abb. Cluniac. († 942): Sunt et alia *musicorum genera*, aliis mensuris aptata; sed genus musicae, quod nos exposuimus, peritissimorum musicorum sanctissimorumque virorum ratione *suaviori ac veraciori* et *naturali modulatione* constat perfectum. *Sanctissimus* namque *Gregorius*, cujus praecepta in omnibus studiosissime sancta observat Ecclesia, hoc genere compositum mirabiliter Antiphonarium Ecclesiae tradidit suisque discipulis proprio labore insinuavit; cum numquam legatur eum secundum carnalem scientiam hujus artis studium percepisse, quem certissime constat omnem plenitudinem scientiae divinitus percepisse. Unum constat, quod *hoc genus musicae*, dum *divinitus S. Gregorio datum*, non solum humanâ, sed etiam *divinâ auctoritate fulcitur...* Ex quo probatur, quod *S. Gregorius Papa* plus omnibus *per divinam gratiam hujus artis industriam* sit *adeptus.* Nam si perpendas, valde mirabile est, quod *in nocturnis Responsoriis* somnolentorum more graviter et dissolute ad

Cantus Gregoriani.

Digitized by Google

vigilandum nos exhortari videtur; *in Antiphonis* vero plane et suaviter sonat; *in Introitibus* vero quasi voce praeconiâ ad divinum clamat officium; *in Alleluja* suaviter gaudet; *in Tractu* vero et *Gradualibus* plane et protense humiliatâque voce incedere videtur. *In Offerendis* vero et earum versibus maximeque *in Communionibus*, quantum in hâc arte valuerit, patefecit; est enim in eis omnimoda hujus artis elevatio, depositio, duplicatio, *dulcedo cognoscentibus*, *labor discentibus*, valdeque ab aliis cantibus discrepans mira depositio... Ille autem *maxime auctoritati Ecclesiae contradicit*, *qui* propter aliorum cantus *divinum B. Gregorii donum penitus praetermittit.* (De musica. P. L. 133, 783.)

Ex Manuscripto Veronensi Saeculi X.: Sanctissimus *Gregorius*, quum preces effunderet ad Dominum, ut *musicum tonum* ei desuper in carminibus daret, *descendit Spiritus S. super eum* specie columbae et illustravit cor ejus, et sic demum exorsus est canere, ita dicendo: « *Ad te levavi... Alleluja.* » (*Apud Lambillotte: Antiphonaire de S. Grégoire*, p. 8. *Bruxelles* 1867.)

Cantilenae recentiores vitandae.

Regula S. Pauli et Stephani (Saeculo VI.): Nullus praesumat, Responsoria vel Antiphonas, quae solent aliqui *composito sono*, pro suo libitu, et non ex canonicâ Scripturâ assumptâ canere, in Congregatione istâ vel meditari vel dicere, *per cantilenae sonos levitatis et otiositatis compedibus illigati*, aut de Congregatione avolare, diabolo suadente, festinent, aut intra Monasterium, inflati quasi singulari scientiâ, cunctos despiciant. Oportet autem nos unam et *simplicem Apostolicam* et *Patrum* nostrorum *imitari doctrinam* et gratiâ stabiliri cor moresque subdere disciplinae, et *ea cantare debemus*, *quae*, sicut B. Augustinus dicit, *ita scripta sunt*, *ut cantentur.* Nec alio modo, quam quo Ipse Dominus jussit per Prophetas et Apostolos manifestari ea hominibus, debent a nobis in laude Ipsius dici: ne, quae cantanda sunt, in tropis et cantilenae arte, nostrâ praesumptione, vertamus. *Si enim Sacrificium Deo confessionis et laudis offerre debemus*, *quomodo Ipse praecepit Sibi offerre: a*

Digitized by Google

nobis Dominus magis obedientiae, quam victimarum sacrificium quaerit; nec cantilenae artificiorum studio, quantum observantiâ mandatorum et cordis munditiâ delectatur. (C. 14. P. L. 66, 953.)

S. Nicetius, Ep.: Sonus vel melodia consentiens sanctae religioni psallatur, non quae tragicas difficultates exclamet, sed quae in vobis veram Christianitatem demonstret; non quae aliquid theatrale redoleat, sed compunctionem peccatorum faciat. (*De Psalm. bono, c.* 3. *P. L.* 68, 374.)

S. Eucharistia.

S. Joan. Chrysostomus: Dum conspicis *Dominum immolatum et in altari situm*, etiamne te inter mortales versari atque in terra consistere censes? (*De sacerd. l.* 3. *c.* 4. *P. Gr.* 48, 642.) — Per id tempus et *Angeli sacerdoti assident*, et coelestium Potestatum universus ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in Illius honorem, qui immolatur, *Angelorum chorîs plenus* est. (*De Sacerd. l.* 6. *c.* 4. *P. L.* 48, 68.) — Ubi Christus est, ibi Angeli sunt, ibi *coelum*, ibi *lux* hâc solari luce fulgentior. (*Hom.* 49. *in Matth. n.* 7. *P. Gr.* 57, 495.)

Coelum super altari apertum.

S. Gregorius M.: Quis fidelium habere dubium potest, in ipsâ immolationis horâ ad sacerdotis vocem *coelos aperiri*, in illo JESU CHRISTI mysterio *Angelorum choros adesse*, summis ima sociari, *terrena coelestibus jungi* unumque visibilibus et invisibilibus fieri? (*Dial. l.* 4. *c.* 58. *P. L.* 77, 425.)

Satanas impugnatur.

S. Ignatius Mart. († c. 107): Date operam, ut *crebro congregemini ad Eucharistiam* et gloriam Dei. Quando enim saepius in id loci convenitis, *labefactantur vires satanae*, et ignita illius ad peccandum jacula irrita resiliunt. (*Ep. ad Eph. c.* 13. *P. Gr.* 5, 655.)

Summum est donum.

S. Augustinus: Audeo dicere, quod Deus, cum sit *omnipotens, plus dare non potuit*; cum sit *sapientissimus, plus dare nescivit*; cum sit *ditissimus, plus dare non habuit.* (Int. apocr.)

David typus Christi in altari.

Hugo a S. Vict.: Hic illud agitur, in quo *noster David* insanire videbatur regi Achis, quando tympanizabat,

Digitized by Google

corpore super *lignum crucis* extenso, et impingebat ad ostia civitatis (1. *Reg.* 12.), i. e. ad conclusa corda et sibi non credentia, quando ferebatur in manibus suis, tenens panem et vinum et dicens: « *Hoc est corpus Meum, hic est sanguis Meus Novi Testamenti;* » quando defluebant salivae in barbam, i. e. videbatur loqui infantilia dicens: « *Nisi man-* « *ducaveritis carnem Meam et biberitis sanguinem Meum, non* « *habebitis vitam in vobis.* » Qui tamen, accepto regno super universam Judam universumque Israël, nunc juxta mysticum sensum Paralipomenon indutus stolâ byssinâ, vestitus Ephod lineo, *praecentor inclytus choros ducit sacrificans* et subsilit *coram arcâ foederis* Domini. O Regem, o sacrorum Principem! Quid sibi tantum tam clari capitis tripudium, dum tendit arcæ Dei tabernaculum et, *indutus Ephod, offert holocaustum et in nomine Domini benedicit populum*? — Ecce imperat Sacerdotibus, mandat Levitis, ut sanctificentur, Cantores instituit, eligit qui arcana cantent, qui canant pro octava, qui clangant tubis, qui personent buccinis, qui concrepent lyris. *In his omnibus ad Filium respicit.* Haec enim omnia *per Christum in Ecclesiâ coram spirituali arcâ Domini quotidie actitantur. Arca* namque Domini convenienter *designat corpus D. N.* JESU CHRISTI, ante cujus *consecrationem* in Ecclesiâ magnis vocibus exultatur. Habet haec arca in se *manna absconditum*, quod nemo novit, nisi qui accipit, dulcedinem videlicet spiritualis gaudii.... Unde *Ecclesiae chorus* tanquam universa multitudo Jacob canit legitime, et *David* cum cantoribus citharam percutit, quae resonat a superiori, dum supernis desideriis canentium corda succendit et laudes Deo canit. Quicquid enim Israël Dei i. e. *populus christianus* ad laudem Dei canit, *hoc praecentore, hoc magistro, canit.* Ab hoc concitatus jubilus cordis in voces corporeas chorique concentum nunc graviter, nunc acute et exiliter erumpit et *magni corporis Ecclesiae* per omnes gentes diffusae, quia unâ fide resonat, *cantus* pariter et insimul, *ubique et undique, multiplex et unus*, ab Ipso suaviter auditur. (*De offic. Eccl. l.* 2. *c.* 13. *int. apocr. P. L.* 177, 556.)

Christus, ut David, praecentor.

Digitized by Google

S. Joan. Chrysostomus: Cum *sacerdos* Spiritum S. invocaverit *Sacrificiumque* illud, *horrore* et *reverentiâ plenissimum*, effecerit, communi omnium Domino manibus assidue pertractato, quaero ex te, quoto illum in ordine collocabimus? *Quantam* autem ab illo *integritatem* exigemus? quantam *religionem?* Considera enim, *quales manus* illas administrantes esse oporteat? qualem *linguam*, quae verba illa effundat? Quanto denique non puriorem sanctioremque esse conveniat animam, quae tantum illum tamque divinum Spiritum receperit? (*De sacerd. l.* 6. *c.* 4. *P. Gr.* 48, 681.) — Assistit aliquis terreno regi, omnibusque modis molitur, ut quam plurimam erga illum *reverentiam* exhibeat, quo per hoc majorem illius erga se conciliet benevolentiam. Cujus gratia non solum specie capitis, verum etiam ipsâ voce, ipsâ manuum compositione, ipsâ pedum conjunctione totiusque corporis contractione talem reverentiam conatur ostendere. *Sic oportet nos assistere*, talem Deo glorificationem offerentes, *metuentes* ac *trementes*, ac tanquam Illum Ipsum mentis oculis intuentes. (*Hom.* 1. *in Is. c.* 6. *n.* 3. *P. Gr.* 56, 101.) — Necesse est, *sacerdotem* sic esse *purum*, ut si, in ipsis coelis collocatus, inter coelestes illas Virtutes medius staret. (*De sacerd. l.* 3. *c.* 4. *P. Gr.* 48, 642.) — *Sacerdotis thronus in coelis* collocatus est; ideo de coelestibus negotiis pronuntiandi, habet auctoritatem. (*Hom.* 5. *de verbis Isaiae n.* 1. *P. Gr.* 56, 131.) — *Sacerdotium regno* est tanto *excellentius*, quanto spiritus et carnis intervallum esse potest. (*De sacerd. l.* 3. *n.* 1. *P. Gr.* 48, 641.) — Sacerdotes Christi *vicarii* sunt *Christi;* qui honorat sacerdotem Christi, honorat Christum, et qui injuriat sacerdotem Christi, injuriat Christum. (*Opus imperf. in Matth. hom.* 17 *c.* 7. *v.* 6. *in apocr. P. Gr.* 56, 726.)

SS. Sacrificium quam sancte tractandum,

Quam reverenter.

Sacerdotis potestas et dignitas.

Vicarii sunt Christi.

S. Cyrillus, Ep. Alexandr. (✠ 444): Sacerdos *Christi figura* expressaque *forma*. (*De adorat. in spirit. et verit. l.* 13. *P. Gr.* 68, 882.)

S. Ephrem: *O miraculum* stupendum! *O potestas* ineffabilis! O tremendum *sacerdotii mysterium*, spirituale ac sanctum, venerandum et irreprehensibile, quod Christus

Sacerdotii mysterium;

Digitized by Google

in hunc mundum veniens etiam indignis impertitus est! (*Serm. de sacerdot. tom. III p.* 1.)

S. Isidorus Pelusiota, mon. († 449): *Divina* quaedam *res* est sacerdotium ac rerum *omnium praestantissima* (L. 2. ep. 52. P. Gr. 78, 494.)

Admiranda Dignitas et potestas.

S. Laurentius Justinianus: Magna prorsus est et *admiranda sacerdotum dignitas;* maxima illis est collata *potestas.* Suâ namque prolatione eloquiorum coelestium, et ad eorum paene libitum, corpus Christi de panis substantiatur materiâ, descendit de coelo in carne Verbum, et altaris verissime reperitur in mensâ. Hoc illis praerogatur ex gratiâ, quod nusquam datum est Angelis: assistunt Deo, illum contrectant manibus, tribuunt populis, in seque suscipiunt. Verum Angelorum, sive adstantium, sive ministrantium, quoniam vice funguntur, potius angelicam, quam humanam debent conversationem habere. (*De Euchar. c.* 39.)

S. Bernardus: O praeclara, o *reverenda potestas* vestra! Certe non est potestas post Deum, sicut potestas vestra, cui nihil in coelo vel in terrâ valeat comparari, consecrare videlicet corpus et sanguinem Domini. — Super potestate vestrâ, *super tam insigni spectaculo,* super tam solemni dignitatis vestrae privilegio *stupet coelum,* miratur terra, contremiscit homo, reveretur plurimum Angelica celsitudo. Haec est vere *indulgentia coelestis,* haec est vere cumulata gratia, haec est vere superexcellens gloria, sacerdotem Deum suum tenere et aliis dando porrigere. *O novam* et *divinam potestatem,* cujus ministerio panis Angelorum et vitae mortalibus quotidie praeparatur! Audite et obstupescentes *admiramini:* nulli Angelorum, nullis spiritibus supernis, sed hominibus, nec tamen omnibus, sed ordini vestro tantum (o sacerdotes) mandatum esse tanti sacramenti celebrationem in altari, quod Christus fecit manibus suis in Coenâ Paschali. O sacrum, o *coeleste ministerium* vestrum, laudabile *desiderium,* insigne *spectaculum,* solemne *miraculum!* Deus, qui mirabilis est in omnibus, se ipso certe mirabilior, quantum ad vos ostenditur, dum mirabiliora per vos operatur. Quid plura? « *Sacer-*

Digitized by Google

dotes Dei benedicite Domino, » digna Deo satagentes, ne vobis fiat in ruinam, quod digne sumentibus provisum est ad medelam! (*Serm. de excell. sanctifi. Sacram. n.* 3 *et* 5. *in app. P. L.* 184, 983.)

Simul Christus et sacerdos in altari,

Petrus Comestor: *Sacerdos* est coadjutor Redemptoris, consiliarius Domini, dapifer mensae Christi. (*Serm.* 47. *P. L.* 198, 1737.)

S. Bernardus: Certe *in altari loquitur Christus cum ministro suo:* Altare, inquit, cui assistis, repraesentat crucem, quam pro te sustinui, et *calix* sepulchrum, in quo mortuus quievi; *patena* lapidem superpositum, *corporale* sudarium; *substrateria corporalis* linteamina, quibus involutus fui. *Hostia,* quam vides, jam non est panis, sed caro mea; quae pependit in cruce pro mundi vita. (*Serm. de excell. sanctifi. Sacram. n.* 11. *in app. P. L.* 184, 987.)

Concordet virtus.

S. Hieronymus: Sacerdotis et *Christi os, mens, manusque* concordent. (*Ep.* 52. *n.* 7. *P. L.* 22, 533.)

S. Gregorius M.: Sicut sacerdos *honore* ordinis alios superat, ita etiam morum *virtute* transcendat. (*Lib. Regul. Pastor. p.* 2. *c.* 3. *P. L.* 77, 28.)

Puritas manuum, linguae, animae.

S. Petrus Damianus: Qui Dominicum corpus *pollutis* tractare *manibus* non veretur, crucifigentium JESUM particeps esse convincitur. (*Opusc.* 26. *c.* 2. *P. L.* 145, 501.)

Hugo a S. Victore: Perpende, sacerdos, quales oporteat esse *manus* tantarum rerum ministras; et qualem *linguam* talia verba fundentem; aut quanto ceteris mundiorem et sanctiorem *animam* talis Spiritus receptricem? (*De anima l.* 3. *c.* 50. *in append. P. L.* 177, 167.)

Petrus Blesensis: *Manus mundissimas* esse oportet sacerdotum, quae mundissimam carnem et sanguinem Christi tractant. (*Ep.* 157. *P. L.* 207, 452.)

Sancta Missae celebratio;

S. Ambrosius: Quantâ, Domine JESU CHRISTE, cordis *contritione* et lacrymarum fonte; quantâ *reverentiâ* et tremore; quantâ corporis *castitate* et animi *puritate* istud divinum et coeleste Sacrificium est celebrandum, ubi caro Tua in veritate sumitur, ubi sanguis Tuus in veritate bibitur, ubi summa imis junguntur, ubi adest praesentia

Digitized by Google

SS. Angelorum, ubi Tu es *Sacerdos et Sacrificium* mirabiliter et ineffabiliter constitutus! Quis digne hoc celebrare poterit, nisi Tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? (*Prec. ante Miss. inter apocryph. n. 4. P. L.* 17, 753.)

Et sancta sacerdotis vita.

S. Franciscus Assis. (✝ 1226): Audite fratres mei! Si *B. V. Maria* honoratur, quia JESUM portavit in sanctissimo utero suo; si *B. Joannes Baptista* contremuit et non audebat tangere Domini verticem; si *sepulcrum*, in quo per aliquod tempus jacuit, sic veneratur: quantum debet esse sanctus et justus et dignus, qui non moriturum, sed in aeternum victurum et glorificatum, in quem desiderant Angeli prospicere, contrectat manibus, corde et ore sumit et aliis ad sumendum praebet! *Videte dignitatem vestram*, fratres sacerdotes, *et estote sancti*, quia Ipse sanctus est, quem sumitis. Magna miseria et miseranda infirmitas, quando Ipsum sic praesentem habetis et aliquid aliud in toto mundo curatis. (*Epist. 2. ad sacerd.*)

Joan. Trithemius: Considera nunc et diligentissimâ investigatione perquire, *qualis sacerdotio conveniat vita*, quam mundum et *sanctum* te oporteat esse, quam *purum* in mente et *sapientem* in sermone, *strenuum* in opere... Altari astans, Dei Filium et Virginis immolaturus, quam devote, quamque reverenter te habere oporteat, sacrificii excellentia declarat... Qualem putas Christi sacerdotem esse debere? an *communis ei Christianorum conversatio* sufficiet? *Non sufficit.* Qui enim prior est ordine, sit etiam perfectior conversatione; gradus altior ornatum altiorem requirit, et qui alios *praecellit dignitate honoris*, condecens est, ut *praecedat* eosdem *perfectione virtutis.* (Ep. 1. ad nov. presbyt.)

Imitatio Christi: O quam mundae debent esse *manus* illae, quam purum *os*, quam sanctum *corpus*, quam *immaculatum cor* sacerdotis ad quem toties ingreditur Auctor puritatis! Ex ore sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum et utile procedere debet verbum, qui tam saepe Christi accipit Sacramentum. (*L. 4. c. 11.*)

Non perfunctorie fungendum, sed digne.

S. Augustinus: Si perfunctorie atque adulatorie res

Digitized by Google

sacra agatur, nihil apud Deum miserius et tristius et damnabilius. (*Ep.* 21. *n.* 1. *P. L.* 33, 88.)

S. Laurentius Justinianus: Sacerdos frequentatur in Ecclesiâ, ut justis gratiam, peccantibus veniam, debilibus robur, laetitiam moestis, diligentibus exultationem, nutantibus spem, credentibus pacem, victoriam certantibus, captivis libertatem atque defunctis conferat requiem... *Quanta cum veneratione* in altari debet astare sacerdos, cui consecrandi hostias, offerendi incensum atque intercedendi pro populo est impensa auctoritas! Mediationis enim gerit officium... *Accedat sacerdos* ad altaris tribunal ut Christus, assistat ut *Angelus*, ministret ut *Sanctus*, populorum offerat vota ut *Pontifex*, interpellet pro pace ut *mediator*, pro se autem exoret ut homo! (*Serm.* 39. *de Euch.*)

Sacrificium nunquam omittendum.

S. Bonaventura: Omissâ celebratione sacerdos *privat Trinitatem* laude et gloriâ, *Angelos* laetitiâ, *peccatores* veniâ, *justos* subsidio et gratiâ, *in purgatorio* existentes refrigerio, *Ecclesiam* Christi spirituali beneficio, *seipsum* remedio contra quotidiana peccata et infirmitates. (*De praep. ad Miss. c.* 5.)

S. Communio.

Ernaldus, Abb. Bonaevall. (✠ *c.* 1161): *Panis* iste *Angelorum* omne delectamentum habens, virtute mirificâ omnibus, qui digne et devote sumunt, secundum suum desiderium sapit, et amplius, quam *manna* illud eremi, implet et satiat edentium appetitus, et omnium carnalium saporum irritamenta et omnium superat dulcedinum voluptates. —

Est manna.

Quam *praeclarus* est *calix* iste, quam religiosa est hujus potus ebrietas, per quam excedimus Deo, et, quae retro sunt obliti, ad anteriora extendimur, non habentes sensum hujus mundi, sed, divitis purpurati divitias contemnentes, cruci haeremus. (*Lib. de cardinal. operib. Christi, Serm.* 6. *P. L.* 189, 1647.)

Calix inebrians.

S. Cyrillus: Quemadmodum si igne liquefactam ceram aliae cerae liquefactae ita miscueris, ut unum quid ex utrisque factum videatur, sic communione corporis et sanguinis Christi ipse in nobis est et nos in ipso. — Communio, mihi

Communio perfecta unio.

Digitized by Google

Ejus effectus.

crede, non *mortem* solum, verum etiam *morbos* omnes depellit. Sedat, quum in nobis manet Christus, saevientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi exstinguit. (*Comment. in Joan. l.* 10. *c.* 2. *et l.* 4. *c.* 2. *P. Gr.* 74, 342; 73, 586.)

Unum corpus.

S. Augustinus : O sacramentum *pietatis!* O signum *unitatis!* O vinculum caritatis! Qui vult vivere habet ut vivat, habet, unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur; vivat Deo de Deo. (*Tract.* 26. *in Joan. n.* 13. *P. L.* 35, 1613.)

Vere est cibus,

S. Thomas Aqu. : Omnem effectum, quem *cibus et potus materialis* facit, quantum ad vitam corporalem, quod scilicet *sustentat, auget, reparat et delectat*, hoc *totum facit Sacramentum, quantum ad vitam spiritualem.* (*III qu.* 79. *art.* 1.) — Repellit omnem daemonum impugnationem. (*Art.* 6.) —

Et refectio.

Effectus hujus sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiae vel caritatis, sed etiam quaedam actualis *refectio spiritualis* dulcedinis; quae quidem impeditur, si quis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus. (*III. qu.* 79. *art.* 8.)

Virtus SS. Sacramenti.

S. Bernardus : Si quis vestrum non tam saepe modo, non tam acerbos sentit iracundiae motus, invidiae, luxuriae aut ceterorum hujusmodi, gratias agat corpori et sangunii Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo. (*Serm. in coenâ Dom. n.* 3. *P. L.* 183, 272.)

Panis quotidianus.

S. Ambrosius : Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. (*L.* 5. *de Sacram. c.* 4. *n.* 25. *inter apocryph. P. L.* 16, 452.)

S. Augustinus : Cibus sum grandium, cresce et manducabis Me: nec tu Me in te mutabis, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in Me. (*Confess. l.* 7. *c.* 10. *n.* 16. *P. L.* 32, 9742.) — Si in arcâ sordibus plena vestis non mittitur pretiosa, quâ fronte in animâ, peccatorum sordibus inquinatâ, Christi Eucharistia suscipitur. (*Serm.* 229. *n.* 5. *in append. P. L.* 39, 2168.)

Christus vere praesens.

S. Joan. Chrysostomus : Quot nunc dicunt : « Vel-

Digitized by Google

lem Illius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta! » Ecce Eum vides, Ipsum tangis, Ipsum manducas. Et tu quidem vestimenta videre cupis; Ipse vero tibi concedit non tantum videre, verum et manducare et tangere et intra te suscipere. Ideo accedat nemo cum nauseâ, nemo resolutus, omnes accensi, omnes ferventes et excitati! (*Hom.* 82. *in Matth. n.* 4. *P. Gr.* 58, 743.) *Pura* igitur *mens* in omnibus, pura *cogitatio*, quia et sacrificium purum est. (*Hom.* 1. *de prodit. Jud. n.* 6. *P. Gr.* 49, 381.) — Quod *Angeli* videntes horrescunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem, hôc nos pascimur, huic nos unimur et facti sumus unum Christi corpus et una caro. (*Hom.* 82. *in Matth. n.* 5. *P. Gr.* 58, 743. — *Ex latere Christi mysteria* ortum habent, ut, quoties ad sumendum calicem accedis, tanquam ab ipso latere hauriens accedas. (*Hom.* 84. *in Joan. n.* 3. *P. Gr.* 59, 463.) — Haec mensa animae vis est, nervi mentis, fiduciae vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra. Absterge ab omni sorde animam tuam, *praepara mentem* ad horum mysteriorum susceptionem! *Oportet* eum, qui ad hoc corpus accedit, *esse sublimem* et cum terrâ nihil habere commune. (*Hom.* 24 *sup. ep.* 1. *ad Cor. n.* 5. *P. Gr.* 61, 204.) — Tanquam *leones ignem spirantes* ab illâ mensâ recedamus facti *diabolo terribiles!* (Hom. 46. in Jo. n. 3. P. Gr. 59, 260. — Ad terribilem mensam cum debitâ *reverentiâ* et cum congruâ *vigilantiâ* invitamur. *Nullus ibi Judas* reperiatur; nullus malignus accedat, nullus veneno pungatur. (*Serm.* 1 *de prod. Judae n.* 6. *P. Gr.* 49, 380.) — Adstat *mensa regia*, adsunt Angeli mensae hujus ministri, adest Rex ipse; et tu oscitabundus adstas? Si *vestibus indutus* es *mundis*, recumbe et communica. (*Hom.* 3 *sup. ep. ad Ephes. n.* 5. *P. Gr.* 62, 29.) — Considera, ne tu sis *reus corporis et sanguinis* Christi: Judaei sanctissimum corpus jugularunt, tu vero pollutâ suscipis animâ post tot beneficia. (*Hom.* 82 *in Matth. n.* 5 *P. Gr.* 58, 743.)

S. Mensae praestantia et virtus.

Mensa regia.

Isidorus Hispal.: Caro Christi *esca Sanctorum.* (Sup. Gen. c. 31. n. 48. P. L. 83, 284.)

Esca Sanctorum.

S. Hieronymus: Nihil quietius, nihil purius, nihil

Digitized by Google

denique pulchrius ea mente esse debet, quae in Dei habitaculum praeparanda est. (*Ep.* 148. *n.* 19. *int. apocr. P. L.* 22, 1213.)

Divinum prandium.

S. Bonaventura : Magnificum, mirificum, carum et mellificum ac *salvificum prandium*, quod apponit Dominus suis electis, scilicet Se Ipsum verum hominem et Deum. (*Coll.* 89. *sup. c.* 21 *Joan. sup. illud :* " *Venite et prandete.* ") — *Mensa divinae refectionis* praeparatur, corpus Christi hic vere manducatur, in quo nobis *divinitas propinatur.* Ex cujus manducatione resurrectio nobis promittitur, vita aeterna speratur, janua coelestis aperitur. — O qualis refectio, ubi *dapifer Christus, pincerna Spiritus Sanctus.* (*De septem donis Spiritus Ps. c.* 3. *et* 11.) — Cave, ne nimis tepidus et inordinatus *accedas* et inconsideratus, quia indigne sumis, si non accedis *reverenter, circumspecte* et *considerate.* (*De praeparat. ad Missam. c.* 4.)

Sponsus et Agnus.

S. Bernardus : Gloriosa et amabilis sponsa! In terrâ *Sponsum* habes in Sacramento, in coelo habitura es sine velamento; et hîc et ibi veritas, sed hîc palliata, ibi manifesta. *Vitulus saginatus*, integer ac perfectus, *Agnus anniculus*, plenus et immaculatus cum omni suavitate, dulcissimo sapore, gratissimâ jucunditate percipitur et sumptus non consumitur; cibus enim vitae est, qui de coelo descendit. (*Serm. de excell. sanctiss. Sacram. n.* 7. *et* 9. *in app. P. L.* 184, 985.) — Quicunque ad mensam Christi sedere voluerit, *non sine lacrymis accedat;* et si accesserit saltem sine gemitu non recedat. (*In prol. ad serm.* 15. *de Coena Dom. in app. P. L.* 184, 879.)

Convivium et sacrificium caritatis.

S. Thomas Aqu. : O pretiosum et admirandum convivium, salutiferum et omni suavitate repletum! Nullum Sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur et mens omnium spiritualium charismatum abundantiâ impinguatur. (*In Offic. Corp. Christi lect.* 5.) — Eucharistia *Sacramentum* est *caritatis.* (Opusc. 51 de Sacr. Alt. *in app.* c. 25.) — Eucharistia miraculorum est ab Ipso factorum maximum. (*In Off. Corp. Chr. lect.* 6.)

Hugo a S. Victore : Sicut non audemus accedere ad altare *sine vestibus*, sic non praesumamus accedere *sine virtutibus.* (Serm. 14. *in app.* P. L. 177, 927.)

Digitized by Google

Indigne conficiens proditor.

Petrus Blesensis: Qui Christi corpus indigne conficit, Christum tradit, ita ut Christus, dum traditur, dicat: « *Ecce manus tradentis me, mecum est in mensâ.* » Damnabiliter peccat, qui ad corpus Christi *cum felle* conscientiae pravae et *cum aceto* iniquitatis accedit. Perfidus Judaeus, perfidus Christianus: ille de latere, iste de calice Christi sanguinem fundit. Nonne potius *Antichristianus*, qui, quantum in se est, Christum jam factum impassibilem, ita tractat indigne, ita probris afficit, ita crudeliter interimit, et sepelit inhoneste? Qui sacra illius Sacramenti verba ore immundo profert, in faciem Salvatoris spuit. Cum in os immundum sanctissimam carnem ponit, eam quasi in lutum platearum projicit. (*Epist.* 123. *P. L.* 207, 360.

Fructus SS. Sacr.

Ludovicus Blosius: Nulla lingua exprimere, nullum cor comprehendere potest, quam *ingentia bona* homini proveniant *ex piâ perceptione* Sacramenti Eucharistiae. (*Specul. spirit. c.* 12.) — Tota Trinitas inhabitat ipsum corpus Christi, quia tota divinitas in eo est. (*Instit. spir. c.* 8.)

S. Liturgia.

Gavantus, Gener. Congr. Barn. († 1638): *Ecclesia in toto anni curriculo* repraesentare studet *Christi actiones* a primo adventu in carne usque ad secundum in fine mundi adventare. (*Thes. ss. rit.*)

Est mysteriis plena.

Rupertus, Abb. Tuitiens.: Qui *mysteria* vel *signa Ecclesiae* fideliter et pie frequentant, quamvis causas eorum scire non potuerint, non tamen sine fructu sunt. Ideo quippe haec instituta sunt, ut miro modo *secreta Dei*, quae a paucis possunt intelligi, bene ab omnibus possint agi. Numquid, quia in operando soli vident oculi, cetera membra, quae non vident et tamen operantur, sine fructu sunt? (*De divin. off. prolog. P. L.* 170, 13.)

S. Petrus Damianus: Quidquid *sub veteri* vel *novo Testamento* in divinis officiis agitur, totum pene *per figuras mysticas* et *aenigmata* fieri videtur. Quid enim tota illa *Tabernaculi compositio?*... quid *ceremoniae* sacerdotum, *quid* denique vel *moderni S. Ecclesiae Ritus exigunt*, nisi ut

Digitized by Google

virtus in eis spiritualis intelligentiae requiratur? Atque, ut ita loquar, *mysterium latet in ministerio*, dum exterioris cultûs exercitio arcanum allegoricae theoriae comprehenditur sacramentum. (*Opusc.* II. *c.* 17. *P. L.* 145, 245)

Cultus prodest homini.

S. Augustinus: *Quod recte colitur Deus, homini prodest*, non Deo; neque enim quisquam *fonti* dixerit profuisse, si biberit; aut *luci*, si viderit. (*De Civ. Dei. l.* 10. *c.* 5. *P. L.* 41, 282.) — *Orantes* de membris sui corporis faciunt, quod supplicantibus convenit, cum genua figunt, cum extendunt manus vel etiam prosternuntur solo, et si quid aliud visibiliter faciunt. Quamvis eorum invisibilis voluntas et cordis intentio Deo nota sit nec Ille indigeat his indiciis, ut humanus Ei pandatur animus; sed *his* magis *se ipsum excitat homo* ad orandum gemendumque humilius et vehementius. Et nescio quomodo, cum hi motus corporis fieri nisi animi motu praecedente non possint, eisdem rursus exterius visibiliter factis, ille interior invisibilis, qui eos facit, augetur: ac *per hoc cordis affectus*, qui ut fierent illa, praecessit, quia facta sunt, *crescit*. (*De curâ pro mortuis gerendâ c.* 5. *P. L.* 40, 597.)

Ceremoniae animum excitant.

Sunt rite et ordine faciendae.

Caeremoniale monast. Congr. Hispanicae (1640): Si *magnum decus* ubique rebus addit bene digestus nullâque confusione violatus *ordo*, nos profecto, qui dies noctesque in domo *Dei sacra ministeria* obimus, in id incumbere debemus, ut *rite ac ordine faciamus*, ne frustra praeclarum nomen « *Ordinis* » circumferamus. Et quidem Numen divinum capi ceremoniis, magno argumento est totus *liber Levitici*, quem, si a capite ad calcem evolvas, *Deum* profecto *Ipsum Magistrum Ceremoniarum* esse, non falso dices. *Hoc* nimirum *Magistro novem choris in coelo psallitur.* « Et stat Angelus juxta aram, habens thuribulum « aureum in manu suâ. Et millia millium ministrant et decies « centena millia assistunt, et viginti quatuor seniores se « prosternunt. » Quapropter *sacras ceremonias rem magnam esse*, semper creditum fuit... Hae animos opere fessos ac paene sopitos lacessunt atque *excitant*, spectantium *sensus rapiunt*, et reverentiâ majestatis perculsos *in venerationem*

Magni aestimandae.

Digitized by Google

Numinis perducunt ; id denique obtinent, *ut* Magno Deo *Angeli ministrare per templa videantur*, non homines. (*In praefat.*)

V. Lodov. Blosius: Hic est *decor*, haec *majestas domus Dei*, quae cernitur *in* divinorum officiorum sacrificiorumque statutis ac *solemnibus caeremoniis*, devotâ gravitate et gravi devotione obeundis ; in *Gregoriano cantu*, clare, lente, sonore atque articulate celebrando ; in omni denique opere Dei, cum interno sapore et externâ modestiâ rite decenterque peragendo. (*In vitâ V. Blosii c.* 20. *n.* 78. *ap. Bolland. tom. I. Jan.*)

Festa Ecclesiae.

S. Augustinus: Recte *festa Ecclesiae* colunt, qui se Ecclesiae filios esse recognoscunt. (*Serm.* 231. *n.* 1. *P. L.* 39, 2171.)

S. Gregorius M. : *Umbra venturae solemnitatis* est solemnitas praesens. (*Hom.* 26. *in Evang. n.* 10. *P. L.* 76, 1203.)

S. Bernardus : *Speciale obsequium* praebetur Deo in observantiâ sanctarum solemnitatum. (*Serm.* 4. *sup. Salve Reg. n.* 4. *in app. P. L.* 184, 1075.)

Thomas a Kempis : Exteriora festa internorum sunt incitamenta festorum et aeternorum quaedam *praesagia gaudiorum.* (Meditat. 4. de Nativ. c. 1.)

Monachus vir Dei ex fide vivens.

Fidei laus.

S. Augustinus: *Domus Dei credendo firmatur*, sperando erigitur, diligendo perficitur. (*Serm.* 27. *c.* 1. *P. L.* 38, 178.) — Nullae sunt majores divitiae, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quam est *fides catholica.* Haec peccatores homines salvat, caecos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, poenitentes reparat, justos augmentat, martyres coronat. (*Serm.* 384. *n.* 4. *P. L.* 39, 1690.) — *Piscis bonus pia est fides ;* vivit inter fluctus, nec frangitur nec solvitur fluctibus. Vivit inter tentationes tempestatesque hujus saeculi pia fides ; saevit mundus, et integra est. (*Serm.* 105. *c.* 4. *n.* 6. *P. L.* 38, 620.) Quando, Deo adjuvante, *ex verâ vivitur fide*, ipse Deus adest et menti illuminandae et concupiscentiae superandae et molestiae perferendae. (*L.* 5. *contr. Julian. c.* 3. *n.* 9. *P. L.* 44, 788.) — *Si*

Digitized by Google

dormiat fides vestra, dormit Christus in vobis; in quo autem non dormit fides, vigilat Christus.(*In Ps.* 120. *n.* 7. *P. L.* 37, 1611.) — *Intellectus merces est fidei;* ergo noli quaerere, ut credas; sed *crede, ut intelligas.* (Tract. 29. in Evang. Joan. n. 6. P. L. 35, 1630.)

S. Ambrosius: *Ubi fides*, ibi *exercitus Angelorum.* (De obitu Theodos. imp. n. 10. P. L. 16, 1389.)— Tene *clavum fidei*, ut te graves hujus saeculi turbare non possint procellae. (*Ep.* 2. *n.* 1. *P. L.* 16, 879.) — Ubi *fides integra* est, ibi Salvator docet, vigilat et exultat; ibi *requies*, ibi tranquillitas, ibi cunctorum est *medicina.* (Serm. 37. n. 7. P. L. 17, 679.) Fides nostra, *thesaurus* est. (*L.* 1. *de Abraham c.* 9. *n.* 90. *P. L.* 14, 453.)

S. Fulgentius, Episc. Rusp. (✠ 533): *Fides* est bonorum omnium fundamentum; *fides* est humanae salutis initium. *Sine hac fide* nemo ad filiorum Dei numerum potest pervenire; sine fide omnis labor hominis vacuus est. (*De fide ad Petrum n.* 1. *P. L.* 65, 671.)

Fides fundamentum,

S. Joan. Chrysostomus: *Fides* est *justitiae* origo, *sanctitatis* caput, *devotionis* principium, *Religionis fundamentum.* Nullus unquam sine hâc Dominum promeruit, nullus sine illâ fastigium sublimitatis ascendit. (*Serm. de fide, spe et carit. inter suppos.*)

Scutum,

Lumen et ancora.

Non sinit *fides* subverti, infirmas cogitationes corrigens praestantia suae virtutis, et *caliginem dispellens* animamque, velut in domicilio tenebroso inter tumultuantes cogitationes sedentem, suo lumine illustrans... Quemadmodum navem ventorum impetu jactatam et fluctuum assaltu inundatam demissa ancora omnino stabilit et in medio pelago radicat, ita navem nostram, extraneis cogitationibus jactatam, adventu suo *fides* ex imminenti naufragio liberat, in conscientiae certitudinem tanquam in tranquillum portum deducens. (*Serm. sup. verb. Apost.*: "*Habentes autem eumdem spiritum*" *n.* 2 *et* 3. *P. Gr.* 61, 274.)

Fides *lampas* est, quia sicut lampas illuminat domum, in quâ est, sic fides illuminat animam cujus est. (*Op. imperf. in Matth. serm.* 52. *n.* 1. *in app. P. Gr.* 56, 930.)

Digitized by Google

Sufficit unus homo fidei zelo succensus, totum corrigere populum. (*Hom.* 1. *de stat. n.* 52. *P. Gr.* 49, 34.)

Fides bonorum inventrix,

S. Bernardus : Dicit *fides* : Parata sunt magna et inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis. Dicit *spes* : Mihi illa servantur. Tertia quidem, *caritas* : Curro, mihi ait, ad illa. (*Serm.* 10. *in Ps.* " *Qui habitat.* " *n.* 1. *P. L.* 183, 221.)

Quid non inveniat fides ? Attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, ipsamque denique *aeternitatem suo* illo vastissimo *sinu quodammodo circumcludit.* (*Serm.* 76. *in Cant.* n. 6. P. L. 183, 1153.)

Mundi victrix, si viva.

« *Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra* » (1. Joan. 5, 4). *Fide* siquidem in Dei filios adoptamur ; *fidem* in nobis mundus in maligno positus persequitur ; *fide* quoque et vincitur, sicut scriptum est : « *Sancti per fidem vicerunt regna* » (Hebr. 11, 33). Quidni attribuatur fidei victoria, cujus est etiam vita ? *Justus*, inquit (Scriptura), *ex fide vivit* (Habac. 2, 4 ; Rom. 4, 17)... Audi, quid Dominici constitutus pastor ovilis admoneat : « *Adversarius*, inquit, *vester diabo-* « *lus, tanquam leo rugiens, circuit, quaerens, quem devoret, cui resistite fortes in fide* » (I Petr. 5, 8). « *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quia* JESUS *est Filius Dei...* » (1. Joan. 5, 5). Putasne, Filium Dei reputat JESUM, quisquis Ipsius nec terretur comminationibus, nec praeceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Nonne is, etiamsi fateatur se nosse Deum, factis tamen negat ? « *Fides sine operibus mortua est* » (Jac. 2, 20) in semetipsâ... Quaeris, quaenam sit *vivida et victoriosa fides ?* Illa sine dubio, per quam Christus habitat in cordibus nostris. Christus enim et virtus est et vita nostra. « *Cum Christus apparuerit vita nostra*, ait Apostolus, *tunc et vos apparebitis cum Ipso in gloria* (Coloss. 3, 4)... Certum *mundi triumphati testimonium* est, si corpus castiges, si subjicias servituti, ne perniciosâ libertate serviat voluptati ; si fletui praebeas oculos magis, quam petulantiae vel curiositati ; si denique, spirituali dilectione flagrans, nulli animum dederis vanitati. (*Serm.* 1. *in Octav. Paschae n.* 2-6 *P. L.* 183, 293.) —

Fidei vita caritas,

Itaque *vita quidem corporis est anima*, per quam movetur et

Digitized by Google

sentit : *vita vero fidei caritas* est, quia per illam operatur, sicut in Apostolo legis : « *Fides, quae per dilectionem operatur* » (Galat. 5, 6). Unde et *refrigescente caritate fides moritur*, sicut corpus animâ recedente. Tu ergo si videris hominem in bonis operibus strenuum et fervore conversationis hilarem, vivere in eo fidem non dubites, indubitata tenens vitae illius argumenta.(*Serm.* 2. *in temp. Resurrect. n* 1. *P. L.* 183, 283.)— Illud satis mirari nequeo, quod *fides nostra in praesentibus titubat*, quae de futuris tam certa videtur... Propheta loquitur, dicens : « *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.*» Et facile credimus universi. Loquitur Dominus Prophetarum : « *Venite ad Me omnes, qui laboratis et onerati estis, et Ego reficiam vos ; tollite jugum Meum super vos ; et invenietis requiem animabus vestris ; jugum enim Meum suave est et onus Meum leve,* » et quam multi avertunt cordis aurem! — Christus frustra clamat de *levitate oneris sui ;* sine causâ *jugum suum suave* praedicat, quandoquidem et ab ipsis, qui Christiano censentur nomine, *onus diaboli* et *jugum carnis* atque saeculi hujus delectabilius reputatur... Sane, qui probaverunt utraque, ecce hi sciunt, quia Deus verax, « *omnis* » autem «*homo mendax* » (Rom. 3, 4). « *Carnalis siquidem homo non percipit, quae sunt Spiritus Dei ; sed stultitia illi videtur* » (1 Cor. 2, 14). Miseri et infelices! qui viam civitatis habitaculi non invenistis, et ideo erratis in invio et non in viâ.(*Serm.* 111. *de divers. n.* 2-4. *P. L.* 183, 737.)

Sive sancta conversatio.

Fides mater virtutum.

S. Leo Pp. M.: Magnum praesidium est *fides integra*, fides *vera*, sine quâ nihil sanctum, nihil castum, nihil vivum est. (*Serm.* 24. *n.* 6. *P. L.* 54, 207.)

Clemens Alexandrinus presb. (✠ *c.* 220): Fides est basis ac *stabilimentum caritatis,...maxima mater virtutum.* (*Strom.* l. 2. c. 6 et 5. P. Gr. 8, 966. 958.)

S. Petrus Damianus : Fides est *origo virtutum ;* fides bonorum operum fundamentum ; fides est totius salutis humanae exordium. Per cujus semitae lineam quisquis caute non graditur, erroris laqueo necesse est capiatur. Qui non

Digitized by Google

novit ambulare *per fidem*, nequaquam pertingere valebit *ad speciem*. (*Opusc.* 1 *prooem. P. L.* 145, 21.)

S. Bruno, Card. et Ep. Signiens. (*Segni* in Campan.) († 1123): Primum Ecclesiae ornamentum fides est, quae *in toto virtutum exercitu prima* est. Omnes aliae virtutes eam sequuntur, et sine ipsâ coelestis regni palatium non ingrediuntur... Si veniat humilitas, si patientia, si castitas, si ipsa caritas, quae ab Apostolo major dicitur, nisi fides adsit, omnes repelluntur et ingredi non permittuntur. (*Sent. l.* 2. *c.* 1. *P. L.* 165, 901.)

S. Bonaventura : Miro modo anima delectatur in intelligendo, quod perfecta fides credit. — Fides non tantum est virtus gratuita, sed gratuitorum *virtutum regula* et *auriga*. (*Suppl.* l. 1. *Sent. in prooem. qu.* 2. *et dist.* 23. *art* 1. *qu.* 1.)

Eusebius, Ep. Emesin.: Esse *Deum credere* et diabolus invenitur ; *in Deum vero credere*, nisi qui pie in Eum speraverit, non probatur. Et ideo *Deum* credere, naturaliter scire est , *in Deum* vero credere, hoc est fideliter Eum quaerere et totâ in Eum dilectione transire. (*Hom.* 2. *de symbol., inter apocryph.*) *In Deum credendum.*

Joan. Trithemius : Si bene credis et male vivis, proprio te gladio perimis. (*L.* 2. *serm.* 2.)— Sine *fidei scuto* diabolus non vincitur, nec lascivae carnis impetus superatur. (*L.* 1. *hom.* 3. *ad monach.*)

S. Thomas Aqu. : Deus est in omnibus *per potentiam*, quia Ei omnia subjecta sunt ; est in omnibus *per essentiam*, quia omnia immediate creavit ; est in cunctis *per praesentiam*, quia omnia cognoscit. (*I. qu.* 8. *art.* 3.)— Sicut anima est tota in qualibet parte corporis, ita *Deus totus* est *in omnibus et singulis*. (1. *qu.* 8. *art.* 2. ad 3.) *Monacho coram Deo ambulandum.*

S. Augustinus : *Nihil Deo praesentius*, et nihil Eo secretius. (*De Spiritu et Anima c.* 57. *in app. P. L.* 40, 822.) — Ad Eum, qui ubique praesens est et ubique totus, non pedibus ire licet, sed moribus; non ambulando, sed amando. (*Ep.* 155. *c.* 4. *n.* 13, *P. L.* 33, 672.)

Digitized by Google

Dei praesentia piis praesidium;

Vitae SS. Patrum: *Ubique Deus* est: *piis* autem et in spirituali exercitio sudantibus *propinquat;* non his, qui professione solâ honestantur, sed his, qui illustrantur operibus. *Ubi Deus* est, *quis insidiari valet*, aut nocere poterit? (*L.* 10. *c.* 144. *P. L.* 74, 191.) — Surgente, vel ambulante, vel sedente, vel aliud quodlibet faciente, si est Deus prae oculis tuis, in nullo poterit te *inimicus* exterrere. (*Sent.* 24. *in app. P. L.* 74, 368.)

Cassiodorus Abbas: Praesentiam Dei solus quaerit humilis ac devotus. (*Sup. Ps.* 104. *v.* 4. *P. L.* 70, 743.) — O quam profunda caecitas, Deum ante oculos non habere. (*Sup. Ps.* 9, 24. *P. L.* 70, 87.) — *Diabolus* vacantia desiderat, nudata perquirit; sed ubi Deum praesentem reperit, sub magna confusione discedit. (*Sup. Ps.* 63.)

S. Evagrius, Ponticus mon. saec. IV.: Da operam ut *crebrius Deum in mente* habeas, *quam spiritum ducas*... Si illud semper memineris, rerum scilicet omnium, quas vel animo vel corpore geris, inspectorem Deum esse, *in nullâ* omnino *actione peccabis.* (*De octo vitios. cogit. n.* 9. *P. Gr.* 40, 1275.)

Est lux mentis.

S. Gregorius M.: Ubi *Dei* ingreditur *memoria*, ibi est *lux* veritatis immensa. (*Sup. Ps. poenit.* 1, 5. *int. dub. P. L.* 79, 555.)

S. Hieronymus: Semper cogitationi tuae Dei praesentia occurrat. (*Ep.* 148. *n.* 19. *P. L.* 22, 1213.) — Ad omnia, quae tibi agenda sunt, regaliter age, quia *Deus tecum* est. (*In quaest. in* I. *lib. Reg.* 10, 7, *in app. P. L.* 23, 1356.)

V. Ludov. Blosius: Felix illa anima, quae Deum sincere diligens, in hoc exilio *praesentiam Ejus libero, claro, sereno*, et *simplicis mentis intuitu*, gratia ejus adjuvante, *contemplari* novit. (*In specul. spirit. c.* 10.) — *Deus ubique te intuetur*, atque etiam abditissima intentionum affectionumque tuarum perfecte cognoscit. Adeo tibi praesens est, adeo intra te est, ut nec unum quidem sine Eo moveas gressum. Hoc prorsus persuasum habe, hoc crede, et praesentiam Ejus ama ac reverere, erubescens aliquid admittere, quod oculis tam

Digitized by Google

excelsi tamque intimi Spectatoris displiceat. (*In Canon. vit. spirit. c.* 13.)

Deus praesens refugium.

S. Basilius : *Dei inhabitatio* est, insidentem intus *Deum memoriâ complecti.* Sic *Dei efficimur templum*, cum nec terrenis curis perpetuus memoriae tenor interpellatur, nec improvisis commotionibus perturbatur intellectus, sed *omnia fugiens Dei cultor ad Deum secedit*, repellens provocantes ad libidinem affectiones ac in studiis ad virtutem ducentibus immoratus. (*Ep. 2. n. 4. P. Gr.* 32, 230.) — In monasterio non clamor fieri debet nec quaevis animi aberratio ab hâc *persuasione, Deum esse praesentem.* (Ep. 22. n. 2, P. Gr. 32, 290). — Impressam in animis nostris *piam de Deo cogitationem, velut indelebile aliquod signum* circumferamus. (*Reg. fus. 5. n. 2. P. Gr.* 31, 922.)

Dei recordatio fugat tenebras.

S. Ephrem : Nihil pejus graviusque est, quam Ipsius Dei oblivionem capere. Continuâ enim *Dei recordatione* turpes animae passiones recedunt, instar maleficorum, accedente praetore : unde et mundum Spiritus Sancti habitaculum efficitur. *Ubi* vero *memoria Dei abest*, ibi *tenebrae*, cum foetore dominantur omnisque res improba exercetur. (*De virt. c.* 10. *tom.* 1, *p.* 288.)

Semper cogita adesse Deum.

S. Joan. Chrysostomus : Dic mihi, si tibi semper *prope principem* standum esset, non cum timore adstares? Quando comedis, cogita *praesentem Deum;* adest enim. Quando dormiturus es,... et quidquid tandem feceris, cogita, adesse Deum. (*Hom. 8. in ep. ad Phil. n. 1. P. Gr.* 62, 239.)

S. Gregor. Naz. : Ut corpus animae, rami arboris trunco, solares radii soli, ut inde virtutem suam trahant uniti esse debent; ita mente Deo uniti esse debemus. « *Accedite ad Eum*, ait Propheta (*Ps.* 33, 6), *et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.* »... Nec enim tam saepe spiritum ducere, quam Dei meminisse debemus. Imo, aliud nihil, quam hoc faciendum. (*Or.* 27. *n.* 4. *P. Gr.* 36, 15.)

S. Dorotheus, monach. Palaest. saec. VI. : Curam habe orationis, vide ne ipsam perdas... Dei memor esto,

Digitized by Google

eumque tibi praesentem considera. (*In vita S. Doristhei n.* 14, *ap. Boliand. l.* III. *Febr.*)

Me tanquam solum Deus considerat.

S. Augustinus : Sic, *Domine, gressus meos semitasque consideras*, et die noctuque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans, speculator perpetuus, *veluti* si totius creaturae Tuae, coeli terraeque oblitus, *tantum me solum consideres* et nihil sit Tibi curae de aliis. Neque enim Tibi crescit lux incommutabilis visionis Tuae, si tantum unum aspicias : neque minuitur, si innumera videas et diversa. Quidquid cogito et in quocumque delector, Tu vides, aures Tuae audiunt, oculi Tui vident et considerant; signas, attendis, notas et scribis in libro Tuo, sive bonum fuerit sive malum, ut reddas postea pro bono praemia et pro malo supplicia. (*In soliloqu. inter apocryph.* 14. *P. L.* 40, 875.)

Deus ubique totus.

S. Bonaventura : Deus est Esse simplicissimum et maximum, ideo totum intra omnia et totum extra omnia, ac per hoc est *sphaera intelligibilis*, cujus *centrum est ubique et circumferentia nusquam.* (Itinerar. mentis in Deum, c. 5.)

Me semper judicans.

S. Laurentius Justinianus : Nihil reor sic efficax ad internam adipiscendam munditiem et ad virtutum arcem consequendam, necnon ad conterendas carnis delectationes, quae adversus animam militare noscuntur, quemadmodum *cogitare, se adstare semper ante oculos Judicis cuncta cernentis.* (L. de Grad. perf. c. 6.)

S. Bernardus : *Ubique regnat Deus*, ubique imperat, ubique majestas Ejus. (*Serm.* 5. *pro Dom.* I. *Nov. n.* 5. *P. L.* 183, 355.) Sicut nullum est momentum, in quo non utamur vel fruamur Dei pietate et misericordiâ, sic nullum debet esse momentum, in quo eum *praesentem* non habeamus in memoriâ. *De interiori domo. c.* 3. *n.* 7. *in app. P. L.* 184, 511.) — Illum *semper ante oculos* habere debemus, per quem sumus, vivimus et sapimus. (*Medit. c.* 6. *n.* 19. *in app. P. L.* 184, 479.)

Deus in nobis conspiciendus.

S. Diadochus, Ep. Photicens. in Illyriâ († 450) : Degamus nos in hac vitâ fallaci, semper cum *perpetuâ Dei memoriâ*, tanquam oculis capti, profundum cordis nostri intuentes. (*De perfect. spir. c.* 56. *P. Gr.* 65, 1185.)

Digitized by Google

Semper JESUS *attendendus.*

Thomas a Kemp.: Disce,o homo,ad JESU amorem et honorem cuncta exercitia tua trahere et ordinare, et *tanquam praesentem Eum in omni loco et tempore attendere*... Hoc est *Christum* per fidem et dilectionem *habitare in corde* tuo : oculos mentis ab Ejus imaginatione nunquam avertere, ad Ejus beneplacitum semper tendere, et nihil Ejus amori praeponere; sed quidquid boni audieris vel legeris vel feceris, ad Ipsum totaliter reducere et finaliter referre. (*L. de discipl. claustr. c.* 13.)

Monachus Dei amator.

S. Bernardus : *O felix amor*, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuum, desideriorum sanctitas, operum claritas, virtutum fecunditas, meritorum dignitas, praemiorum sublimitas! *Exigit Deus timeri ut Dominus, honorari ut Pater*, et *ut Sponsus amari.* Quid in his praestat, quid eminet ?... Servilis est timor, quamdiu ab amore non manumittitur. Et qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. Et quidem *soli Deo honor et gloria :* sed horum neutrum acceptabit Deus, si melle amoris condita non fuerint. — *Solus* est *amor* ex omnibus animae motibus, sensibus atque affectibus, *in quo potest creatura*, etsi non ex aequo, *respondere Auctori*, vel de simili mutuam rependere vicem... Quum amat *Deus*, non aliud vult, quam amari; quippe *non aliud amat, nisi ut ametur*, sciens ipso amore beatos, qui Se amaverint. — *Magna res amor;* sed sunt in eo gradus. *Sponsa in summo stat.* Amant enim filii, sed de haereditate cogitant; sponsae res et spes unus est amor. Hôc sponsa abundat, hôc contentus est Sponsus. Nec aliud hic quaerit, nec illa aliud habet. Hinc ille sponsus, et sponsa illa est. Esto, quod *honor regis judicium diligat :* sed Sponsi amor, imo *Sponsus Amor solam amoris vicem requirit et fidem.* Liceat proinde redamare dilectum. *Quidni amet sponsa*, et sponsa Amoris? Quidni ametur Amor? Nam et cum se totam effuderit in amorem, quantum est hoc ad illius fontis perenne profluvium? *Non* plane *pari ubertate fluunt amans et Amor*, anima et Verbum, sponsa et Sponsus,

Deus animae sponsus.

Amoris praerogativa.

Anima sponsa.

Digitized by Google

Creator et creatura, *non magis quam sitiens et fons.* Quid ergo? Peribit propter hoc et ex toto evacuabitur nupturae votum, desiderium suspirantis, amantis ardor, praesumentis fiducia, quia non valet ex aequo currere cum gigante, dulcedine cum melle contendere, lenitate cum agno, candore cum lilio, claritate cum sole, caritate cum Eo, qui caritas est? Non. Nam *etsi minus diligit creatura*, quoniam minor est; tamen *si ex totâ se diligit, nihil deest*, ubi totum est... *Felix*, quae meruit praeveniri in tantae benedictione dulcedinis! *Felix*, cui tantae suavitatis complexum experiri donatum est! Quod non est aliud, quam *amor sanctus et castus*, amor *suavis et dulcis;* amor tantae *serenitatis*, quantae et *sinceritatis;* amor *mutuus, intimus validusque*, qui non in carne una, sed *uno plane spiritu duos jungat*, duos faciat jam non duos, sed unum, Paulo ita dicente (1 *Cor.* 6, 17) : *Qui adhaeret Deo, unus spiritus est.* (*Serm.* 83. *in Cant. n.* 4-6. *P. L.* 183, 1183.) — *Causa diligendi Deum, Deus* est : *modus, sine modo* diligere. Ob duplicem causam Deum dixerim *propter Seipsum* diligendum : sive quia nihil justius, sive quia nihil fructuosius diligi potest... *Dignus plane qui redametur*, praesertim si advertatur, quis, quos quantumque amaverit. *Quis* enim? nonne is, cui omnis spiritus confitetur : « *Deus meus es Tu, quoniam bonorum meorum non eges?* » (Ps. 15, 1). Et vera hujus caritas Majestatis, quippe non quaerentis, quae Sua sunt. *Quibus* autem tanta caritas exhibetur? « *Cum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo* » (Rom. 5, 10). Dilexit ergo Deus et gratis et inimicos. Sed *quantum?* quantum dicit Joannes : « *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum daret* » (Joan. 3, 16). (Lib. de dil. Deo, c. 1. n. 1. P. L. 182, 974.) — Cum *dilectio*, quae tendit in Deum, tendat ad immensum, *tendat in infinitum* (nam et infinitus Deus est et immensus), quisnam, quaeso, debeat finis esse nostri vel modus amoris? (*Ibid. c.* 6. *n.* 16. *p.* 983.) — Non sine praemio diligitur Deus, etsi absque praemii intuitu diligendus sit. Vacua namque vera caritas esse non potest, nec tamen mercenaria est; quippe « *non quaerit, quae sua sunt.* »

Causa et modus diligendi Deum,

Sine modo diligendus.

Amor spontaneus,

Digitized by Google

1 Cor. 13, 5). Affectus est, non contractus : nec acquiritur pacto nec acquirit. *Sponte afficit* et spontaneum facit. — *O amor sanctus* et *castus !* o dulcis et suavis affectio! o pura et defaecata intentio voluntatis! eo certe defaecatior et purior, quo in eâ de proprio nil jam admixtum relinquitur; eo suavior et dulcior, quo totum divinum est, quod sentitur. *Sic affici deificari est.* Quomodo *stilla aquae modica multo infusa vino*, deficere a se toto videtur, dum et saporem vini induit et colorem; et quomodo *ferrum ignitum et candens igni simillimum* fit, pristinâ propriâque formâ exutum ; et quomodo *solis luce perfusus aër* in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo, ut non tam illuminatus, quam ipsum lumen esse videatur : sic omnem tunc in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit a semetipsâ liquescere atque in Dei penitus transfundi voluntatem... *Quando hoc erit?* quis hoc videbit? quis possidebit? « *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei ?* » Domine, Deus meus, « *Tibi dixit cor meum, exquisivit Te facies mea, faciem Tuam, Domine, requiram.* » (Ibid. c. 10. n. 28. p. 991.) *Quando* conscindes saccum meum, Domine JESU, et circumdabis me laetitiâ, ut cantet Tibi gloria mea, et non compungar? (Ps. 29, 12, 13.) Principium gaudii illius, quod hic quandoque sentimus, stilla est, guttula est de flumine illo descendens, cujus impetus laetificat civitatem Dei. *Quando* veniet tempus, ut perennibus gaudiis in ipso divinitatis fonte profundius immergamur, ubi unda undam sine interpolatione continuet?... *Quando* transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei? *Quando,* sicut audivimus, sic videbimus in civitate Domini virtutum? (*Serm.* 19. *de divers. n.* 7. *P. L.* 183, 592.)

Est quaedam deificatio.

Amoris consummatio.

S. Thomas Aqu. : *Caritas* significat non solum *amorem* Dei, sed etiam *amicitiam quandam* ad Ipsum, quae quidem super amorem addit *mutuam redamationem cum quâdam communicatione mutuâ.* — Haec *societas hominis ad Deum*, quae est quaedam familiaris conversatio cum Ipso, inchoatur quidem hic in praesenti per gratiam, perficietur

Caritas Deo consociat.

Digitized by Google

Omnium forma virtutum.

autem in futuro per gloriam. (*I. II. qu.* 65. *art.* 5. *in corp.*) — *Caritas* est *mater omnium virtutum* et *radix*, in quantum est omnium virtutum *forma*. (I. II. qu. 62. art. 4.)

Amor Dei est contemptus sui et pax.

S. Augustinus : Fecerunt *civitates duas* amores duo : terrenam scilicet *amor sui* usque ad contemptum Dei, coelestem vero *amor Dei* usque ad contemptum sui. Illa in seipsum, haec in Domino gloriatur. (*De civit. Dei l.* 14. *c.* 28. *P. L.* 41, 436.) — In *pace* perfectio est, ubi nihil repugnat; et ideo *filii Dei* pacifici, quoniam *nihil in his resistit Deo.* (De serm. Dom. l. 1. c. 2. n. 9. P. L. 34, 1233.)

Orationis necessitas.

S. Thomas Aqu.: *Post baptismum necessaria* est homini *jugis oratio* ad hoc, quod coelum introëat. Licet enim per baptismum remittantur peccata, *remanet fomes peccati*, nos impugnans interius, et *mundus et daemones*, qui impugnant exterius. Et ideo signanter dicitur (*Luc.* 3, 21), quod *Jesu baptizato et orante apertum est coelum*, quia scilicet fidelibus necessaria est oratio post baptismum. (*III. qu.* 39. *art.* 5.) — Postquam aliquis est justificatus per gratiam, *necesse* habet *a Deo petere perseverantiae donum*, ut scilicet custodiatur a malo usque ad finem vitae. (*I. II. qu.* 109. *art.* 10. *in corp.*)

Tua est vita,

S. Joan. Chrysostomus : Quodsi te destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxeris: ut enim *pisci vita est aqua*, ita *tibi precatio.* — Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpliciter *impossibile* sit, *absque precationis praesidio cum virtute degere.* Etenim quî fiat, ut quis virtutem exerceat, nisi continenter adeat et supplex ad genua accedat Ei, qui virtutem omnem suppeditat et largitur hominibus? (*Serm. de precat.* 1 *int. dub. P. Gr.* 50, 777.) —

Virtutis praesidium,

Animae nervus.

Si quis dicat, *animae nervos esse deprecationem*, meâ quidem sententiâ videtur verum dicere. Quemadmodum enim *corpus nervis cohaeret, currit, vivit, stat* et *compactum est*, adeo ut, si nervos incideris, universam corporis harmoniam dissolvis; itidem *animae per sanctas preces sibi constant et compinguntur* ac pietatis cursum facile peragunt. (*Serm. de precat.* 2, *int. dub. P. Gr.* 50, 781.) — Quemadmodum corpus hoc nostrum, si non

Digitized by Google

adsit anima, profecto mortuum est ac foetidum; sic anima, nisi seipsam incitet ad orandum, mortua est ac misera et graviter olens. — *Quisquis non orat* Deum, nec divino colloquio cupit assidue frui, is *mortuus est* et vitâ carens expersque sanae mentis. (*Serm. de precat.* 1. *int. dub. P. Gr.* 50, 776.) — Si per intervalla *crebris precationibus* te ipsum accendas, *non dabis occasionem diabolo* et ullum ad tuas cogitationes aditum. Quemadmodum in apparando prandio, quoties calido potu opus est, *si aqua parum calet, ad focum admotam recalefacimus:* ita et *os nostrum ad precationes*, quasi ad prunas, admovendum, ut hôc mens ad pietatem rursus accendatur.... Ubicunque sis, potes altare tuum constituere. Licet genua non flectas, nec ad coelum manus extendas; si mentem tantum ferventem exhibeas, orationis perfectionem consummaveris. (*Hom.* 4. *de Anna n.* 5. *et* 6. *P. Gr.* 54, 666. 668.) — Ubicunque sis, ora. Templum es, ne locum quaeras. Deus semper prope est. (*Ecloga de orat. h.* 2. *P. Gr.* 63, 585.) Magnae curae est ut in virtute crescamus. Nihil autem aeque facit in virtute crescere, ac cum Deo assidue versari et colloqui, Eique perpetuo gratias agere et psallere. (*Expos. in Ps.* 7. *n.* 15. *P. Gr.* 55, 104.) — Si, qui cum Caesar emiscent sermones familiariterque versantur, non possunt esse pauperes; multo minus fieri potest, ut, qui Deum deprecantur cum Eo familiariter colloquentes, animas habeant mortales. Nam mors animae impietas est ac vita pugnans cum lege divinâ. Ex quo consequitur, animae vitam esse Dei cultum. Vitam vero piam ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat, conciliatamque auget ac ceu thesaurum animis nostris recondit. Cum enim Deus sit omnium bonorum origo, qui eum amplectitur, omnia bona pariter suscipit. (*Serm. de precat.* 1. *int. dub. P. Gr.* 50, 775.) — Aptissima armatura oratio est, thesaurus certe perpetuus, divitiae inexhaustae, portus quietus, occasio tranquillitatis: denique auctor, parens, fons et radix bonorum omnium, regiâ facultate potior et superior. (*De nat. Dei incompreh. hom.* 5. *n.* 6. *P. Gr.* 48, 743.) — *Ubi regina* ingreditur civitatem, necesse est, ut *omnis opulentia pariter*

Anima sine orationе mortua.

Assidue precandum.

Mens precibus recalefacienda.

Ubique orandum,

Ut virtuti et Dei cultui vivas.

Orationis laus.

Digitized by Google

consequatur. Sic, posteaquam deprecatio venit in animam, omnes virtutes simul ingrediuntur. (*Serm. de precat.* 2 *int. dub. P. Gr.* 50, 786.)

Monachus vir orationis.

S. Joan. Climacus: *Oratio* est.... constantia mundi, ornatûs collectio, reconciliatio Dei, lacrymarum mater et filia, peccatorum propitiatio, tentationum pons, tribulationum interpositus paries, bellorum confractio, Angelorum opus, incorporearum omnium virtutum cibus, futura laetitia, infinita operatio, virtutum fons, gratiarum ministra, profectus invisibilis, nutrimentum animae, mentis illuminatio, desperationis amputatio, spei et fidei demonstratio, tristitiae solutio, *Monachorum divitiae*, solitariorum thesaurus, irae minutio, speculum profectus, discretionis judicium, statûs insinuatio, futurorum revelatio, clementiae significatio.... (*Scala parad. gr.* 28. *P. G.* 188, 1130.) Qui scipione orationis semper nititur, non offendit; et si offendere contingat, non cadit in finem. Oratio enim est quaedam pia tyrannis Dei, cujus utilitatem tum experimur, cum non daemones impedire conantur. (*ibid. p.* 1139.) Amorem militis erga regem suum ostendit bellum: monachi vero caritatem erga Deum orationis tempus dum astat Deo, probat. Statum tuum ostendit tibi oratio tua. (*ibid. p.* 1135.)

S. Augustinus: *Oratio* est columna sanctarum virtutum, deitatis scala, Angelorum cognata, fundamentum fidei, *monachorum corona.* (*Serm.* 22. *ad fratr. in Erem. in append.* P. L. 40, 1273.)

Cassiodorus (✠ 560): *Oratio* satisfactio est delictorum, confessio criminum, lavacrum culparum. (*In Ps.* 83. *in prol. P. L.* 70, 611.) — Per *orationem* ira Dei suspenditur, venia procuratur, poena refugitur, praemiorum largitas impetratur. (*In Ps.* 89. *in prol. P. L.* 70, 639.)

Oratio armatura est.

S. Laurentius Justinianus: Sicut militem *procedere ad conflictum non congruit sine armorum protectione*, ita nec homini christiano absque orationis munitione aliquid agere licet. (*Lignum vitae, tract. de oratione c.* 6.)— Est oratio via

Digitized by Google

brevis, ascensus facilis, iter securum, per quod ad Dei notitiam dulciter et veraciter pervenitur. (*De disc. monast. c.* 18.)

S. Joan. Chrysostomus : Magnum telum oratio, magnus ornatus precatio, tutela, portus, thesaurus bonorum ac divitiae quae abripi nequeunt. (*In Ps.* 145, *n.* 6. *P. G.* 55, 526.)

Hostis, dum oras, premitur; dum cessas, erigitur. Oratio jugis, infirmitas hostis. (*Sermo de Moyse.*) — Leonis rugitus non sic bestias fugat, ut justi oratio daemones. (*Hom.* 53. *in Act. Ap. n.* 5. *P. Gr.* 60, 374.) — Impossibile est, hominem, congruo precantem studio Deoque continue supplicantem, unquam peccare. (*Serm.* 4. *de Anna, n.* 5. *P.Gr.* 54, 666.)

Ludovicus Barbo, ex Abb. S. Justinae Paduae Ep. Tarvisinus (*Treviso* ✠ 1443): Sine *orationis exercitio* difficillimum ac paene impossibile est, fragilitatem conditionis humanae dura Religionis tolerare certamina et siccitatem cordis inebriare dulcedine, quae trahitur de fontibus Salvatoris. Nam sicut *arbor, succi favore subtracto*, pressâ siccitate, fructus et folia rejicit immatura, sic *anima sine orationis fervore* in omnibus suis operibus *sterilis* est et imperfecta. (*Formul. orat. et medit. init.*)

Sine oratione nullus monacho fructus.

S. Gregorius Nyssen. Ep. (✠ *c.* 403) : *Oratio* pudicitiae praesidium est, castitatis tutamen, corporum robur, abundantiae domus, recta legum et juris in civitate constitutio, regni vires, belli trophaeum, pacis securitas, dissidentium conciliatio, conjunctorum conservatio. *Oratio* virginitatis sigillum est, matrimonii fides, viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, navigantium salus, viatorum praesidium, mocrentium consolatium, laetantium jucunditas, lugentium solamen... *Oratio* cum Deo est colloquium, par cum Angelis honor, proborum promotio, ab improbis aversio et peccantium emendatio, praesentium fructus, futurorum repraesentatio. (*De orat. dom. or.* 1. *P. Gr.* 44, 1123.)

Quam praedicabilis oratio.

S. Nilus : *Is Angelis efficitur similis, qui per veram orationem cupit videre faciem Patris*, qui in coelis est. (*De oratione c.* 113. *et* 114. *P. Gr.* 79, 1191.)

Angelis aequat.

Digitized by Google

Oratio et vitae sanctitas.

S. Ambrosius : Volare facit orationem *bona vita*, et *dat alas precibus* spirituales, quibus sanctorum ad Deum evehatur oratio. (*Enarr. in Ps.* 118. *Octon.* 22. *n.* 5. *P. L.* 15, 1513.)

S. Augustinus : *Recte novit vivere, qui recte novit orare.* (*Serm.* 55. *n.* 1. *in app. P. L.* 39, 1849.) — Oratio *conjunctio Spiritus Sancti.* (*Serm.* 73. n. 2. *in app.* P. L. 39, 1887.)

Ejus laus.

S. Bonaventura : *Oratio* est sicut *armatura* militem ornans, sicut *lucerna* viam demonstrans, sicut *columba* olivam portans. — *Oratio* est sicut *incensum* divinae misericordiae offerendum, sicut *scutum* divinae indignationi opponendum; sicut *tributum* divinae dominationi solvendum. (*Diaet. tit.* 2. *c.* 5.) — *Oratio hausorium* est, quo Spiritus Sancti gratia hauritur de fonte supereffluentis dulcedinis illius beatissimae Trinitatis. (*De profect. religios. l.* 2. *c.* 5.) — Oratio iram Dei placat, peccatorum veniam impetrat, tentationis impetum sedat, vitia cordis expellit, in periculo liberat, a periculis defendit, difficultates complanat, familiaritatem Dei confert, dona Spiritus Sancti impetrat, donum sapientiae, gratiam praedicandi, revelationem secretorum; omnia contraria saluti reprimit, necessaria confert et conservat et perficit. (*De profect. relig. l.* 2. *c.* 66.) — Omnis *orationis fructus* et finis est *Deo inhaerere.* (*De profect. relig.* l. 2. c. 72.)

Egregium orationis praeconium.

S. Laurentius Justinianus : *Oratio* est beatissima virtutum nutrix, vitiorum interemptrix, culpae venia, peccatorum abolitio, interemptrix mundi, salus hominum, caritatis mater, castitatis robur, justitiae regula, prudentiae speculum, sanctitatis decus, scientiae lumen, sapientiae cellarium domestica Dei, fiducia animae, medicamentum pusillanimitatis, gaudium cordis, fida hujus peregrinationis comes, moestorum consolatio, impugnatorum impenetrabile scutum, secretorum Dei cognitrix, humilitatis norma, fidei clavis, honestatis praevia, obedientiae plenitudo, securitatis fons, Angelorum imitatrix, justorum exultatio, temperantiae magistra, pacis pelagus, daemonum fugatrix, quiescentium refugium, conscientiae ornamentum, additamentum gratiae,

Digitized by Google

amoris incentivum, porta coeli, petitionum nuntia, auxiliatrix strenua, mediatrix praecipua, et coelestium sacramentorum reseratrix optima. *In eâ* nihil sordidum, nil curvum, nihil reperitur coinquinatum; et cum tota sit pulchra et omnium donorum fecunda, semper hilarem, semper jucundum sui exhibet dilectorem. (*De discipl. monast.* c. 18.)— *Oratio* est piae mentis ad Deum conversio, fide, spe, caritate subnixa.— *Oratio* est vitiorum exstinctio, virtutum mater, hujus peregrinationis solatium, animae speculum, conscientiae robur, cognitionis via, confidentiae nutrix, caritatis incentivum, laborum solatium, compunctionis causa, coeli porta, cogitationum malarum interemptrix, coadunatio dispersionis mentis, ignitarum affectionum receptaculum et omnium spiritualium bonorum interventrix optima; *quam qui perseveranter tenuerit, perire nequibit.* — Ab oratione tanquam a flagello fugiunt adversae potestates. (*Lignum vitae, de orat. c. 2*).

Quomodo orandum:

S. Thomas Aqu. : Ponuntur *quatuor conditiones*, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat, quod petit : ut scilicet *pro se petat*, *necessaria ad salutem*, *pie* et *perseveranter*. — *Fides* est necessaria *ex parte Dei*, quem oramus, ut scilicet credamus, ab Eo nos posse obtinere, quod petimus; *humilitas* autem est necessaria, *ex parte ipsius petentis*, qui suam indigentiam recognoscit. — Dicendum, quod oratio *innititur principaliter fidei*, non quantum ad efficaciam merendi quia sic innititur principaliter caritati ; sed quantum ad efficaciam impetrandi. (*II. II. qu.* 83. *art.* 15.)

Cum fide et humilitate,

S. Augustinus : *Oratio si pura* est, si *casta* fuerit, coelos penetrat, vacua non redibit. — Oratio tanto magis spirituali opere funditur, quanto magis animus, qui eam fundit, a carnali voluptate suspenditur. (*Serm.* 210. *c.* 6. *n.* 9. *P. L.* 38, 1052.) — *Oratio debet esse* ampla, devota et pura ; *ampla*, ut pro omnibus roget, *devota*, ut non remisse petat, *pura*, ut sit cum cordis munditiâ. (*Serm.* 42. *ad fratr. in Eremo; in append. P. L.* 40, 1316.)

Cum puritate et simplicitate,

Joan. Trithemius : Nihil sic mentem a terrenis ad coelestium amorem elevat, nihil carnis voluptatem tam cito

Digitized by Google

et valenter exterminat, nihil adeo illustrat intellectum, nihil quoque in tantum confundit adversarium, sicut *oratio pura.* (*L.* 1. *hom.* 8. *ad mon.*)

S. Edmundus, Archiep. Cantuar. (✠1242): *Quatuor habere debemus in oratione*, scilicet : perfectum *amorem*, certam *spem*, firmam *credulitatem*, veram *humilitatem.* (*Spec. ecclesiae, c.* 17.)

Cum fervore.

S. Petrus Damianus : *Oratio sit verecunda*, ut erubescamus peccata nostra ; *pura*, ut nihil a Deo praeter Ipsum quaeramus ; *devota*, ut eam in pinguedine spiritus protendamus ; *ampla*, ut extendamus eam usque ad inimicos ; *continua*, ne intermissione fiat remissior ; *pacata*, ne turbulentis cogitationum fluctibus submergatur. (*Serm.* 56. *de S. Martino, P. L.* 145, 822.)

S. Joan. Chrysostomus : Qui *cum fervore* deprecatur, inflammatur et non exuritur, sed *velut aurum igne probatum fit splendidior.* (*Hom.* 5. *in ep. II. ad Cor. n.* 4. *P. Gr.* 61, 433.)

S. Hilarius, Ep. Pictaviens. et Doct. Eccl. (*Poitiers*, ✠ 367) : *Despiciuntur orationes leves, diffidentes, inutiles*, saeculi curis anxiae et rerum corporalium desideriis implicatae. *Ubi operatio iniquitatis* exstat, illic *despicitur oratio* deprecantis. (*In Ps.* 54. *n.* 6. *P. L.* 9, 350.)

Cum sanctitate.

Cassiodorus : Ipsius est oratio perfecta, cujus et *causa clamat et lingua*, actus et sermo, *vita et cogitatio.* (*In Ps.* 16. *v.* 1. *P. L.* 70, 117.)

S. Gregorius M. : Ut ad aures Dei *viam precibus faciatis*, vigilantius studendum est, ut vestrae voces *actibus* adjuventur. (*L.* 11. *epist.* 51. *P. L.* 77. 1170.)

Hugo a S. Charo, Card. : *Oratio* quasi quaedam avicula *volat ante Deum* ibique mandatum peragit, quo caro pervenire nequit. Cujus *alae* sunt jejunium et eleemosyna ; *jejunium* quidem levem facit orationem, ut cito evolet ; sed *eleemosyna* pinguem reddit, ne deficiat in viâ.(*In Tob. c.* 12. *v.* 8.)

S. Thomas a Villanova, Erem. O. S. Aug., Archiep. Valenc. (✠ 1555) : Orans debet *convocare quasi ad Capitulum*

Digitized by Google

omnes suas cogitationes et affectiones et dicere cum S. Bernardo : Venite et ascendamus ad montem Domini ! Venite et ambulemus in lumine Domini (*Is.* 2). (*Serm. in Dom.* 21. *p. Pent. n.* 1.)

Simplex S. P. Benedicti oratio.

Paulus Diaconus, (Warnefrid) monach. Cassin. (✠ 784): Quis simpliciore, quam *S. P. Benedictus*, oculo i. e. puriore cordis intentione, vitam transegit ? Qui cuncta semper peritura despiciens, mentem in coelestibus solidavit, quique ideo ad id, *quod voluit, mox exauditus est*, quia *simplicitate mentis Deo complacens*, duplicitatis a suâ intentione rugas exclusit. (*Hom. in fest. S. P. Bened. P. L.* 95, 1575.)

Considerandum : quid *petas,*

S. Bernardus : *Considerare debet* is, qui orat, et *quid petit*, et Ipsum, *quem* petit, et *seipsum*, qui petit. In eo autem quod petit, duo debet attendere, ut *secundum Deum* sit, quod postulat, et ut hoc ipsum *in summo affectus desiderio* habeat. Si peccatorum remissionem, si Spiritus Sancti gratiam, si virtutem atque sapientiam, si fidem, veritatem, justitiam, humilitatem, patientiam, mansuetudinem et cetera spiritualia charismata quaesierit, et ea cogitando vehementer affectaverit, haec secundum Deum est oratio, et haec vere meretur audiri. De hujusmodi enim orationibus loquitur per Isaiam Deus : « *Antequam clament, Ego exaudiam ; « adhuc illis loquentibus Ego audiam* » (Is. 65, 24). Similiter et in Ipso, *quem* petit, debet duo considerare, *bonitatem* et *majestatem*. Bonitatem, quâ gratis velit, et majestatem, quâ plane possit dare, quicquid petitur. Sed et in seipso, *qui* petit, debet duo attendere, i. e. ut *pro suis meritis nihil* accepturum putet, sed *de Dei misericordiâ tantum*, quicquid rogaverit, impetraturum speret. Tunc ergo dicitur cor purum, quando tria haec, quae dicta sunt, et eo modo, quo dicta sunt, cogitat. Et quisquis hâc puritate et intentione cordis oraverit, exaudiri se sciat. (*Serm.* 107. *de diversis, n.* 2. *P. L.* 183. 734.) — « *Clamavit ad Me, et Ego exaudiam eum* » (Ps. 90, 45). Hoc plane est testamentum pacis, hoc pietatis foedus, hoc pactum misericordiae et miserationis : « *Speravit in Me, liberabo eum* » (Ps. 90, 14)..... Dulcis lex, quae meritum exau-

Quem *petas,*

Qui *petas.*

Orationis exauditio.

Digitized by Google

ditionis in clamore constituit postulationis... Siquidem in Dei auribus *desiderium vehemens clamor* magnus ; e regione autem remissâ *intentio vox submissa.* Quando illa penetrabit nubes ? quando audietur in coelis ? Nempe, ut clamandum sibi noverit homo, inter primordia orationis, Ipsum, quem oraturus est, Patrem in coelis esse protinus admonetur, quod videlicet impetu quodam spiritus illo sibi jaculandam esse meminerit orationem. (*Serm.* 16. *in Ps.* "*Qui habitat*" *n.* 1. *P. L.* 183, 247.) — Non recte oras, si orando praeter *Verbum* aliquid *quaeras* aut propter Verbum non quaeras, quoniam *in Ipso sunt omnia.* Ibi remedia vulnerum, ibi subsidia necessitatum, ibi resarcitus defectuum, ibi profectuum copiae, ibi denique, quicquid accipere vel habere hominibus expedit, quicquid decet, quicquid oportet. (*Serm.* 86. *in Cant. n.* 3. *P. L.* 183, 1196.)

Orando verbum quaeras.

Cum fide, spe et caritate orandum.

S. Augustinus : Si *fides* deficit, oratio perit. (*Serm.* 36.) (*Serm.* 115. *c.* 1. *P. L.* 38, 655.) — Ora in spe, ora fideliter et amanter. Fides, spes, caritas ad Deum perducunt orantem... Tanto quippe sumemus capacius, quanto et fidelius credimus et speramus firmius et desideramus ardentius. (*Ep.* 130. *c.* 16. *n.* 29, *c.* 13. *n.* 24. *et c.* 8. *n.* 17. *P. L.* 33, 506, 503, 501.) — Quis falli timeat, cum promittit veritas ? (*Conf. l.* 12. *c.* 1. *P. L.* 32, 826.)

S. Hieronymus : Ad *orationem* assisto. *Non orarem, si non crederem.* Sed si vere crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem ; manibus tunderem pectus ; genas lacrymis rigarem, corpore inhorrescerem ; ore pallerem ; jacerem ad Domini mei pedes eosque fletu perfunderem, crine tergerem ; haererem certe trunco Crucis, nec prius amitterem, quam misericordiam impetrarem... *Ubi est fides ?* Siccine putamus orasse *Jonam ?* sic tres pueros? sic *Danielem* inter leones? sic certe *latronem in cruce ?* (*Adv. Luciferian. n.* 15. *P. L.* 23, 169.)

S. Joan. Climacus : *Fides* orationis *est penna,* sine quâ in coelum evolare non potest. (*Scala parad. grad.* 28. *P. Gr.* 88, 1134.)

S. Bernardus : *Pes* vester utique *spes* vestra est, et quantumque illa processerit, obtinebit ; si tamen in Deo tota

Digitized by Google

figatur, ut firma sit et non titubet. — Sola *spes* apud Te, Domine, miserationis obtinet locum ; nec *oleum misericordiae* ponis, nisi *in vasa fiduciae.* (*Serm.* 3. *de annunt. n.* 3. *P. L.* 183, 484.)

S. Mechtildis ex ore Christi audivit : Multum Mihi placet, ut homines de me *confidenter* magna praesumant. Nam quisquis Mihi crediderit, quod post hanc vitam supra meritum illi benefaciam et proinde Me laudans gratias egerit in hâc vitâ, in tantum Mihi acceptum erit, quod eum, in quantumcunque credere aut praesumere potest, tantum et in infinitum amplius supra omne meritum suum remunerabo ; quia *impossibile* est *hominem non percipere ea, quae credidit et speravit.* (*Lib. spec. grat. P.* 3. *c.* 5.)

Cum perseverantiâ.

S. Cyprianus : *Oremus instanter* et assiduis precibus ingemiscamus ! (*Ep.* 7. *n.* 5. *P. L.* 4, 248.)

B. Rhabanus Maurus : Qui ad cupita pervenire voluerit, reflectere mentem a studio orationis non debet, sed magis *perseverare* in intentione coeptâ illum oportet... Hinc in Evangelio *caecus* ille, qui *in Jericho* transeuntem JESUM audierat, misereri sibi ab Eo petebat ; sed cum a praetereuntibus sibi juberetur, ut taceret, ipse multo magis clamabat, dicens : « *Miserere mei, fili David.* » (*Expos. in Jer. l.* 19. *sup. Lament. c.* 3. *v.* 50. *P. L.* 111, 1237.)

S. Hilarius : Obtinere in solâ *precum morâ* est. (*Comm. in Matth. c.* 6. *n.* 2. *P. L.* 9, 951.)

S. Chrysostomus : Pudeat nos, pudeat dilectissimi, et incredibilem socordiam nostram deploremus ! Octo et triginta annos *paralyticus ad piscinam* exspectaverat exspectabatque, neque ejus impletum est desiderium ; nec negligentiâ suâ non sanabatur, sed praeventus ab aliis : neque propterea desperavit. Nos autem si vel decem dies orationibus invigilantes non exaudimur, jam tepescimus. (*Hom.* 35. *in Jo. n.* 2. *P. Gr.* 59, 205.)

S. Gregorius M. : Habes in hoc *perseverantiae documentum*, ut si primo non exaudiris, ab oratione non deficias, imo precibus et clamori insistas. *Vult Deus rogari*, vult

Digitized by Google

cogi, vult quâdam importunitate *vinci*. (*In Ps. poen.* 6. *n.* 2. *inter dub. P. L.* 79, 634.)

S. Bonaventura : *Nunquam miles* existens in pugnâ *deponit arma* ante obtentam victoriam ; arma nostra sunt orationes. (*De confess. serm.* 27.)

S. Laurentius Justinianus : Orandum est *perseveranter ;* quoniam exaudiri in prece a Domino nequaquam meretur, qui *confidenti animo* ac *perseveranti studio* non poposcerit. Sicut enim *certaminis bravium* non assequitur, qui, antequam ad metas attingat, deficit, sic *orationis fructu privatur, quisquis in illâ non exstiterit importunus.* (*Lign. vitae tract. de orat. c.* 9.) — *Quisquis Deo placere affectat*, quicunque hujus saeculi laboriosam peregrinationem peragrare desiderat, si spretis transitoriae vitae lenociniis aeterni convivii spirituales ac supercoelestes delicias apprehendere ac degustare concupiscit, *studio orationis se tradat*, ad illam *alacriter* et paratus accedat, in ea *ardenter* et in sensu cordis coram Domino assistat, necnon in ipsâ quotidie *perseveret.* (*De discipl. monast.* c. 18).

S. Bernardus : Soror dilecta, *ora cum lacrymis indesinenter. Ora jugiter*, precare Deum diebus ac noctibus! Oratio sit *sine cessatione ;* oratio sit frequens; orationis sint arma assidua; oratio de ore tuo non cadat! (*De modo bene vivendi, c.* 49. *n.* 118. *in app. P. L.* 184, 1271.)

Suarez, S. J. (✠ 1617) : *Dico, si quis oret perseveranter*, petendo perseverantiam in gratiâ, *infallibiliter eam esse impetraturum.* (*Tom.* 3. *de gratia*, l. 12. c. 38. n. 16.)

Instanter orandum,

S. Bonaventura : *Frequens oratio* vitiorum expugnationem exstinguit; *instans* vero oratio impetrat veniam de peccato. (*In Luc. c.* 18.) — *Frequens et fervens oratio dissipat omne malum ;* ollae ferventi muscae non insident. (*Spec. discipl. P.* 1. *c.* 2.) — *Quanto frequentius* quis orat, tanto fiet ei oratio *delectabilior* et *efficacior.* Et quanto rarius, tanto insipidior et taediosior. (*L.* 2. *de prof. relig. c.* 69.)

Continuo,

S. Augustinus : « *Sine intermissione orate!* » Quid est aliud, quam beatam vitam, quae nulla nisi aeterna est,

Digitized by Google

ab Illo, qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare? (*Ep.* 130. *c.* 9, *n.* 18. *P. L.* 33, 501.) — Desiderium tuum oratio est; et si *continuum* desiderium continua oratio. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. (*In Ps.* 37. *n.* 14. *P. L.* 36, 404.)

Assidue.

S. Nilus, Abb. (✠ 451) : Si vis esse templum Dei, *sacrificium assiduitatis* (assiduam sc. orationem) assidue Ipsi offeras. (*Capita paraenet. n.* 118. *P. Gr.* 79, 1259.) — Sancta est *orationis ara;* pertrahit enim ad nos sancte sanctum sanctorum. (*Sentent.* 40. *P. Gr.* 79, 1243.)

Walafridus Strabo, mon. Fuldens. (✠ 849) : *Justus nunquam desinit orare,* nisi desinit justus esse; semper orat, qui semper bene agit. (*Gloss. ordin. sup. illud I Thess.* 5. « *Sine intermissione orate.* » *P. L.* 114, 620.)

Cum lacrymis orandum.

S. Joan. Chrysostomus. : Non ita fontes aquarum hortos *reddunt fertiliores,* ut orationis plantam *lacrymarum fontes* irrigantes ad maximam excrescere faciunt altitudinem (*Hom.* 3. *de Anna n.* 1. *P. Gr.* 54, 652.)

S. Laurentius Justin. : *O lacryma humilis,* tua est potentia, tuum regnum. Tribunal judicis non vereris; amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis; non est, qui te ad Deum accedere vetet. Si sola intres, vacua non redibis. Quid plura? *Vincis invincibilem,* ligas omnipotentem, inclinas Filium Virginis, aperis coelum, fugas diabolum. *Tu cibus animarum,* roboratio sensuum, abolitio delictorum, vitiorum exterminium ; virtutum praevia, gratiae socia, refectio mentium et lavacrum culparum. *Tu odor vitae,* sapor spiritus, gustus indulgentiae, sanitas redeuntis innocentiae, reconciliationis jucunditas, serenatæ conscientiæ suavitas et electionis aeternae spes valida. *Qui te orationis suae comitem habebit, gaudeat;* quia post orationem securus abibit. (*Lign. vit., tract. de orat. c.* 9.)

S. Nilus : Ora, ut *lacrymas* accipias, ut duritiam animae fletu mollias et, confessus peccata tua Domino, veniam ab Eo impetres! (*De orat. c.* 5. *P. Gr.* 79, 1167.)

Digitized by Google

Cum fidelitate orandum in aridítate.

S. Bernardus : Saepe corde tepido et arido accedimus ad altare, orationi incumbimus. Persistentibus autem repente infunditur gratia, pinguescit pectus, replet viscera inundatio pietatis; et si sit qui premat, lac conceptæ dulcedinis ubertim fundere non tardabunt. (*Serm.* 9. *in Cant. n.* 7. *P. L.* 183, 818.) — Recedit Dominus ut *absens magis desideretur*, desideratus *avidius quaeratur*, diu quaesitus tandem *gratius inveniatur.* Si nunquam deesset consolatio (quae, respectu futurae gloriae, quae revelabitur in nobis, aenigma est, ex parte), putaremus forte hîc habere civitatem manentem, et minus inquireremus futuram. (*De scala claustr. c.* 8. *n.* 9. *in append. P. L.* 184, 480.) — *Superbia* inventa est in me et Dominus declinavit in irâ a servo suo. *Hinc ista sterilitas animae* meae et devotionis inopia, quam patior.... Time ergo, cum arriserit gratia; time, cum abierit; time, cum denuo revertetur; et hoc est semper pavidum esse. (*Serm.* 56. *in Cant. n.* 8. *et* 9. *P. L.* 183, 1042.)

Ariditatis fructus.

S. Laurentius Justinianus : *Ariditas parit humilitatem;* custodit innocentiam; offensam mundat; accendit spiritum, dolorem inducit; prudentiam perficit; commendat perseverantiam, custodiae adhibet diligentiam; torporem excutit; concupiscentiarum flammas exstinguit, ad inquisitionem provocat, qualiterque reperiri valeat sufficienter edocet. — Ex tenebris lux, ex bello pax, ex jucunditate tristitia, ex abundantiâ egestas, ex bono malum, ex spei claritate desperationis caligo et *ex suavissimo Verbi contubernio absentiae Illius cruciatus intelligitur.* Ille igitur veraciter penes se totis sponsum conservat conatibus, qui prae amoris vehementiâ passus est vicissitudinis damnum. (*De casto connub. c.* 15.)

Meditatio et oratio.

S. Bernardus : Ut arbitror, isti *duo discipuli*, euntes in *Emmaus* (*Luc.* 14), dici possunt *Oratio* et *meditatio*, quae conjunctione necessariâ sibi ad invicem copulantur. Per *orationem* illuminatur meditatio, et in *meditatione* exardescit oratio. Quoties igitur in *contemplatione Dominicae passionis* suspendimur, ex recordatione tantae admirationis in oratione compungimur. *Meditatio* ruminat livores vulnerum,

Digitized by Google

fixuras clavorum, lanceam et acetum, persecutorum saevitiam, Apostolorum fugam et mortem turpissimam, corporis sepulturam. *Oratio* fundit suspiria, piae devotionis stillat aromata, tota resolvitur in lamenta. « *Et factum est, dum fabularentur et secum quaererent, Ipse* JESUS *appropinquans ibat cum illis.* » (*Serm. de duob. discip. euntib. in Emmaus. n. 2. in app. P. L.* 184, 965.)

Meditatio.

S. Thomas Aquin. : Necesse est, quod *meditatio* sit devotionis causa, in quantum scilicet homo per meditationem concipit, quod se tradat divino obsequio. Ad quod quidem inducit *duplex consideratio : una* quidem, quae est ex parte divinae bonitatis et beneficiorum Ipsius, secundum illud Psalmi 62 : « *Mihi adhærere Deo bonum est et ponere in Domino Deo spem meam;* » et haec consideratio excitat devotionem, quae est proxima devotionis causa. *Alia* vero ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget, ut Deo innitatur, secundum illud Psalmi 120: « *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi; auxilium meum a Domino qui fecit coelum et terram;* » et haec consideratio excludit praesumptionem, per quam aliquis impeditur, ne Deo se subjiciat, dum suae virtuti innititur. (*II. IIæ qu.* 82. art. 3.) Ex frequenti meditatione *ignis caritatis* in corde accenditur. (*In ep. ad Ephes. c.* 5, *l.* 7.)

S. Augustinus : *Meditatio* parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio perficit orationem. *Devotio* est pius et humilis affectus in Deum; *humilis* ex conscientiâ infirmitatis propriae, *pius* ex consideratione divinae clementiae. (*L. de spir. et animâ, c.* 50, *in append. P. L.* 40, 816.)

Imprimis monachus vir meditationis.

S. Basilius : Quum ceteris, qui beati esse student, tum *Sponsae Christi imprimis convenit*, operationes animae, quae per sensus fiunt, ab exterioribus ad interiora convertere, et in intimis thalamis, Sponso ut Deo, Dei Verbo, perpetuâ dilectione sociari, cum Eo colloqui, et in Ejus lege die noctuque *meditari.* (*De virgin. c.* 50. *in app. P. Gr.* 30, 767.)

Digitized by Google

Caeremoniale Congr. Hispan. (1640) : Oratio mentalis est cardo, in quo vita spiritualis vertitur. (*P.* 2. *dist.* 3. *c.* 8.)

Instar apiculae colligas,

S. Ephrem : *Si lectioni incumbas instar sapientis apiculae*, mel ex floribus sibi colligentis, fructum ex iis, quae legis, pro animi medelâ praesumito. (*De rect. viv. rat. c.* 36. *tom. II, p.* 62.)

A Spiritu S. ductus.

S. Joan. Chrysostomus : *Lectioni* vacemus cum magnâ pietate et attentione, ut possimus a *Spiritu* ad scriptorum intelligentiam duci et multum inde fructum percipere. (*Hom.* 35. *in Genes. n.* 1. *P. Gr.* 53, 322.) — Sicut corpus quod aëris puritate perfruitur, sanius fit : sic *anima fit* sapientior meditationibus enutrita. (*Hom. I. in Matth. n.* 4. *P. Gr.* 57, 29.)

Meditatio excitat.

S. Ambrosius : *Quotidiana meditatio* tollit soporem et *facit vigilantem.* (*Comment. in epist. ad Rom. c.* 12, *inter. apocr. P. L.* 17, 159.)

S. Smaragdus, Abb. S. Michaëlis in Lotharingiâ († 824) : Qui vult cum Deo semper esse, *frequenter* debet orare et *legere.* Nam quum oramus, ipsi cum Deo loquimur ; quum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. (*Coment. in reg. S. Bened. c.* IV. *n.* 56. *P. L.* 102, 784.

Auscultat Deo.

Cum Deo unit.

S. Augustinus : Spiritus *meditatione et contemplatione* ad Deum ascendit, Deus vero *revelatione* atque divinâ *inspiratione* ad eum descendit. (*L. de spirit. et anim. c.* 32. *in append. P. L.* 40, 802.) — Domine, quam *dulcis* est *memoria tua ;* quanto magis in Te meditor, tanto es mihi dulcior et amabilior... Dulce est semper ad *considerandum, quod ad amandum et laudandum* semper suave est. (*Enchirid c.* 14. *et* 28. *in append. P. L.* 40, 957, 963.)

Cum puritate mentis meditandum.

S. Gregorius M. : Si quis meditari cupit, prius *abjiciendus* est *pulvis ex oculo, deinde oculus refovendus.* Pulvis abjicitur, cum ab intentione mentis cuncta rerum corporearum phantasmata removentur. Oculus autem refovetur, cum usu continuae meditationis eadem mentis intentio ad aeterna sustollitur. (*L.* 1. *in* 1. *Reg. c.* 2. *n.* 4. *P. L.* 79, 51.) — In

Digitized by Google

electis fit uberior *infusio divini muneris*, quo mens fuerit purior *per custodiam internae meditationis.* (L. 2. in 1. Reg. c. 4. n. 9. P. L. 79, 130.)

Meditatio jungit cum Sponso.

S. Petrus Damianus : Sacri eloquii assidua meditatio *animam mundo reddit exstinctam....* Sancta quaelibet anima, quae coelesti *Sponso* in amore conjungitur, necesse est, ut Ei assiduis *Scripturarum meditationibus quasi* quibusdam *vinculis* insolubiliter *connectatur.* (Opusc. 32. c. 6. P. L. 145, 555.)

Suavis est cibus.

S. Anselmus : Meditatio de Te, Deus, plus quam *cibus suavis* est: de Te loqui plena est *refectio;* Te nosse, perfecta *consolatio;* Tibi adhaerere vita aeterna ; a Te separari, mors perpetua. (*Oratio* 10. *P. L.* 58, 883.)

S. Bonaventura : *O felix meditatio!* Amando interius *inardescit ;* orando forinsecus *elucescit* ; suspirando, quae sursum sunt, *concupiscit.* (Expos. 2. sup. Ps. 118. 9, 15.)— Jugis et assidua *vitae Christi meditatio* contra vana et caduca *mentem roborat,* contra tribulationes et adversa *fortificat,* contra hostium insidias ac blandimenta fallacia *erudit.* (L. medit. vitae Christi in prooem.) — *Ad orandi studium* meditatio *provocat et informat.* (Spec. discipl. P. 1. c. 12.)

Juvat orationem.

S. Laurentius Justinianus : Nihil *in hac peregrinatione dulcius* sentitur, nil dulcius sumitur, nil verius capitur, *sicut verborum Dei meditatio.* (Lign. vit. tract. de persev. c. 4.)

Meditatio et caritas.

Dionysius Carthus. : Omnis meditationis verae *finis et fructus* est *Deo adhaerere* et unum cum Deo spiritum fieri. (*De perf. carit. art.* 38.)

Hugo a S. Charo, Card. : *Meditatio et oratio* duae sunt *alae caritatis.* (In Ps. 54. v. 7.)

S. Hieronymus : Meditatio animae est *pabulum.* (Ep. 5. n. 2. P. L. 22, 337.) — Quidquid quotidiana meditatio tribuere solet, hoc *Spiritus S. suggerit.*(Ep. 53. n. 3. P. L. 22, 543.) — *Semper in manibus tuis* sit *divina lectio,* ut omnium cogitationum sagittae, quibus adolescentia percuti solet, hujusmodi *clypeo* repellantur. (*Ep.* 79. *n.* 9. *P. L.* 22, 730.) — *Post*

Est clypeus.

Digitized by Google

Quid meditandum ?

S. Scripturae.

Sunt epistolae Imperatoris coeli.

Speculum mentis.

Thesauri indagator.

Lectio, meditatio, oratio, contemplatio.

Scripturas sacras doctorum hominum *tractatus lege*, et illorum dumtaxat, quorum doctrina nota est. Non necesse habes aurum in luto quaerere. (*Ep.* 54. *n.* 11. *P. L.* 22, 555.) — *Ama Scripturas sacras et amabit te Sapientia ;* dilige eam, et *salvabit te ;* honora illam, et *amp lexabitur te.* Haec monilia in pectore et auribus tuis haereant! (*Ep.* 130. *n.* 10. *P. L.* 22, 1124.)

S. Gregorius M. : *Imperator coeli*, Dominus Angelorum et hominum, pro vitâ tuâ *tibi epistolas suas transmisit*, et tu illas ardenter legere negligis? Quid est enim *Scriptura sacra* nisi quaedam epistola omnipotentis *Dei* ad creaturam suam? (*L.* 4. *ep.* 31. *P. L.* 77, 706.) — *S Scriptura* mentis oculis quasi quoddam *speculum* opponitur, ut interna nostra facies in ipsâ videatur. Ibi etenim foeda, ibi pulchra nostra cognoscimus. Ibi sentimus, quantum proficimus ; ibi, a profectu quam longe distamus. (*Moral. l.* 2. *c.* 1. *n.* 1. *P. L.* 75, 553.) — Multi legunt, et ab ipsâ lectione *jejuni* sunt. (*L.* 1. *in Ezech. hom.* 10. *n.* 7. *P. L.* 76, 888.)

S. Bernardus : *Lectio* quasi fundamentum occurrit et, datâ materiâ, *mittit nos ad meditationem.* Meditatio vero, quid appetendum sit, diligentius inquirit, et quasi *effodiens thesaurum* invenit et ostendit ; sed cum per se obtinere non valeat, *mittit nos ad orationem.* Oratio, se totis viribus erigens ad Dominum, *impetrat thesaurum* desiderabilem, contemplationis suavitatem. — Salvator dicit (*Matth.* 7, 7): « *Quaerite « et invenietis; pulsate et aperietur vobis.* » Quaerite *legendo*, et invenietis *meditando :* pulsate *orando* et aperietur vobis *contemplando.* — *Lectio* est sedula Scripturarum cum animi intentione inspectio. *Meditatio* est studiosa mentis actio, occultae veritatis notitiam ductu propriae rationis investigans. *Oratio* est devota mentis intentio in Deum, pro malis amovendis et bonis adipiscendis. *Contemplatio* est mentis in Deum suspensae elevatio, aeternae dulcedinis gaudia degustans. — *Lectio* quasi solidum cibum ori apponit, *meditatio* masticat et frangit ; oratio saporem acquirit, *contemplatio* est ipsa dulcedo, quae jucundat et reficit. *Lectio* in cortice, *meditatio* in adipe, *oratio* in desiderii postulatione, *contem-*

Digitized by Google

platio in adeptae dulcedinis delectatione. (*De scala claustral. c.* 10; *c.* 2; *c.* 1; *c.* 2; *P. L.* 184, 481 *et* 476.) — Primum ipsum fontem suum, i. e. mentem, de quâ oritur, purificat *consideratio.* Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat. Postremo divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. (*De consid. l.* 1. *c.* 7. *P. L.* 182, 737.) — S. Spiritus *monet* et *docet* et *movet;* monet memoriam, docet rationem, movet voluntatem; suggerendo, instruendo, afficiendo. (*Serm.* 1. *in f. Pent. P. L.* 183, 325.) — *Meditatio* docet, quid desit; *oratio,* ne desit, obtinet. Illa viam ostendit; ista deducit. *Meditatione* denique cognoscimus imminentia nobis pericula; *oratione* evadimus. (*Serm.* 1. *in festo S. Andreae, n.* 10. *ibid.* 509.)

Considerationis fructus.

Imitatio Christi: Summum studium nostrum sit, in *vitâ* JESU CHRISTI *meditari.* (*L.* 1. c. 1.)

Meditanda JESU *vita.*

S. Bonaventura: Tu si ex his, quae *per Dominum* JESUM *dicta et facta* narrantur, fructum sumere cupis, ita te praesentem exhibeas, ac si tuis auribus et oculis ea videres, toto mentis affectu, diligenter, delectabiliter et morose, omnibus aliis curis et sollicitudinibus tunc omissis. (*In Prolog. medit. vitae Christi.*) — *Adorandi studium* meditatio provocat et informat. (*Spec. discipl. ad novitios. P.* 1. *c.* 12.) — Sicut *speculum* facit hominem seipsum cognoscere, ita oratio clarius facit homines agnoscere defectus suos vel profectus. (*De profect. religios. L.* 2. *c.* 66.) — JESUM *animus alloquitur, ut Deum* fideliter adorando, ut *Creatorem* vehementer admirando, ut *Patrem* confidenter deprecando, ut *Dominum* humiliter honorando, ut *Judicem* horribiliter timendo, ut *Socium* familiariter confabulando, ut *Sponsum* dulciter susurrando. (*De sept. itiner. aetern. Iter* 2. *dist.* 4.) — Sciendum est, quod *in oratione* (mentali) sunt *tres gradus* sive partes ipsam perficientes; quorum primus est *deploratio miseriae,* secundus *imploratio misericordiae,* et tertius *exhibitio latriae.* (*Incendium amoris, c.* 2.) — *Sicut, qui mendicant ante fores ecclesiarum,* omnem dolorem et deformitatem, quam habent in corpore, ostendunt,

Meditatio adorationis magistra.

Speculum hominis.

JESUM *alloquitur.*

Tres gradus.

Mendicantes imitandi.

Digitized by Google

sic et tu Domino et Angelis Ejus infirmitatem animae tuae ostendas in oratione. (*De confess. serm.* 5.)

Spiritus S. dux.

V. Ludov. Blosius : *Ipse Spiritus S.* diversis modis nos veluti invitare diversisque semitis ad *cellam illam vinariam*, et ad *thalamum divini amoris* introducere consuevit. Cujus instinctus ubique animadvertere promptissimeque sequi debemus, omni proprietate rejectâ (*Spec. monach. c.* 5.)

S. P. Benedictus contemplator.

Dionysius Carthus. : *S. Benedictus* ingressus est abyssum sapientiae increatae, contemplationis secretum, revelationum altitudinem divinarum ; quia incerta et occulta sapientiae suae patefecit ei Altissimus cordiumque arcana revelavit et spiritu prophetiae ipsum replevit. Et *erat contemplator altissimus.* (*Sermo* 1. *de SS. Bened.*)

S. Gregorius M. : Venerabilis *Benedictus* in illâ solitudine habitabat secum, in quantum se intra cogitationis claustra custodivit. Nam quotiescunque hunc *contemplationis ardor* in altum rapuit, se procul dubio sub se reliquit. (*Dial. l.* 2. *c.* 3. *P. L.* 66, 138.)

Monachus vir S. Ecclesiae et S. Sedis.

S. Beda, monach. et Doct. Eccl. († 735) : *Petrus*, primus pastor *Ecclesiae*, nomen accepit a petrâ spirituali, in quâ totius S. Ecclesiae fabrica immobilis et inconcussa persistit. Curremus, fratres carissimi, ut *hujus petrae praesidio semper adhaerentes*, nullâ labentium rerum contrarietate terrente, nullâ blandiente serenitate a fidei firmitate divellamur. (*L.* 2. *hom.* 23. *in nat. S. Andr. Ap. P. L.* 94, 261.)

Libertatis ejusdem propugnator.

S. Anselmus, mon. et Archiep. : *Nihil magis diligit Deus* in hoc mundo, *quam libertatem Ecclesiae suae.* Qui ei volunt non tam prodesse, quam dominari, procul dubio Deo probantur adversari. *Liberam vult* esse Deus *sponsam suam, non ancillam !* Qui eam, *sicut filii matrem*, tractant et honorant, vere se *filios ejus* et *filios Dei* esse probant. Qui vero illi quasi subditae dominantur, non filios, sed alienos se faciunt, et ideo juste ab haereditate et dote illi promissâ exhaeredantur. (*Lib.* 4, *ep.* 9. *P. L.* 159, 206.) — Mi Domine, *ne putetis Ecclesiam*, quae in vestro principatu est, vobis esse

Digitized by Google

datam in haereditariam dominationem, sed in haereditariam reverentiam et in tuitionem. Eam ut *matrem vestram* amate, ut *sponsam et amicam Dei* honorate! Qui enim illam conculcant, extra illam cum daemonibus conculcabuntur; et qui illam glorificant, in illâ et cum illâ inter Angelos glorificabuntur. (*L.* 3. *ep.* 65. *P. L.* 159, 103.) — Precor, obsecro, moneo, consulo, ut fidelis animae vestrae, mi Domine, et ut in Deo vere dilecte, ut nunquam aestimetis vestrae celsitudinis minui dignitatem, si *sponsae Dei et matris vestrae Ecclesiae amatis et defenditis libertatem;* nec putetis vos humiliari, si eam exaltatis, nec credatis vos debilitari, si eam roboratis. Videte, circumspicite! *Exempla sunt in promptu;* considerate principes, *qui illam impugnant* et *conculcant*, ad quid proficiunt, ad quid deveniunt? Satis patet, non eget dictu. Certe, *qui illam glorificant, cum illâ* et *in illâ glorificabuntur*. (*L.* 4. *ep.* 13. *P. L.* 159, 208.)

Summa Papae dignitas.

S. Bernardus, Abb.: *Papa beatissime* Eugeni, age, *indagemus, quis sis*, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesiâ Dei. Quis es? *Sacerdos magnus, summus Pontifex.* Tu *Princeps Episcoporum*, tu *heres Apostolorum;* tu primatu *Abel*, gubernatione *Noë*, patriarchatu *Abraham* ordine *Melchisedech*, dignitate *Aaron*, auctoritate *Moyses*, judicatu *Samuel*, potestate *Petrus*, unctione *Christus*. Tu es, cui *claves traditae*, cui *oves creditae* sunt. Sunt quidem et alii coeli janitores, et gregum pastores: habent sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni omnes. Nec modo ovium, sed et pastorum *tu unus omnium Pastor*. Stat *inconcussum privilegium* tuum tibi, tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatis. Cum quisque ceterorum habeat suam, *tibi una commissa est grandissima navis*, facta ex omnibus, ipsa universalis Ecclesia, toto orbe diffusa. (*De Consider. L.* 2. *c.* 8. *n.* 15. *P. L.* 182, 751.)

Ejus principatus.

S. Odo, Abbas: De toto mundo unus *eligitur Petrus, qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis* cunctisque Ecclesiae Patribus *praeponatur*, ut, quamvis in populo Dei multi sacerdotes, *omnes* tamen *regat Petrus*,

Digitized by Google

quem principaliter regit Christus. Magnum et *mirabile* huic *consortium potentiae suae* tribuit divina dignatio. O inaestimabilis et immensa bonitas!... O quam vicina et profunda remedia! Juxta se *habet mundus Dei regnum, si currat ad Petrum...* Ecce ad nutum Petri divini regni claustra patescunt. (*Serm.* 1. *P. L.* 133, 711.)

Est Dei regnum.

Beata ejus lingua.

B. Alcuinus Abb.: Me totum offero Tuae sanctitati, Pater piissime, sanandum... *O beatissima lingua oris Tui,* in quâ est *aeterna medicina salutis,* per quam coeli aperiuntur credentibus! Nunquam, obsecro, haec sileat; semper admoneat et sanet, semper aperiat perpetuae beatitudinis ad se confugientibus portas! O Domine JESU, fac eum longaevâ valere et vivere prosperitate, et qui talem dedisti Pastorem populo Tuo, hunc pietatis Tuae dexterâ multis temporibus conservare digneris! (*Ep.* 18. *P. L.* 100, 171.) —

Amor erga summum Pontificem.

— *Semper S. Romanae Sedis beatissimos,* quantum valui, *Principes et Pastores amavi,* cupiens, illorum sanctissimis intercessionibus inter oves Christi numerari, quas Deus Christus post resurrectionis suae gloriam B. Petro principi Apostolorum, pascendos commendavit... *Gregis sanitas gloria est Pastoris* et multiplicatio illius merces aeterna. Ecce Tu, sanctissime Pater, *Pontifex* a Deo electus, *Vicarius* Apostolorum, *haeres* Patrum, *Princeps* Ecclesiae, unius *immaculatae Columbae nutritor...* Congrega nos, filios sanctae Dei Ecclesiae, paternae miserationis affectu, Tuis sanctissimis orationibus et dulcissimis sacrarum literarum exhortationibus intra firmissimum Ecclesiae soliditatis ovile... Tuis sanctissimis vigiliis *ad pastoralem sollicitudinem, Angelicas* a supernis sedibus *visitationes adstare non dubitamus,* quorum auxilio, quaecumque divinam poposceris pietatem, impetrare Te posse credimus. (*Ep.* 24. *P. L.* 100, 172.)

Monasteria S. Sedi addicta.

S. Gregorius P. VII. (Monach. Cluniac.) († 1085.): Ignoras, quod SS. Patres plerumque religiosa *monasteria,* perpetuâ libertate ea donantes, *Apostolicae Sedi velut principalia capiti suo membra adhaerere sanxerunt?* (*Ep.* 69. *P. L.* 148, 420.)

Digitized by Google

Petrus Venerabilis, Abb. Cluniac. (✝ 1158) : Nos *Romanum Pontificem proprium habemus Episcopum.* Quis enim rectior, quis verior, quis dignior Romano Episcopo episcopus potest inveniri? Nonne ille est, quem ceteris praeesse non humana, sed *divina auctoritas sanxit?* Nonne ille est, cui dictum est : « *Tu conversus confirma fratres tuos?* » Nonne ille est, cui dictum : « *Tibi dabo claves regni coelorum?* » Hunc unum solum et maximum nos habere Episcopum gloriamur, *huic soli specialiter obedimus* et obedire volumus, *nec de ejus unquam,* quod nulli mortalium licitum est, *judicio judicare.* (*Epist.* 28. *P. L.* 189, 137.)

Papa proprius monachorum Episcopus.

S. Anselmus : Quanto studio mens mea pro suâ possibilitate *Sedis Apostolicae reverentiam et obedientiam* amplectatur, testantur multae et gravissimae tribulationes cordis mei, soli Deo et mihi notae, quas ab initio episcopatus mei continue jam per novem annos, et in exilio et episcopatu, passus sum, quia ejusdem *Sedis subjectioni et obedientiae inseparabiliter adhaesi.* A quâ intentione spero in Deo, quia nihil est, quod me possit retrahere. (*L.* 3. *ep.* 48. *P. L.* 159, 79.) — Qui dedignantur *Apostolici* (*Pontificis*) *decretis,* quae ad robur Christianae religionis facit, esse obedientes, Petro utique Apostolo, cujus vice fungitur, imo Christo, qui Petro commendavit suam Ecclesiam, se probant esse inobedientes. Quaerant igitur, qui *Vicarii Petri, et in eo Petri et Christi, decreta* christiana contemnunt, alias regni coelorum portas! Quia certe per illas non intrabunt, quorum claves Petrus Apostolus portat. (*L.* 3. *ep.* 65. *P. L.* 159, 103.) — *Non timeo exilium,* non *paupertatem,* non *tormenta,* non *mortem,* quia ad haec omnia, Deo confortante, *paratum est cor meum pro Apostolicae Sedis obedientiâ et matris meae Ecclesiae Christi libertate.* (*L.* 3. *ep.* 73. *P. L.* 159, 111.) — *Pro vestrâ et Romanae Ecclesiae* tribulatione, quae *nostra et omnium vere fidelium* est, non cessamus orare Deum assidue, ut *mitiget vobis a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea* (*Ps.* 93). (*L.* 2. *ep.* 33. *P. L.* 158, 1184.) — Cuncti noveritis, quod in his, quae Dei sunt, *Vicario B. Petri obedientiam,* et in his, quae terrenae regis dignitati

Inseparabiliter ei adhaerendum et obsequenaum.

Ejus decreta.

Obedientia usque ad mortem.

Digitized by Google

jure competunt, et fidele consilium et auxilium pro sensus mei capacitate impendam... Qui propterea, quod venerabilis S. Romanae Ecclesiae *summi Pontificis obedientiam* abnegare nolo, vult probare, me fidem et sacramentum violare, quod terreno regi debeo, asit! Et in nomine Domini me paratum inveniet, ei, sicut debeo et ubi debeo, respondere. (*Apud Eadmer. mon. histor. nov. l.* 1. *P. L.* 159, 382. 384.)

Contra hostes S. Romanae Ecclesiae pugnandum, pro hâc orandum.

Urbanus II. (✠ 1099) : Gratias agimus Deo pro vobis in gratiâ Dei, quae data est vobis, qui in hoc malo tempore, cum omnis pene Gallia erroris caligine jacet immersa, oculos mentis vestrae ad cognitionem veritatis illuminavit, ut *ad amorem justitiae et catholicae fidei defensionem*, igne sui Spiritus cor vestrum accendat. Vos aliis pro defensione veritatis et justitiae laborantibus cum omni officio caritatis subvenire solebatis et cum magnâ cordis lactitiâ et vultus hilaritate Sanctorum necessitati supra vires vestras ministrare, simoniacos et Wibertistas (schismaticos) novos *Ecclesiae hostes, validis* verborum *jaculis impetere*, et nutantem rationis eorum murum *ariete fidei pulsare*, et athletas Dei, qui in acie Christianae religionis defecerant, confortare... Nunc, si Henricus homo christianae pacis eversor, *Romanae sanctae et apostolicae Ecclesiae* funestas manus intulit, mirum vobis videtur, si usque ad vos gladius insaniae ejus pervenit? Imo potius *gaudete, quia Deus laborum Sanctorum suorum consortes vos vult esse...* Vos, et qui vobiscum sunt fratres, ut memoriam nostri in vestris sanctis orationibus habeatis, ut *pro pace nostrâ et Ecclesiae* Eum, qui natus pacem terris attulit quique Suo sanguine eam Sibi desponsavit, *rogetis* suppliciter exoramus. (*Ep.* 125. *P. L.* 151, 395.)

S. Gregorius VII. : Per omnipotentem Dominum rogamus, ut *fratres vestros*, sicut ab *initio ordinationis nostrae postulavimus, pro nobis jugiter orare Deum* commoneatis, quoniam nisi illorum et aliorum fidelium interventibus divina suffragia mereamur, nostrum, et quod magis timemus, *Ecclesiae* periculum evitare non poterimus. (*L.* 1. *ep.* 62. *P. L.* 148, 338.) — Pater (Abbas) vester, reverâ *Apostolorum*

Digitized by Google

principem diligens, in ejus acie nobis adhaesit, et *adjutorium,* Christo gubernante, *nobis impendit.* Moveat vos, fratres carissimi, summa dilectio Christi, ut nos sicut vos ipsos diligatis, et *manum adjutorii* in magnâ tempestate positis porrigatis! (*L.* 6. *ep.* 15. *P. L.* 148, 524.)

Exercitia pietatis adhibenda.

Thomas a Vio, Cajetanus, O. Pr., Card.(✠ 1534): Quomodo effectus absque causâ, finis absque medio, insularis portus absque navigatione *haberi nequit,* sic *religio* in actu *absque frequentibus actibus* harum causarum, mediorum ac vehiculorum. (*In S. Thom. II. IIae qu.* 82. *art.* 3. *in corp.*)

Christus via pietatis.

S. Augustinus: *Filius Dei,* qui semper in Patre *veritas* et *vita* est, assumendo hominem *factus est* via. Ambula per *hominem* et pervenis ad *Deum.* Per Ipsum vadis, ad Ipsum vadis. Noli quaerere, quâ ad Ipsum pervenias, praeter Ipsum. Si enim *via* Ipse esse noluisset, semper erraremus. Factus ergo est *via,* quâ venias. Non tibi dico, quaere viam: *Ipsa via ad te venit;* surge et ambula. *Ambula* moribus, non pedibus. (*Serm.* 141, *c.* 4. *P. L.* 38, 777.)

Pietas in B. V. Mariam est maxima securitas,

V. Ludov. Blosius: Fieri non potest, ut unquam pereat, qui *Mariae* sedulus et humilis cultor fuerit. (*Canon vitae spirit. c.* 18.)

Ducit ad litus,

Bonaventura: Qui acquirunt *gratiam Mariae,* cognoscuntur a civibus paradisi, et *qui habuerit* hunc characterem, *adnotabitur in libro vitae.* (*In psalt.*) — Quibus auxiliis possunt naves inter tot pericula *pertransire usque ad litus?* Certe per duo: *per lignum* et *stellam,* i. e. per fidem crucis et per virtutem lucis, quam peperit nobis *Maria,* stella maris. (*Spec. c.* 3.)

Salvat

S. Anselmus Cantuar.: Sicut, o *beatissima Virgo,* omnis a te aversus et a te despectus necesse est, ut intereat, ita omnis *a te conversus* et a te respectus *impossibile est, ut pereat.* (*Oratio* 51. *P. L.* 158, 956.)

Glorificat.

S. Antoninus, Archiep.: Sicut impossibile est, quod illi, a quibus *Maria* oculos suae misericordiae avertit,

Digitized by Google

salventur, ita *necessarium* est, *ut hi, ad quos convertit oculos, pro eis advocans, glorificentur.* (*Summ. theol. p.* 4. *tit.* 15, *c.* 14.)

Est peccatoris refugium,

S. Bernardus : Tu, o B. V. Maria, *peccatorem* quantumlibet foetidum *non horres*, non despicis, si ad te suspiraverit tuumque interventum poenitenti corde flagitaverit. Tu illum a desperationis barathro, *pia mater*, retrahis, foves, non despicis, quousque horrendo judicii miserum reconcilies. (*Serm. paneg. n.* 2. *in app. P. L.* 184, 1010.) — Si jactaris superbiae *undis*, si ambitionis, si detractionis, si aemulationis, *voca Mariam !* Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, *respice ad Mariam !* — Mariam cogita, Mariam invoca ; non recedat ab ore, non recedat a corde ! *Ipsam sequens non devias ;* ipsam cogitans non *erras;* ipsâ duce *non fatigaris ;* ipsâ propitiâ *pervenis.* (*Hom.* 2. *super* "*Missus est*", *n.* 17. *P L.* 183, 70.)

Stella maris,

Omnium adjutrix.

Raymundus Jordanus, Abb. O. S. Aug. (✠*c.* 1390): *Maria adjuvat* in vitâ praesenti tam bonos quam malos ; bonos in gratiâ conservando, unde canimus : «*Maria, mater gratiae ;* » malos ad misericordiam reducendo, et ideo dicitur : « *Mater misericordiae.* » Adjuvat etiam *in morte* ab insidiis diaboli protegendo, et ideo dicitur : «*Tu nos ab hoste protege !* » Adjuvat etiam *post mortem*, animas suscipiendo, et ideo dicitur : « *Et horâ mortis suscipe !* » (*In contempl. de B. Virg.*)

Arca Noë.

S. Bernardus : *Arca Noë* significat excellentiam *Mariae.* Sicut enim per illam omnes evaserunt diluvium, sic per istam peccati naufragium. Illam Noë, ut diluvium evaderet, fabricavit ; istam Christus, ut humanum genus redimeret, praeparavit. Per illam octo tantum animae salvantur ; per istam omnes ad vitam aeternam vocantur. (*Sermo de B. V. Maria n.* 6. *in app. P. L.* 184, 1017.) — Sicut origo fontium et fluminum mare est, ita *virtutum auctrix* et *scientiarum scientia* sanctarum, *Maria.* Sicut *sol* universa coeli lumina praecellit praerogativâ claritatis eximiae, sic Maria totam rationalem creaturam post Filium praecellit splendore virtutis. (*Serm.* 1. *super* " *Salve Regina' n* 2. *in app. P. L.* 184, 1062.)

Sicut mare et sol,

Digitized by Google

— *Tolle corpus hoc solare*, quod illuminat mundum, ubi dies? *Tolle Mariam* hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi ; quid nisi caligo involvens et umbra mortis, ac densissimae tenebrae relinquuntur ? (*Serm. de Nativ. B. M. V. n.* 6 *P. L.* 183, 441.) — *Mariae* praesentiâ totus illustratur orbis, adeo ut ipsa jam coelestis patria clarius rutilet virgineae lampadis irradiata fulgore. (*Serm. de Assumpt. B. M. V. ib.* 415.) —O pia, o magna, o multum amabilis Maria ! tu nec nominari quidem potes, quin *accendas* ; nec cogitari, quin *recrees* affectus diligentium te. (*Serm. paneg. n.* 6. *in app. P. L.* 184, 1013.)

S. Fulgentius, Episc. Ruspens. (✠ 533): Facta est Maria scala coelestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mereantur ad coelos. (*Serm. in Nat. Dom. n.* 2. *in app. P. L.* 65, 899.) *Pons est et dux.*

S. Antoninus, Archiep. : Qui petit sine *ipsâ duce*, sine alis tentat volare. (*Summ. Theol. p.* 4. *tit.* 15. *c.* 22.)

S. Ildefonsus, Tolet. Episc.(✠ 669): Omnia bona, quae summa Majestas decrevit facere, tuis manibus, *o Maria*, voluit commendare ; *commissi* quippe *sunt tibi thesauri*... et *ornamenta gratiarum.* (*De Corona Virg. c.* 15. *P. L.* 96, 305.) *Gratiarum dispensatrix.*

S. Petrus Damianus : *B. Maria V. accedit ad aureum reconciliationis altare*, non rogans, sed imperans; *Domina, non ancilla.* (*Serm.* 44. *P. L.* 144, 740.) *Mediatrix.*

S. Antoninus : Impossibile est, Deiparam non exaudiri, juxta illud, quod in figurâ ejus dixit *Salomon* matri suae : « *Pete, mater mea ; neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* » (*Summ. Theolog. p.* 4. *tit.* 17.)

S. Ephrem : Nobis non est alia, quam a te, *fiducia*, o Virgo sincerissima ! (*Precatio* 2. *ad Dei matrem ; t.* III. *p.* 525.) *Tuta spes et salus.*

S. Joan. Damascenus, mon. (✠ *c.* 760): *Spem tuam habens, o Deipara, servabor ;* defensionem tuam possidens, *non timebo.* Persequar inimicos meos et in fugam convertam, habens ut thoracem *protectionem tuam*, auxilium tuum. Nam *devotum tibi esse*, est *arma quaedam salutis* habere, quae Deus iis dat, quos vult salvos fieri. (*Serm. de Annunt. int. apocr.*)

Digitized by Google

Mariae laus.

Thomas a Kempis : O summe venerabilis Virgo *Maria*, *virginitate* candidissima, *humilitate* profundissima, *caritate* ferventissima, *patientiâ* mitissima, *misericordiâ* plenissima, *oratione* devotissima, *meditatione* purissima, *contemplatione* altissima, *compassione* suavissima, *consilio* prudentissima, *auxilio* potentissima ! — O summe veneranda Virgo Maria, *aula* Dei, *porta* coeli, *paradisus* deliciarum, *puteus* gratiarum, Angelorum gloria, hominum laetitia, *forma morum*, virtutum splendor, *lucerna vitae*, spes egenorum, *salus* infirmorum, mater orphanorum ! (*Serm.* 25. *ad Novit.*)

Nomen B. V. Mariae.

S. Bonaventura: Ab invocatione *nominis tui*, *Maria*, trepidat spiritus malignus. (*In psalt.*)

In ea totius plenitudo boni.

S. Bernardus : *Intuemini, quanto devotionis affectu Dominus a nobis Mariam voluerit honorari*, qui totius plenitudinem boni posuit in *Maria*, ut proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab eâ noverimus redundare. (*Serm. in Nativ. de M. V. n. 6. P. L.* 183, 441.) —

Est summe praedicanda.

Magnifica gratiae inventricem, mediatricem salutis, restauratricem saeculorum ! *Exalta* denique exaltatam super choros Angelorum ad coelestia regna ! (*Ep.* 174. *n.* 2. *P. L.* 182, 332.)

Virga et lignum vitae.

— *Virgo* Dei genitrix *virga est*, ex radice Jesse procedens, *flos Filius* ejus.... O vere *coelestis planta*, pretiosior cunctis, sanctior universis ! O vere *lignum vitae*, quod solum fuit dignum portare fructum salutis !... Virgo *regia* est *via*, per quam Salvator advenit, procedens ex ipsius utero, tanquam sponsus de thalamo suo. *Tenentes* ergo (*hanc*) *viam*, studeamus et nos, dilectissimi, ad Ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit ; per eam venire in gratiam Ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit ! *Per te accessum habeamus ad Filium*, o benedicta *Inventrix gratiae*, *Genitrix vitae*, *Mater salutis*, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis ! Excuset apud Ipsum *integritas tua* culpam nostrae corruptionis, et *humilitas Deo grata* nostrae veniam impetret vanitati ! *Copiosa caritas tua* nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et *foecunditas gloriosa*

Via et reconciliatrix.

Digitized by Google

foecunditatem nobis conferat meritorum! *Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra,* tuo Filio nos repraesenta! Fac, o benedicta, *per gratiam,* quam invenisti, *per praerogativam,* quam meruisti, *per misericordiam,* quam percepisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes faciat nos gloriae et beatitudinis suae, JESUS CHRISTUS Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus in saecula! (*Serm.* 2. *in Adv. Dom. n.* 4. *P.L.* 183, 42.)— Sola haec est, in quâ *virginitas et foecunditas obviarunt sibi.* Ibi semel factum est, quod factum non fuerat, nec fiet in aeternum : quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem. (*Serm.* 3. *in Virg. Nat. Dom. n.* 9. *P. L.* 283, 99.) O beata, *sola inter mulieres benedicta,* et non maledicta ; sola a generali maledicto libera, et a dolore parturientium aliena! (*Serm.* 4. *ibid. n.* 3. *P.L.* 183, 101.) —Quae, vel Angelica, *puritas* virginitati illi audeat comparari, quae digna fuit Spiritus Sancti sacrarium fieri, et habitaculum Filii Dei?... Quanta vero et quam pretiosa *humilitatis* virtus cum tantâ puritate, cum innocentiâ tantâ, cum conscientiâ prorsus absque delicto, imo cum tantâ gratiae plenitudine?... Sileat *misericordiam* tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse... Laudamus virginitatem, humilitatem miramur ; sed *misericordia* miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur carius, recordamur saepius, crebrius invocamus. Haec est enim, quae totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Constat enim, pro universo genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est : «*Ne timeas Maria, invenisti gratiam!*» Quis ergo *misericordiae tuae,* o benedicta, *longitudinem* et *latitudinem, sublimitatem* et *profundum* queat investigare? Per te enim coelum repletum, infernus evacuatus est, instauratur coelestis Jerusalem, exspectantibus miseris vita perdita data. Ad hunc igitur *fontem* sitibunda properet anima nostra ; ad hunc *misericordiae cumulum* totâ sollicitudine miseria nostra recurrat! (*Serm.* 4. *in Assumpt. B. M. V. n.* 6-8, *P. L.* 183, 428.)

Sola benedicta.

Incomparabilis puritas, humilitas, gratia.

Sed super omnia misericors.

Digitized by Google

Pietas in S. Angelos.

« *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* » Quantam tibi debet hoc verbum inferre *reverentiam*, afferre *devotionem*, conferre *fiduciam*, reverentiam *pro præsentiâ*, devotionem *pro benevolentiâ*, fiduciam *pro custodiâ!*... Simus grati tantis Custodibus: *redamemus eos*, *honoremus eos* quantum possumus, quantum debemus... Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? Tantum *sequamur eos*, adhaereamus eis, et in protectione Dei coeli commoremur. Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, et tribulatio vehemens imminere, *invoca custodem* tuum, *ductorem* tuum, *adjutorem* tuum, in opportunitatibus, *in tribulatione*. (*Serm.* 12. *in Ps.* "*Qui habitat*" *n.* 6-9. *P. L.* 283, 233.) — Hic est, dilectissimi, *funiculus triplex*, quo de excelso coelorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, ad adjuvandos nos attrahitur *supereminens caritas Angelorum*, propter Deum, propter nos, propter seipsos. *Propter Deum* utique, cujus tanta erga nos misericordiae viscera ipsi quoque, ut dignum est, imitantur; *propter nos*, in quibus nimirum propriam similitudinem mirantur; *propter seipsos*, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio praestolantur. Quae cum ita sint, pensate, quanta etiam nobis sollicitudine opus est, dilectissimi, ut dignos nos exhibeamus eorum frequentiâ, et eo modo *conversemur in conspectu Angelorum*, ne forte sanctos offendamus obtutus. (*Serm.* 1. *de S. Mich n.* 4. *et* 5. *P. L.* 183, 449.) —

Devotio in Sanctos Dei.

Fidelis sermo et omni acceptione dignus, ut, *quos solemni veneratione prosequimur*, etiam *simili conversatione sequamur;* quos beatissimos praedicamus, ad eorum beatitudinem totâ aviditate curramus; quorum delectamur praeconiis, *sublevemur eorum patrociniis*. Nec sane parum fructuosa invenitur *memoria festiva Sanctorum*, languorem, teporem erroremque depellens; quum eorum intercessione *juvetur infirmitas* nostra, consideratione beatitudinis *excitetur negligentia* nostra, *ignorantia* quoque nostra ipsorum *erudiatur* exemplis. (*Serm.* 2 *in fest. omn. Sanct. n.* 1. *P. L.* 183, 462.) — Plane, quod *eorum memoriam veneramur*, nostrâ interest, non ipsorum...

Digitized by Google

Singulorum quippe recordationes, quasi scintillae singulae, imo *quasi ardentissimae faces, devotos accendunt animos*, ut eorum et conspectum sitiant et complexum... *Desideremus* desiderantes nos, *properemus* ad praestolantes nos, exspectantes nos *votis praeoccupemus* animorum... Non tantummodo societas, sed etiam *felicitas nobis est optanda Sanctorum*, ut quorum desideramus praesentiam, gloriam quoque ferventissimis studiis ambiamus... Sane, ut eam nobis sperare liceat et ad tantam beatitudinem adspirare, summopere nobis desideranda sunt *suffragia quoque Sanctorum;* ut, quod possibilitas nostra non obtinet, eorum nobis intercessione donetur. « *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei!* » Nostis ipsi periculum nostrum; nostis figmentum nostrum; nostis ignorantiam nostram et dolos adversariorum; nostis eorum impetus et nostram fragilitatem. (*Serm.* 5. *in festo omn. Sanct. n.* 5-10. *P. L.* 183, 478.) — *Tria sunt*, quae *in festivitatibus Sanctorum* vigilanter considerare debemus: *auxilium* Sancti, *exemplum* ejus, *confusionem nostram.* Auxilium ejus, quia, qui potens in terrâ fuit, potentior est in coelis ante faciem Domini Dei sui... Intuemini humilitatem operum ejus, auctoritatem verborum ejus, et tunc videbitis, quomodo *tam verbo, quam exemplo* luxerit inter homines; qualia nobis vestigia dereliquerit, ut ambulemus per ea et non erremus in eis. Vere juxta Prophetam: « *Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.* » Sed et diligentiori interim intuitu *confusionem nostram* inspiciamus: quia homo ille similis nobis fuit, passibilis, ex eodem luto formatus, quo et nos... Sic ergo in *Sanctorum* festivitatibus et gaudere et confundi debemus: gaudere, quia patronos praemisimus; confundi, quia eos imitari non possumus. Ita semper gaudium nostrum in hâc valle lacrymarum, lacrymarum pane condiri debet, ut semper non solum extrema, sed et prima gaudii luctus occupet. (*Serm. in Vigil. SS. Petr. et Paul. Apost. n.* 2. *et* 3. *P. L.* 183. 404.)

Petrus, Abb. Cellensis (Moustier-la-Celle), et Ep. Carnotens. (Chartres) (✠ 1187): Tanquam fratres et amicos

Angelorum praesidium.

Digitized by Google

honoremus *Angelos*, ut quorum et patrocinio adjuti *laqueum scandali caveamus*, et quorum vehiculo sublevati, *patriam repetamus*. (*De tabernacul. Mosaic. l.* 1. *in Ex. c.* 25, *v.* 22. *P. L.* 202, 1066.)

Sanctorum vita imitanda.

Joan. Trithemius: Nisi *mores Sanctorum sanctos imitari* studeamus, de illorum sanctitate frustra gloriamur. (*De vir. illustr. l.* 3. *c.* 137.)

Thomas a Kempis: Si vis Deo et Sanctis placere, *inspice vitam Sanctorum*, lege *doctrinam Sanctorum*, ut cum Sanctis sanctus fias et a Sanctis erudiaris, per Sanctos adjuveris, a Sanctis exaudiaris, cum Sanctis coroneris. (*De discipl. Claustr. c.* 15.)

Monachus devotus Dei servus.

S. Bonaventura: *Affectus amoris Dei, et sancti timoris* cum fervore bonae voluntatis, in spiritu humilitatis, et motu pietatis, et gaudio spei, nunquam debet in corde *servi Dei* exstingui. Ista namque sunt, in quibus virtus devotionis maxime consistit. (*Tom.* 2. *in* 3. *proc. relig.*) — Haec est in hâc vitâ *sublimior perfectio: ita inhaerere Deo*, ut tota anima cum omnibus potentiis suis et viribus in Deum collecta, *unus fiat spiritus cum Eo*, ut nil meminerit nisi Deum, nil sentiat vel intelligat nisi Deum, et omnes affectus in amoris gaudio uniti in solâ conditoris fruitione suaviter quiescant. (*De profect. relig. l.* 2. *c.* 72.)

Bernardus: Roga, dari tibi *devotionis lumen*, diem serenissimum et sabbatum mentis, in quo *tanquam emeritus miles* in laboribus universis vivas absque labore, *dilatato* nimirum *corde currens* viam mandatorum Dei, ut quod prius cum amaritudine et coactione tui spiritus faciebas, de cetero jam cum summâ dulcedine peragas et delectatione. (*Serm.* 3. *de Circumcis. n.* 10. *P. L.* 183, 140.) — Quidam ad omnia viae et vitae hujus exercitia non solum ambulant, sed et *currunt*, imo potius *volant*, ut eis vigiliae breves, et cibi dulces, et panni suaves, labores non solum tolerabiles, sed appetibiles videantur. *Alii autem non sic*, sed corde arido, et affectione recalcitrante vix trahuntur ad haec, vix gehennali timore compelluntur. Inde autem tam *periculosa tepiditas* emanat; quia voluntas eorum nondum purgata est, nec bonum sic

Periculosa tepiditas.

Digitized by Google

volunt, sicut noverunt, a propriâ cupiditate abstracti graviter et illecti. Amant enim in carne suâ terrenas consolatiunculas sive in verbo, sive in signo, sive in facto, sive in aliquo alio. Si haec interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt. Neque enim spiritus et caro, ignis et tepiditas in uno domicilio commorantur; praesertim cum tepiditas Ipsi Domino soleat vomitum provocare. (*Serm.* 3. *de Ascens. Dom. n.* 6. *P. L.* 183, 307.)

Ex affectu virtutis devotio et vice-versa.

S. Bonaventura : Sicut *thus super carbones positum*, spirat suavem et redolentem odorem, sic oratio incensa super carbones *devotionis*, multum fragrat in conspectu Majestatis. (*Diaet. tit.* 5.*c.* 5.) — Sicut ex nucleo pinguedo olei exprimitur, ita *ex affectu virtutis sapor devotionis* procedit. (*De prof. relig. l.* 2. *c.* 19.) — Absque spiritu devotionis, ad quam ducit oratio, omnis arida est et imperfecta *Religio.* — Non potest esse devotio, quae non *ex amoris Dei radice* pullulat. (*De prof. relig. l.* 2. *c.* 69 *et* 73.)

Cassiodorus : Si Deum invocet *indevotus*, judicium sibi videtur postulare, non veniam. (*In Ps.* 74. *v.* 1, *P. L.* 70, 536.)

S. Gregorius M. : Devotionis affectus mentis est cibus. (*L.* 4. *sup* 1. *Reg. c.* 4. *n.* 38. *P. L.* 79, 259.)

Hugo a S. Charo, Card. : *Sine devotione aridum* est *cor* humanum et sitit anima ejus. (*In Genes. c.* 29. *v.* 1.)

Hugo a S. Victore : Omnis *actio, quae sine devotione* est, *mortua* est. (*Hom* 1. *sup. Ecclesiast. c.* 1. *v.* 3. *P. L.* 175, 129.)

S. Petrus Damianus : Quidquid sapitis, quidquid potestis, quidquid vivitis, quidquid est, quod speratis, *in arâ* vestrae *devotionis* imponite. (*Lib.* 8. *epist.* 14. *P. L.* 144, 493.)

S. Leo M., Doct. Eccl. (✠ 440) : Tunc est *efficacior sanctiorque devotio*, quando in operibus pietatis totius Ecclesiae unus animus et unus est sensus. (*Serm.* 89. *c.* 2. *P. L.* 54, 445.)

S. Ephrem : Quemadmodum torques aureus in collo viri, sic *monachum pietas decet atque devotio.* (*De timore Dei; tom.* 1. *p.* 107.)

Digitized by Google

S. Bernardus : Dicamus fidem vitem, virtutes palmites, botrum opus, devotionem vinum. (*Serm.* 30. *in cant. n.* 6. *P. L.* 183, 936.)

S. Hieronymus : Pietas et vera religio *via regia* est. (*L.* 16. *in Is. c.* 59. *v.* 10. *P. L.* 24, 574.)

S. Laurentius Justinianus : *Devotio* est proprius amantium cibus, donum humilium, mansuetorum merces, ros coelicus, absconditum manna, invisus thesaurus, refectio salutaris, jucundissimum bonum, spirituale commercium, futurae beatitudinis praecursor. (*De spirit. resurr. l.* 2.)

Joan. Trithemius : Fervor devotionis tempore consumitur, nisi fomentis quotidie renovetur. (*Or.* 2. *in conv. Abb. habit.*)

V. Ludov. Blosius : *Rationalis devotio* longe certior, ipsique Domino acceptior est, quam ingens devotio sensibilis. (*Canon vitae spirit. c.* 26.) — *Periculosa res* est, *sensibilis devotionis dulcedo* his, qui eam impure desiderant, impureque eâ utuntur, hoc est, qui oblectationem magis, quam sui mortificationem Deique honorem in illâ et per illam quaerunt. (*Enchirid. parvul. l.* 1.)

Zelus domus Dei.

S. Augustinus : Frater, unusquisque christianus in membris Christi *zelo domus Dei* comedatur. Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia, quae forte videt perversa satagit emendare, cupit corrigere, nec quiescit. Si emendare non potest, tolerat, gemit. (*Tract.* 10. *in Joan. n.* 9. *P. L.* 35, 1471.)

Cum gaudio spirituali.

S. Laurentius Justinianus : Haec est inchoatio beatae vitae, *gaudere in te de te* (*Lign. vit. tract. de carit. c.* 10.) — Pudeat nos ab *amatoribus hujus sacculi* superari, qui, ut sua vota perficiant, suisque superioribus famulentur, exponunt *lacto animo* corpus periculis et animam perditioni. Nempe consurgent tales nobiscum in judicio et merito condemnabunt nos. (*De obedient. c.* 9.)

S. Ephrem : Cumque jam viderit Dominus *animam* colligentem se et, quantum in se est, *semper quaerentem et exspectantem Dominum* suum, ac nocte diuque ad Ipsum

Digitized by Google

clamantem (quoniam sic mandavit, sine intermissione orandum esse) ; cito faciet vindictam illius adversus inimicos ejus, et mundans eam ab omni maculâ atque rugâ, *sanctam* et *immaculatam Ipse Sibi sponsam exhibebit* (*De vera renunt. tom.* 3 *p.* 37.)

Monachus spiritu religionis beatus.

S. Bernardus : Inveniet in statu monastico locum *tabernaculi admirabilis*, ubi panem Angelorum manducet homo. Inveniet *paradisum voluptatis*, plantatum a Domino. Inveniet *hortum floridum* et amoenissimum. Inveniet *refrigerii sedem*... Nec vero locum reputes corporalem, paradisum hunc voluptatis internae. *Non pedibus in hunc hortum, sed affectibus introitur.* Nec terrenarum tibi commendatur arborum copia, sed *virtutum* utique spiritualium *jucunda decoraque plantatio.* Hortus conclusus, ubi *fons signatus* in quatuor capita derivatur et ex unâ sapientiae venâ *virtus quadripartita* procedit. Splendidissima quoque inibi lilia vernant et, quum flores apparent, etiam *vox turturis* auditur. Illic *nardus sponsae* fragrantissimum praestat odorem, et cetera quoque aromata fluunt, austro spirante, aquilone fugato. Ibi media est *arbor vitae*, malus illa de Cantico, cunctis pretiosior lignis silvarum, cujus et umbra sponsam refrigerat, et fructus dulcis gutturi ejus (*Cant.* 2, 3). Ibi *continentiae nitor* et sincerae *veritatis intuitus* oculos cordis irradiat. Auditui quoque dat gaudium et laetitiam *dulcissima vox Consolatoris interni.* Ibi quibusdam *spei naribus* influit jucundissimus *odor agri pleni*, cui Dominus benedixit. Ibi avidissime praelibantur incomparabiles *deliciae caritatis*, et, succisis spinis ac vepribus, quibus antea pungebatur, *unctione misericordiae perfusus animus in conscientiâ bonâ feliciter requiescit.* Quae quidem non inter vitae aeternae praemia, sed inter temporalis militiae stipendia deputantur ; nec ad futuram pertinent, sed ad eam magis, quae nunc est, Ecclesiae promissionem. Hoc enim *centuplum* est, quod in hoc saeculo saeculi contemptoribus exhibetur (*Matth.* 19). Nec tibi illud nostro speraveris eloquio commendandum. *Solus Spiritus est, qui revelat.*

Digitized by Google

S. Bernardus
mites, botrum opus,
P. L. 183, 936.)

S. Hieronym
(*L.* 16. *in Is. c.* 59. *v.*

S. Laurentius
amantium cibus, do
ros coelicus, abscond
salutaris, jucundissi
futurae beatitudinis

Joan. Trithem
sumitur, nisi fomentis
habit.)

V. Ludov. Blos
ipsique Domino accep
bilis. (*Canon vitae spirit.*
votionis dulcedo his, q
eâ utuntur, hoc est, qu
tificationem Deique ho
(*Enchirid. parvul. l.* 1.)

Zelus domus Dei.

S. Augustinus :
membris Christi *zelo do*
zelo domus Dei? Qui on
emendare, cupit corrige
potest, tolerat, gemit. (*T*

Cum gaudio spirituali.

S. Laurentius Ju
beatae vitae, *gaudere in t*
— Pudeat nos ab *amatori*
sua vota perficiant, suisqu
nunt *laeto animo* corpus
Nempe consurgent tales n
demnabunt nos. (*De obedient.*

S. Ephrem : Cumque
colligentem se et, quantum
exspectantem Dominum suu

Digitized by Google

gulae partes implentur, *psalmodiis* ...*ntur*. Omnia sunt *oratione* plena, ...*rituali fragrantia ;* nihil ibi carnale. ...sidias ; nec enim habent, quo spo- ...t anima ; si illo priventur, jacturam ...nt. « *Mihi* namque *vivere Christus*, ...*Phil.* 1). Sic enim vere vinculis absol- ...s *in tabernaculis justorum* » (*Ps.* 117): ...unquam deploratio auditur ; mun- ...molestiis tectum, ab hoc purum ...lem (non enim sunt immortales ...*iesciunt mortem*. Hymnis defunctos ...hoc appellant, non funus. *Si nun- ...mortuus est, multum ubique gaudii*, ...nullus audet dicere : «mortuus est,» ...» Tum gratiarum actio, laetitia, ...e orante, ut talem habeat finem, ... certaminibus quiescat ac videat ...tat, non lacrymae, non luctus, sed ...stat mulier crines solvens, neque ...bitatem deplorantes, neque servi, ... Ab omnibus his anima liberata, ...lerat expirationem, ut Deo migret ... *Tim. n.* 3-5. *P. Gr.* 62, 575.)

...us : Vere *claustrum est paradisus.* ...*rarum*, praeterfluens lacrymarum ...mis affectibus Amor ille coelestis ..., erectissimae choris Sanctorum, ...ltâ fructûs gaudeat ubertate. Hic ... quâ Deus est et cibans et cibus, ...ns et oblatum, conviva et convi- ...Omnipotentis *divitiae*, hic refusa ...tasne, nullas hic esse nundinas et ...ius moris in domo ? Videas hunc ...tem, illum incumbentem orationi- ...ibus lacrymantem, illum in *Dei*

Digitized by Google

Sine causâ paginam consulis ; experientiam magis require. *Sapientia* est, cujus pretium nescit homo. De occultis trahitur nec in terrâ suaviter viventium invenitur ista suavitas. Nimirum *suavitas Domini* est ; nisi gustaveris, non videbis. « *Gustate*, inquit, *et videte, quoniam suavis est Dominus* » (*Ps.* 33). *Manna absconditum* est, *nomen novum* est, quod nemo scit, nisi qui accipit. Non illud eruditio, sed unctio docet; nec scientia, sed conscientia comprehendit. (*Lib. de convers. ad cler. c.* 12. *et* 13. *P. L.* 182, 847.)

S. Joan. Chrysostomus : *Monasterium portus est* tranquillus. *Monachi tanquam faces*, ab excelso loco procul advenientibus lucentes. In portu sedentes ad suam trahunt tranquillitatem neque sinunt fieri naufragia ad se respicientibus, nec eos in tenebris permittunt versari. *Sicut enim a terrâ in coelum, ita est ad sanctum confugere monasterium.* Ab omnibus mundanis est mundus ille locus ; silentium et quies multa; Meum et Tuum ibi non est... Dies lucescit, imo vero *ante diem* omnes statim *cum reverentiâ somnum deponentes exurgunt*, excitante eos praelato, et *consistunt sanctum constituentes chorum.* Et statim manus extendentes, *stant hymnos cantantes propheticos* multâ cum vocis consonantiâ, cum apte compositis concentibus. Neque cithara neque fistula nec ullum aliud musicum instrumentum talem emittit vocem, qualem audire licet in profundâ quiete et solitudine, sanctis cantantibus illis. At et ipsa *cantica in Deum caritate plena* sunt. « *In noctibus*, » inquit, « *extollite manus vestras ad Deum* » et « *De nocte vigilavit spiritus meus ad Te, Deus, quoniam lux praecepta tua super terram.* » Et *Davidica cantica*, multos moventia fontes lacrymarum, cum *Angelis* cantant, dicentes: « *Laudate Dominum de coelis!* » Cum dies jam lucescere debet, tum requiescunt. Facto autem die, cum rursus *matutinas* orationes celebraverint et *hymnos*, ad Scripturarum lectionem convertuntur aut libros transcribunt. Assignatum unusquisque sumens habitaculum, semper agit quietem, nugante nemine, nemine quidquam dicente. *Tertiam*, *Sextam*, *Nonam* et *Vespertinas* orationes celebrant. In quatuor partes

Digitized by Google

diem dispartiti, dum singulae partes implentur, *psalmodiis et hymnis Deum venerantur.* Omnia sunt *oratione* plena, *hymnis* omnia, omnia *spirituali fragrantia ;* nihil ibi carnale. Latronum non timent insidias ; nec enim habent, quo spolientur. Adsunt corpus et anima ; si illo priventur, jacturam non faciunt, sed proficiunt. « *Mihi* namque *vivere Christus,* inquit, *et mori lucrum* » (*Phil.* 1). Sic enim vere vinculis absolvuntur. « *Vox exultationis in tabernaculis justorum* » (*Ps.* 117): nunquam illic ululatus, nunquam deploratio auditur ; mundum est ab hujusmodi molestiis tectum, ab hoc purum clamore. Moriuntur quidem (non enim sunt immortales corpore) ; sed *morientes nesciunt mortem.* Hymnis defunctos prosequuntur ; honorem hoc appellant, non funus. *Si nuntiatum* fuerit, *quod quis mortuus est, multum ubique gaudii,* voluptatis multum; imo nullus audet dicere : «mortuus est,» sed : « consummatus est. » Tum gratiarum actio, laetitia, gloria multa ; unoquoque orante, ut talem habeat finem, similiter a laboribus et certaminibus quiescat ac videat Christum. Et si quis aegrotat, non lacrymae, non luctus, sed rursum orationes. Non adstat mulier crines solvens, neque pueruli nondum factam orbitatem deplorantes, neque servi, exspirantem deprecantes. Ab omnibus his anima liberata, dum taxat extremam considerat expirationem, ut Deo migret amica. (*Hom.* 14. *in ep.* 1. *ad Tim. n.* 3-5. *P. Gr.* 62, 575.)

S. Petrus Damianus : Vere *claustrum est paradisus.* Hic *prata virentia Scripturarum,* praeterfluens lacrymarum undositas, quam de purissimis affectibus Amor ille coelestis eliquat. Hic sunt *arbores,* erectissimae choris Sanctorum, nullaque est, quae non multâ fructûs gaudeat ubertate. Hic est illa *sublimis mensa,* in quâ Deus est et cibans et cibus, munerans et munus, offerens et oblatum, conviva et convivium. Hic aggestae sunt Omnipotentis *divitiae,* hic refusa est gloria Angelorum. Putasne, nullas hic esse nundinas et otiari illos, qui habitant unius moris in domo ? Videas hunc sacris lectionibus intendentem, illum incumbentem orationibus, hunc pro suis excessibus lacrymantem, illum in *Dei*

Digitized by Google

laudibus exultantem, hunc vigilantem, hunc jejunantem, et illum officio pietatis sibi ad invicem invidere. *Nocte* consurgunt ad confitendum Deo ; *vespere*, *mane* et *meridie narrant et annuntiant laudem* Ejus, et *omnis illorum sedulitas in orbem divini rotatur obsequii.* (*Serm.* 59. *de S. Nicolao ep. P. L.* 144, 837.)



Digitized by Google

Tertium Elementum.

Vita communis seu paupertas exactissime atque integre colenda.

Religiosa paupertas — Ejus speculum Christus — Votum — Nihil nec proprii nec superflui — Victus — Vestitus — Cella — Spiritus paupertatis — Ejus aestimatio et perfectio — Fructus ejusdem — Centuplum — In viam dirigit pacis—Humilitas ejus socia et sanctitatis mensura — Superbiae vitium — Humilitas a Jesu *et B. Virgine discenda — Pauperi et humili coelum patet.*

Declaratio.

Religiosa paupertas.

Quum Coenobitarum coetus sit *familia Dei*, Ipsemet Deus, ut paterfamilias, ita patrimonii dominus est ac possessor. *Monachi*, familiae filii, usum quidem, sed possidendi jus nullum habent. Omnia eis, utpote *communem* degentibus *vitam*, absolute sunt communia. Vere *pauperes*, effigiem gerunt Jesu Christi, cujus se membra ac prolem esse praedicant. Incarnatus enim aeterni Patris Filius, clarissimum sese praebet *sanctae paupertatis speculum.* Natus ex Mariâ, pauperrimâ virgine, et in misero specu pannis involutus, collocatur in praesepio. Post, una cum egenis parentibus in sudore vultus sui manibus laborat, ut tenuissi-

Jesus Christus ejus speculum.

Digitized by Google

mum quaerat victum. Jam praedicans, pauperibus sociatus, victitat eleemosynis, neque habet, ubi caput reclinet. Tandem spoliatus vestibus omnibusque cumulatus aerumnis, in patibulo moritur atque in alieno conditur sepulcro. Ita adorandus Dei Filius in terrâ quam maxime pauper esse voluit, ut homines in coelis ditaret; vehementerque te, mi frater, invitat: "*Sequere Me*", pauper pauperrimum! Magno animo amplectere paupertatem, a Me mirifice ornatam, nobilitatam, consecratam; quae tanquam aurea patet reparationis ac meritorum via! Cui divinae obtemperans voci, **claustrum** ingressus es, *evangelicae paupertatis sanctuarium.* Instar hominis, qui *thesaurum* invenit in agro absconditum, prae gaudio vendidisti universa, quae habebas, et emisti agrum. Seu negotiatori similis, inventâ unâ *pretiosâ margaritâ*, abiisti et, omnibus venditis, emisti eam. (Matth. 13, 44 sq.) Revera enim s. paupertas coelestis est thesaurus, a *saeculi filiis* contemptus, et margarita, a porcis conculcata. Quamobrem divini memor eloquii: "*Qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest Meus esse discipulus*" (Luc. 14, 33), post aurum non abiisti nec sperasti in pecuniâ et thesauris terrae; quin potius illos *thesaurizare* aggressus es *thesauros*, quos neque aerugo neque tinea demolitur, neque fures effodiunt et furantur (Matth. 6, 20).

Claustrum paupertatis sanctuarium.

Digitized by Google

S. paupertatis votum.

Agedum, dilecte frater, audi, **ad quaenam** *sacris* **te** *votis* **devinxeris,** votis scilicet conversionis morum atque obedientiae. In perpetuum ejurasti omne dominium ideoque *jure cessisti* **proprii** *quidquam* in mundo *possidendi* vel *acquirendi.* Pars tua et haereditas tua solus est Dominus. Tanquam "*per foramen acûs*" intrasti in coenobium, omnem destringens quantulamcunque possessionem. Profecto, sicut fidelium primitiae pretia possessionum suarum "*ponebant ante pedes Apostolorum*" (Act. 4, 35), ita tu *terrae bona pedibus calcasti*, ut de nullâ omnino re dicere tibi liceat: "Meum est." Missam fecisti *proprietatem;* renuntiasti "*mammonae iniquitatis*"; privatam in perpetuum dimisisti possessionem **pecuniae,** exsecrandae istius escae, quâ animae capiuntur, ut hamo pisces, quamque princeps hujus mundi suis dispensat tanquam infernale sacramentum et viaticum.

Abdicatio proprietatis.

Pecunia.

Ergo, nequissimum "*proprietatis vitium* "**radicitus** *amputans,*" detestare qualecunque, quod dicunt, **peculium**. Nam ostiolum est, quo, quae per votorum portam ejecta fuit, rursus subintrare solet proprietas, pestis ista coenobiorum, sacrilegium nefandum ac manifestum perjurium, quod s. Concilia tot perculerunt anathematis. Ecquid infelicius perfidiusve monacho, qui, Spiritui S. mentitus, *Achan*, *Giezi*,

Peculium.

Monachus proprietarius.

Digitized by Google

Ananiam et *Saphiram*, ipsum *Judam* sequitur ac, "privata" possidens, sese Deo "privat" et coelo? Jam vero, paupertatem professus, non modo proprium nihil te possessurum, sed *ne ullius quidem rei liberam te habiturum potestatem* vovisti. Nihil omnino integrum tibi, vel sic tuâ in manu est, illud ut tibi liceat in quemlibet convertere usum, tuo ipsius arbitratu usurpare, alteri utendum tradere vel commodare. Solus, qui Supremi Domini vice fungitur, Pater spiritualis, potestatem habet colligatas solvendi manus tuas. Porro, quum res qaliscunque sit tuo usui tantum permissa, tanquam res aliena apud te deposita ac tuae custodiae fideique concredita, tuum est, *religiose ei parcere* eâque cautissime uti, nec quidquam *laedere*, *perdere* aut *frangere*. Omnes enim monasterii res quasi sacra censentur vasa, Domino dicata. Denique, quidquid praeter necessitatem est, ut vanum ac **superfluum** debet *amputari*. "*Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus*" (1 Tim. 6, 8). Simplicitatis amicus, *parce vitam ages* et de quâlibet desistes affluentiâ.

Res usui tantum raditae.

Caute omnibus utendum.

Superfluum amputandum.

Itaque **victûs** *ratio*, quoad licet, cum pauperum victu congruet, ut, quidquid apponitur tibi, caput pie inclinans, tanquam mendicus de mensâ et manu coelestis familiae Patris acci-

Victus.

Digitized by Google

pias. Sicut parcus *cibi* et *potûs* (1), ita in **vestitu** *cultuque corporis* perpauperem sequeris JESUM. Etenim benedictum quem geris *habitum* millies purpureo regum pallio antepones nec *zonâ* pelliceâ erubesces neque *caputio*, glorioso sacrae militiae insigni, quod summo potius honori duces nec temere depones (2). Domesticus Dei es et unus ex Ejus familiâ, quin etiam contubernalis ac sponsa Christi. Unde, quanto paupertatis triumpho honestanda sit **cella**, facile conjicies. Arrideat pauperrimo Sponso tuo Eumque alliciat pauper humilisque thalami supellex. Lectulus, mensula, unum alterumve sedile, modicum scrinium, librorum paulum ac piarum imaginum ; denique praeter piscinulam aquae benedictae simulacrum crucifixi, haec sunt, quae te in cellâ et viventem honorant et morientem consolantur (3). Ecce, mi

Vestitus.

Cella.

1. Ut breviter hic dicam, constat e recentissimis investigationibus, de "*heminâ*" et de "*libra*" S. Regulae institutis : 1) tempore SS. P. Benedicti praeter legitimas mensuras nullam in Italiâ licitam fuisse, atque hinc de "*heminâ*" illâ et "*librâ*" judicandum ; — 2) mensuras per totam tunc Italiam valentes easdem prorsus fuisse ac veteres Capitolinas ; quas quum in Galliâ mutatas B. Patriarcha sciret, S. Mauro illuc proficiscenti patrias mensuras tradidit ; — 3) *mensiones* harum mensurarum, consonas nummis aureis argenteisque a Mommsen et Boekh pensis, pondus efficere "*libram*" 327½ grammatum, "*heminae*" vero (quae inter mensuras Capitolinas quintum tenet locum) aquae pondus 272, 9 grammatum vel spatium totidem millesimorum litrae, i. e. bene mensum *quartum litrae.*

2. Memoratu dignum videtur, ecclesiam *monachis* usum *caputii amictu tecti* praescribere in celebratione missae. (Cf. Gavanti, comment. in Rubr. Miss. P. 2. tit. 2) — *Cingulum e corio factum* monastica sancivit traditio, exemplum secuta Eliae prophetae ac S. Joannis Baptistae, imo ipsius Salvatoris nostri JESU Christi (Cf. 4. Reg. 1, 8 et Matth. 3, 4).

3. Cf. 4. *Reg.* 4, 10 : Faciamus ei (sc. viro Dei sancto *Elisaeo*) coenaculum parvum, et ponamus ei in eo lectulum et mensam et sellam et candelabrum ut maneat ibi.

Digitized by Google

frater, *paupertatis praecepta*, quorum partes suscepisti.

Spiritus paupertatis.

Atqui *plus* in tuam *recepisti* fidem. Paupertatis te voto immolans gladium strinxisti bipennem, cujus duplici acie possidendi non facultas tantum, sed etiam voluntas confoderetur.

Voluntas sive desiderium possidendi.

Nimirum ut proprietatem, sic omne **habendi desiderium** sacrificasti, et hoc quidem est, quod sanctam reddit paupertatem eique virtutis pretium tribuit. Postulat enim Pater coelestis exinanitum cor, non manum dumtaxat inanem, filiosque amplecti vult, non mercenarios. Ista desiderii abdicatio, quâ una cum proprietate teipsum abnegas, quasi forma est, quae externam paupertatem divinitus animat sensimque in *interioris* ac *perfectae renuntiationis* apicem te ducit. Quo ut pervenias, care frater, exsolve te vel subtilissimo *avaritiae cupidinisque* vinculo. In aeternum tuo interdic

Inordinata propensio.

animo inordinatam omnem *propensionem* in rem qualemcunque quamvis minutam, sive sit vestis, cella, liber, sive quidquid aliud. Si forte in aliquâ te inclinatione deprehenderis, illico

Inspectio cellae.

ab re illam excitante te aliena; quumque *Superior*, ut mos est in regulari coenobio, *tuam inspicit cellam*, cave ne quid fingas ejusque dolose oculis subtrahas. Dentes, quam altis defixi sint radicibus, non sentis, nisi quum evelluntur. Noli igitur tibi parcere, sed toto

Digitized by Google

pectore ad *sanctam* illam connitere *indolentiam libertatemque animi*, quae nullius omnino rei neque jacturam aegre fert neque appetentiam admittit. Sic *speciem praebe statuae*, cui non est curae, quâ ratione vestiatur. Terrena fortiter negligas, ut ad coelestia liberius anheles. Vetus est et Regulâ sancitum, ut frigidum "*Meum*" et "*Tuum*" omnisque *possessionis designatio* e monachorum colloquiis sit expulsa; verum multo plus in eo momenti est, ut nullus plane *cogitatus* proprietatem redoleat. Quisquis enim sancte est pauper, Deum non fallit, cui votis adstrictus tenetur, seque revera mendicum ducit et felicem judicat, quod s. paupertatem familiarissime sibi junxit. Cum Apostolo exultans: "*Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam*" (Phil. 3, 8) et "*bonus Christi odor*" evadam, mutat apud se terrenarum rerum aestimationem, ita ut divitiae sint nullius, paupertas vero summi pretii.

Sancta indolentia.

Meum et Tuum.

Aestimatio terrenarum rerum.

Ergo tu quoque, mi frater, plurimum huic et *dignitatis* et *honoris* tribue. Praeclara semper de ea sentias. Ex hoc judicio oritur amantissimum s. paupertatis studium, mirifice accensum incomparabili Salvatoris exemplo, qui "*propter nos egenus factus*" (2 Cor. 8, 9) est, summis conflictatus angustiis. Quemadmodum filius matrem, sic amabis paupertatem, dulci illam

S. paupertas honoranda.

Sit quasi mater.

Digitized by Google

hilarique vultu, ubicunque occurrit, aspiciens, amplexans, imo quaerens, ut nonnisi cum illâ vivere et velis et scias. Ex intimo sensu *contentus* eris *omni vilitate et extremitate*, certans etiam, ut vilioribus rebus primas partes deferas et carum judices, quidquid pauperrimi Sponsi tui imaginem luculentius in te effingit. Quodsi hunc in modum diligis paupertatem in eâque gloriaris, fieri non potest, quin cum gaudio spirituali excipias comitatum ejus, hoc est, quin *patienter libenterque perferas* omnes, quae illi sociatae sunt, *incommoditates* ac *molestias*. Ignaviae arguitur miles, qui gladium stringere veretur proeliumque fugit. Similiter inane gerit monachi nomen, quicunque, paupertatem professus, pauper esse recusat. Imo potius, qui vere monachus est, in gloriâ ducit, monachi munus exsequi, et, si quâ re angustius utendum vel etiam omnino carendum sit, benedicit Dominum et non murmurat. Ac si forte, Deo sic dispensante, ad extremum inopiae, asperitatis ac despectionis deductus fuerit, spe non concussus suspiciensque in coelum dicet: "*Sit nomen Domini benedictum!*" Quam quidem magni atque excelsi animi virtutem ad cumulum auget, qui, in *morbum* injectus, de victu et curatione non queritur neque ullo se animi angore atque aegritudine affici sinit, omnia curae permittens divinae. En, mi frater,

Res vilior anteponenda.

Paupertatis molestiae libenter ferendae,

Etiam in morbo.

Digitized by Google

s. paupertatis specimen, ad exemplum Ejus adumbratum, qui solus *paupertatis spiritum* quum in Suâ Ipsius vita inimitabili modo expressit, tum ejusdem amatoribus divinitus inspirat.

S. Paupertatis praestantia et fructus.

Cujus quidem virtutis et *praestantiam* eloqui et dulcissimos *fructus* enumerare, vix ulla potest humana oratio. Principium enim est perfectae sive religiosae vitae (cf. Matth. 19, 24: "*Si vis perfectus esse*" etc.), quoniam primum inimico et laqueum injicit, et fomentum peccati, concupiscentiam nempe oculorum, exstinguit, primoque quasi clavo veterem hominem cruci suffigit. Unde haud immerito nuncupatur *claustri porta*, quâ religiose custoditâ, disciplina viget; vel aereus *Religionis murus*, a mundo separans diligenterqne contra hostem defendens; vel denique Ordinis *fundamentum* ac praesidium, quo illaeso omnia sperare licet, quum e contrario religiosae domui, paupertatis honorem exercitiumque repudianti, certa impendeat ruina. Eadem virtus "*sustollit te super altitudines terrae*" (Is. 58, 14), elevans quasi in coelum. Soli enim Deo innixus spernis fucosam mundi pompam, nihilque habens possides omnia, omnium rerum tanquam dominus et princeps. Atque cum Psalmistâ jubilas: "*Dominus regit me et nihil mihi deerit*" (Ps. 22, 1), et: "*Tibi, Deus, derelictus est pauper*" (Ps. 10, 14). Jure

Est perfectae initium vitae,

Ordinis fundamentum.

Pauper spiritu a Deo regitur,

Digitized by Google

Centuplum accipit.

Est divinae ocellus providentiae.

Fons benedictionis est omnibus.

quidem optimo. Nam sanctae filius paupertatis, qui propter Deum omnibus renuntiat, in singularem suscipitur aeterni Patris tutelam atque custodiam: "*Factus est Dominus refugium pauperi*" (Ps. 9, 10). Quia reliquisti omnia, "*centuplum accipis*" (Matth. 19, 29). Nimirum Dominus omnipotens, qui omnia summo gubernat imperio, paternam de te, filio suo, curam gerit, res tuas benignissime temperans. Ipse te enutrit, fovet, sustinet tuisque necessitatibus pie prospicit. Vere tuarum est procurator rerum, baculus tuus et columna, horreum et thesaurus. Nonne tot saeculorum experientia docet, spiritu pauperes prae *omnibus dilectos* esse *divinae providentiae filios* eosque interrogatos: "*Numquid aliquid defuit vobis?*" cum Apostolis non posse non exclamare: "*Nihil!*" (Luc. 22, 35 sq.) Itaque sunt dupliciter benedicti, quoniam, quum "*primum regnum Dei*" quaerant et justitiam Ejus, reliqua eis "*adjicientur*" (Matth. 6, 33). Dominus enim nec filios suos victu nec milites stipendio nec fideles operarios mercede potest ullo fraudare modo. Sancta vero paupertas, ut certissimum praestat reditum, ita etiam fons est, a quo *beneficia* manant *in terrae divites atque egenos*. Nam exemplo suo illos quidem avocat a terrenis, horum autem et animos erigit et egestatem subsidiis consolatur, ita ut in mutuam utros-

Digitized by Google

que caritatem gratiamque adducat et animos tam vehementer alienatos, pulso odio, reconciliet. Quâ ratione mirum est, quantum *prosit, ut disjuncta hominum societas in pace componatur.*

In viam dirigit sanctitatis,

Jam vero spiritualia adeamus s. paupertatis emolumenta. Eum, qui ipsi adhaeret, *in viam dirigit justitiae* et *sanctitatis.* Multorum radices vitiorum abscindens, omne genus virtutum florescere facit. Haec causa est, cur a ss. Doctoribus virtutum semen et origo, mater et nutrix, custos et socia egregie appellata sit. Virtutis enim et gustum excitat et studium auget; corque mundans Deo arctius conjungit, concordiam alit et ad sanctam elevat *libertatem filiorum Dei.* Quam qui exercet, iter aggreditur sine sarcinâ, ac sine vestibus luctationem. Unde eidem *expeditissima est via* concinnata, quâ ad aeternam patriam tendat. Coelestibus ditatus donis atque illa animi tranquillitate paceque gaudens, "*quae exsuperat omnem sensum,*" cumulum sibi parat meritorum ac securus in coelum aspirat. Etenim ejusdem magna est haereditas Christi, cujus eloquium stat: "*Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum*" (Matth. 5, 3). Sanctam igitur paupertatem veras reputa divitias, inaestimabile bonum lucrumque eminens, quum coeli sit pretium. "*Ego,*" ait Dominus, "*ero merces*

Expeditam ad coelum viam reddit,

Parat pacem et beatitudinem,

Est cœli pretium.

Digitized by Google

tua magna nimis" (Gen. 15, 1). Tu, qui reliquisti omnia, "*sedebis super thronum*" gloriae; centuplum accipies "*et vitam aeternam.*" Profecto, "*parasti in dulcedine tuâ pauperi, Deus!*" (Ps. 67, 11) Ergo deificae beatitudinis rosa inter vepres paupertatis nascitur. Verum, ut efflorescat, prospero eget **humilitatis** solo. Proinde tam admirabilia SS. Patriarcha de sanctâ humilitate instituit et praecepit. Est enim, ut paupertas proprietatis, ita sui ipsius quaedam exinanitio, neque aliud vita religiosa spectat, nisi ut humilitas, altissime fundata ac stabilita, nunquam ex animo dimoveatur, sive ut "*non glorietur omnis caro in conspectu*" Domini (1 Cor. 1, 29), sed *Ut In Omnibus Glorificetur Deus.*

Cum paupertate humilitas jungenda.

Itaque aurea est, quae ad Deum ducit summamque perfectionem, scala, omnium virtutum radix, fulcrum ac sedes. Nullius videlicet pretii est cuncta nostra oratio et operatio sine humilitate, quâ solâ aestimetur omnis progressio ac sanctitatis integritas. Quisquis igitur sui ipsius vilitatem abjectionemque et solertissime perspicit et libenter agnoscit; coram Deo, semetipso atque hominibus submississime se gerit, seque solum contemnit, adeo nihil sibi deferens vel de se praedicans, ut infra omnium sese pedes demissum continuo existimet, hic vere **humilis** est "*et gratiâ proficiet apud Deum et*

Humilitas virtutum radix.

Sanctitatis mensura.

Gratiosa humilitas.

Digitized by Google

homines" (Luc. 2, 52). Contra, qui, sui ipsius ignarus, se unum magni aestimat, reliquos autem omnes infra se ac despicatui ducit, cum pharisaeo jactans: "*Quia non sum, sicut ceteri hominum*" (Luc. 18, 11); qui porro inanis gloriae honorumque avidus, ventosus, inflatus, admiratione sui tollitur, cunctis difficilis, asper ac fastidiosus, is **superbus** est et "*odibilis coram Deo et hominibus*" (Eccli. 10, 7). Exsecrare hoc diaboli vitium! Quidquid in te tumoris superest, ex animo ejice et hunc sub jugum mitte perfectae tui ipsius despicientiae. "*Disce a*" Sponso tuo, qui "*humilis*" est "*corde,*" et imitare Beatissimam Dei Genitricem, cujus summe mirandam Deus "*respexit humilitatem.*" Cum S. Augustino ora: "*Domine* JESU, *noverim me, noverim Te!*" et crescet in te sancta infantia ac simplicitas, et fundaberis in pace, et delicias gustabis vitae in Deo absconditae. "*Qui* enim *ambulat simpliciter, ambulat confidenter*" (Prov. 10, 9). En duplex paupertatis humilitatisque symbolum, quo exhibito coeli portae tibi patebunt. Nam "*Beatus populus*" pauperum, *cujus Dominus Deus ejus* (Ps. 143, 15), et "*populum humilem salvum faciet*" Dominus (Ps. 17, 28).

Odibilis superbia.

Exsecrare diaboli vitium!

Disce a Jesu et B. Virgine.

Fructus humilitatis.

Pauperi et humili cœlum patet.

Digitized by Google

Testimonia

I. ex S. Regula, II. ex decretis et documentis S. Ecclesiae, III. ex Sanctorum et Doctorum scriptis deprompta.

S. Regula.

S. Paupertas.

PRAECIPUE *hoc vitium radicitus amputetur* de monasterio, *ne quis praesumat aliquid dare* aut *accipere sine jussione* Abbatis, *neque aliquid habere proprium*, nullam omnino rem... *nihil omnino*, quippe quibus *nec corpora* sua *nec voluntates* licet habere in propriâ potestate. Omnia vero *necessaria a Patre* monasterii *sperare;* nec quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit aut permiserit. *Omnia omnibus sint communia*, ut scriptum est (*Act.* 4. 32), *nec quisquam suum* esse aliquid *dicat* aut *praesumat.* Quod si quisquam hoc *nequissimo vitio* deprehensus fuerit delectari, admoneatur... si non emendaverit, correctioni subjaceat. (*C.* 33.)

Memorentur Ananiae et Saphirae (*Act.* 5), ne forte mortem quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti vel omnes, qui *aliquam fraudem* de rebus monasterii fecerint, in animâ patiantur... Non surripiat *avaritiae malum.* (*C.* 57.)

Res et vasa monasterii.

Si quis *sordide* aut *negligenter res* monasterii *tractaverit*, corripiatur. (*C.* 32.)

Omnia *vasa* monasterii *cunctamque substantiam ac si altaris vasa sacrata conspiciat.* Nihil ducat *negligendum.* (*C.* 31.)

Vasa ministerii sui munda et sana reconsignet. (*C.* 35.)

Literae et munera.

Nullatenus liceat monacho nec a parentibus nec a quoquam hominum nec sibi invicem *literas* aut eulogia vel quaelibet *munuscula accipere aut dare* sine praecepto Abbatis sui. Quodsi ei quicquam directum fuerit, *non praesumat suscipere*

Digitized by Google

illud, *nisi prius indicatum* fuerit Abbati... *In Abbatis sit potestate*, cui illud jubeat dari, et *non contristetur frater*, cui forte directum fuerit, ut non detur occasio diabolo. (*C.* 54.)

Si cui inventum fuerit, *quod ab Abbate non acceperit*, gravissimae disciplinae subjaceat. (*C.* 55.)

Victus : cibus,

Sufficere credimus ad refectionem quotidianam *cocta duo pulmentaria* propter diversorum infirmitates, ut forte, qui ex uno non poterit edere, ex alio reficiatur.... Et si fuerint inde *poma aut nascentia leguminum*, addatur et *tertium. Panis* libra una propensa sufficiat in die... In arbitrio et potestate Abbatis erit, *si expediat, aliquid augere*, remotâ prae omnibus crapulâ, ut nunquam surripiat monacho *indigeries.* (*C.* 39.)

Potus,

Infirmorum contuentes imbecillitatem *credimus heminam vini per singulos sufficere per diem.* Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiae, propriam se habituros mercedem sciant... Licet legamus, vinum omnino monachorum non esse, saltem vel hoc consentiamus, ut *non usque ad satietatem bibamus, sed parcius... Ubi loci necessitas exposcit, ut nec* supradicta *mensura inveniri possit*, sed multo minus *aut ex toto nihil, benedicant Deum* et non murmurent. (*C.* 40.)

Vestitus,

Vestimenta fratribus *secundum locorum qualitatem*, ubi habitant, *vel aërum temperiem dentur...* Nos mediocribus locis *sufficere credimus* monachis per singulos *cucullam* et *tunicam* et *scapulare* propter opera, indumenta pedum *pedules* et *caligas.* De quarum rerum omnium *colore aut grossitudine non causentur* monachi, sed *quales inveniri possunt* aut *quod vilius* comparari potest... *Non sint curta* ipsa vestimenta utentibus eis, *sed mensurata.* Accipientes nova, *vetera semper reddant* in praesenti reponenda in vestiario *propter pauperes.* Sufficit enim monacho *duas tunicas et duas cucullas* habere... Jam *quod supra* fuerit, *superfluum* est et *amputari debet... Femoralia* hi, qui diriguntur in viâ, de vestiario accipiant... et cucullae et tunicae sint aliquanto his, quas habere soliti sunt, modice meliores. (*C.* 55.)

Digitized by Google

Cella.

Singuli *per singulos lectos dormiant. Lectisternia, pro modo conversationis*, secundum dispensationem Abbatis sui *singuli accipiant.* (*C.* 22.)

Stramenta lectorum sufficiant: matta, sagum, lena et capitale. Quae tamen lecta *frequenter ab Abbate scrutanda sunt propter opus peculiare*, ne inveniatur.... Ut *hoc vitium peculiare radicitus* amputetur, *dentur* ab Abbate *omnia, quae sunt necessaria*, ut omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum (4, 35), quia « *dabatur singulis, prout cuique opus erat.* » Ita ergo et Abbas *consideret infirmitatem indigentium.* (*C.* 55.)

Spiritus pauperta-tis.

Primum *quaerite regnum Dei* et justitiam Ejus, et haec *omnia adjicientur* vobis... Nihil deest timentibus Eum (*Matth.* 6, 33; *Ps.* 33, 10); (*C.* 2.)

Omni vilitate et extremitate contentus sit monachus. (*c.* 7.)

Omni vilitate contentus.

Contentus consuetudine loci... non forte perturbet monasterium, sed *simpliciter contentus sit*, quod invenerit. (*c.* 61.)

Qui minus indiget, agat Deo gratias et non contristetur; *qui* vero *plus* indiget, *humilietur* pro infirmitate et non extollatur pro misericordiâ, et ita omnia membra erunt in pace. (*C.* 34.)

(Noviter veniens ad conversionem) res si quas habet, aut eroget pauperibus aut, factâ solemniter donatione, conferat monasterio, *nihil sibi reservans ex omnibus*, quippe qui ex illo die *nec proprii corporis potestatem* se habiturum sciat. (*C.* 58.)

Nec corpus proprium.

Vita S. P. Bened.: Vir Dei Benedictus cuncta decreverat in terrâ tribuere, *ut in coelo omnia reservaret.* (*C.* 28.)

Monachus ad sanctimoniales missus, illicite *mappulas accepit* sibique eas abscondit in sinu. Qui mox ut reversus est, eum *Vir Dei vehementissimâ amaritudine* coepit increpare dicens : « *Quomodo ingressa est iniquitas in sinum tuum ?...* » Qui mox ejus vestigiis provolutus, stulte se egisse poenituit. (*C.* 19.)

Humilitas.

Clamat nobis Scriptura divina, fratres, dicens : « *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur*

Digitized by Google

(*Luc.* 14, 11.)... Quod (*superbiae* genus) se cavere Propheta indicat dicens : « *Domine, non est exaltatum cor meum neque elati sunt oculi mei neque ambulavi in magnis neque in mirabilibus super me.* » Sed quid ? « *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam, sicut ablactatus super matre suâ, ita retributio in animâ meâ* (*Ps.* 130, 1. *s.*). Unde, fratres, si *summae humilitatis* volumus *culmen* attingere et *ad exaltationem illam coelestem*, ad quam *per praesentis vitae humilitatem ascenditur*, volumus velociter pervenire, actibus nostris ascendentibus *scala erigenda est, quae in somno Jacob* apparuit... Non aliud descensus ille et ascensus a nobis intelligitur, nisi *exaltatione descendere* et *humilitate ascendere.* Scala nostra est *vita* in saeculo, quae, *humiliato corde, a Domino erigitur ad coelum*... Primus itaque humilitatis gradus est, si (monachus) *timorem Dei* sibi ante oculos semper ponens, oblivionem omnino fugiat... Secundus, si *propriam* quis *non amans voluntatem desideria sua non delectetur implere*... Tertius, ut quis pro Dei amore, omni obedientiâ *se subdat Majori*... Quartus, si *in* ipsâ obedientiâ, *duris et contrariis rebus vel* etiam quibuslibet irrogatis *injuriis tacitâ conscientiâ patientiam amplectatur*... Quintus, si omnes *cogitationes malas* vel *absconse commissa per humilem confessionem* Abbati *non celaverit* suo... Sextus, si *omni vilitate* vel *extremitate contentus* sit monachus et *ad omnia*, quae sibi injunguntur, *velut operarium malum et indignum se judicet*... Septimus, si *omnibus se inferiorem et viliorem non* solum suâ linguâ pronuntiet, sed etiam *intimo cordis credat affectu*, humilians se et dicens cum Propheta : « Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Exaltatus sum et humiliatus et confusus. » Et item : « Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discam mandata tua » (*Ps.* 21, 7; 87, 16; 118, 71).... Octavus, si *nihil agat, nisi* quod communis monasterii regula vel Majorum cohortantur exempla... Nonus, si *linguam* ad loquendum *prohibeat* monachus... Decimus, si *non sit facilis* ac *promptus in risu*... Undecimus, si *leniter* et sine risu, *humiliter* et *cum gravitate, pauca verba*

Est scala coeli.

Humilitatis gradus :
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10. 11.

Digitized by Google

12. et *rationabilia* loquatur... Duodecimus, si non solum *corde* monachus sed etiam ipso *corpore humilitatem* videntibus se *semper* indicet... *inclinato* semper *capite, defixis* in terram *aspectibus*, reum se omni horâ de peccatis suis existimans, dicens semper illud : *Domine non sum dignus ego peccator, levare oculos meos ad coelum* (*Luc* 18, 13), et item cum Prophetâ : « *Incurvatus et humiliatus sum usquequaque* (*Ps.* 118, 107)...

Paupertatis fructus. His humilitatis gradibus ascensis monachus mox *ad caritatem perveniet illam*, quae perfecta foras mittit timorem. (*C.* 7.)

Instrumentum artis spiritualis est, (8) *honorare omnes* homines, (34) *non esse superbum*, (42) *bonum aliquod* in se cum viderit, *Deo applicet*, non sibi, (43) *malum* vero *semper* a se factum sciat et *sibi reputet*, (61) *non velle dici sanctum*, antequam sit, (67) *elationem fugere.*

Domino Deo universorum *cum omni humilitate* supplicandum est. (*C.* 20.)

Lector hebdomadarius petat ab omnibus pro se orari, ut avertat ab eo Deus *spiritum elationis.* (*C.* 38.)

Artifices *cum omni humilitate et reverentiâ faciant ipsas artes... quodsi* aliquis ex eis *extollitur* pro scientiâ artis suae, hic talis *evellatur ab ipsâ arte.* (*C.* 57.)

In tabernaculo Domini habitabunt, qui timentes Deum, *de bonâ observantiâ* suâ *non se reddant elatos*, sed ipsa in se bona non a se posse, sed a Domino fieri existimantes, *operantem in se Dominum magnificent*, illud cum Prophetâ dicentes : « *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini Tuo da gloriam* » (*Ps.* 113, 1). Sicut nec Paulus Apostolus de praedicatione suâ sibi aliquid imputavit dicens : « *Gratiâ Dei sum id, quod sum* » (1 *Cor.* 15, 10). Et iterum ipse dicit : « *Qui gloriatur, in Domino glorietur* » (2 *Cor.* 10, 17). (*Prolog.*)

Glorificetur Deus.

Dent fratres consilium *cum omni humilitatis subjectione.* (*C.* 3.)

(Cellerarius) *humilitatem ante omnia* habeat. (*C.* 31.)

(Sacerdos) magis *humilitatis exempla* omnibus *det.* (*C.* 60.)

Ordinatus caveat *elationem* aut *superbiam.* (*C.* 62.)

Digitized by Google

In ipsâ salutatione *omnis exhibeatur humilitas.* (*C.* 53.)

Majori *vindictae subjaceat, qui noluit humilitate corrigere,* quod negligentiâ deliquit. (*C.* 45.)

Vita S. P. Bened. : In memoriam revoca *mutuae humilitatis amicam contentionem,* quae Maurum inter et SS. P. Benedictum orta est, quum hic Mauri ambulationem super aquas non suis meritis, sed illius obedientiae deputaret, ille vero pro solo ejus imperio factam diceret. (*C.* 7.)

Quum vir Dei ederet, monachus autem, cujusdam Defensoris filius, cum lucernae ministerio adstaret ; coepit *per superbiae spiritum* in mente suâ tacitus volvere et per cogitationem dicere : « *Quis est hic,* cui ego... servitium impendo ? *Quis sum ego,* ut isti serviam? » Ad quem vir Dei statim conversus, vehementer coepit eum increpare, dicens : « *Signa cor tuum, frater ;* quid est, quod loqueris? Signa cor tuum ! »... Et jussit a ministerio ipsum recedere, (qui) tanto *superbiae spiritu intumuerat.* (*C.* 20.)

SS. Pater, quantâ aestimatione prosecutus sit humilitatis virtutem, quum caput 7. S. Regulae, omnium longissimum, tum tota ejus vita et lex probant. Quam quidem summe admirabilem legem « *minimam inchoationis Regulam* » humillime vocat, longe aliorum institutis, et regulis postponendam, quae nobis, inquit, « *desidiosis et male viventibus atque negligentibus rubor confusionis* » sunt. (*S. Reg. c.* 73.)

S. Ecclesia.

Benedictus Pp. III. (✠ 858): *Pauperes Christi* esse quis nesciat, qui, contemnentes substantiam mundi, Salvatoris nostri vestigia sectantes (qui, cum esset dives, pro nobis pauper effectus est), sanctae *professionis titulum* sibi *divitias arbitrantur ?* (*Ep.* 1. *P. L.* 129, 1004.)

Pauperes Christi.

Concilium Prov. Viennense (*a.* 1858): Sapientia aeterna adolescenti, quid adhuc sibi desit quaerenti, dixit : « *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo; et veni sequere me !* » (*Matth.*

S. Paupertas a Christo instituta.

Digitized by Google

Ab Apostolis recepta,

19, 21). Et cum Spiritus S. effusus esset ac *Apostoli* virtute magnâ testimonium redderent resurrectionis Domini Nostri, Ecclesiae appositi possessiones et substantias vendebant et *dividebant* illas *omnibus, prout cuique opus erat* (*Act.* 2, 44-45).

Ab institutoribus Ordinum tradita.

Hâc doctrinâ imbuti et his exemplis formati erant *Sancti et Deo placentes viri, qui vitam religiosam instituerunt,* trium votorum fundamento superstructam. Disciplinae regularis professione animoque alumni non tantum voluptatibus et bonis hujus mundi se abdicant, sed *etiam ipsam ea habendi spem et voluntatem exuunt, ut aeterna gaudia securius sperent;* proprio judicio et sensui renuntiant, praepositis in cunctis, quae legi divinae non adversantur, perfectam obedientiam exhibentes, ut Deum ducem habere plenius confidant. (*Tit.* 4. *c.* 13.)

Perfecta paupertas.

Vita communis Religionis caput.

Clemens XIV. (✠ 1774): *Vita communis religiosae sanctitatis* veluti *caput est et fundamentum.* (*Const.* "*In vinea Domini*" *c.* 6. *a.* 1772.)

Conventus Episcoporum Austriae (*a.* 1856): Vitae regularis perfectio absque diligenti *paupertatis voti observantiâ* consistere nequit. Circa gravissimum hoc caput rei summa observabitur. (*Literae* V.)

S. Paupertas et castitas annexa S. Regulae.

Innocentius III. (✠ 1216): *Abdicatio proprietatis* sicut et *custodia castitatis* adeo annexa est Regulae monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere. (*C.* 6. *de statu monachorum III,* 35.)

Benedictus XII. (✠ 1342): Abdicatio proprietatis est annexa regulae monachali. (*Constit.*: "*Fulgens sicut*" § 39. *a.* 1335.)

Trium votorum ratio.

Concilium Prov. Pragense (*a.* 1860): Quia *perfectio vitae regularis* ante omnia consistit *in observatione votorum,* haec tum singulis religiosis tum superioribus cordi sint maxime. Dum *castitas* pulchritudinem et claritatem hujus sanctae generationis efficit; dum *obedientia* maximum bonum et proprie formam regularis vitae constituit, quâ non tantum rebus et carni, sed menti dominatur et animo (*C.* 1. *in Extravag. Joann. XXII.* 14); *paupertas impedimenta*

Digitized by Google

potissimum et pericula removet, quibus mens a sanctâ vocatione ad inutilia et nociva hujus saeculi desideria detrahitur. Hinc Patres in Synodo congregati intimis visceribus rogant et hortantur regulares, ut tam *pretiosam virtutem* religiosae abstinentiae, *paupertatis* maxime, summâ dilectione *foveant* colantque, et praesertim, ut omnibus studiis *perfectam communionem vitae*, quae expertis tantae dulcedinis est et tam facile exercetur, introducant, *ut dum omnia omnibus sunt communia, etiam cor unum* sit omnibus et anima una. (*Tit.* 7. *c.* 3. *Idem: Conc. Provinc. Ultraject.* 1865, Tit. 7. *c.* 1.)

Congr. Bursfeldensis (*fund. a.* 1433): *Paupertas religionis* nostrae *fundamentum* est, cujus SS. Pater summus zelator fuit. (*Statut. dist.* 5. *c.* 1. § 4.)

Conc. Lateranense III. (1179): Monachi non pretio recipiantur in monasterio, nec *peculium permittantur habere*... Qui vero *peculium* habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro injunctâ administratione permissum, a communione removeatur altaris, et qui in extremis cum *peculio* inventus fuerit et digne non poenituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam. Quod etiam de universis religiosis praecipimus observari. Abbas autem, qui diligenter ita non caverit, officii sui jacturam se noverit incursurum. (*C.* 10.)

Nec peculium permissum.

Synodus Montis Pessulani (*Montpellier* 1214): Firmiter inhibemus, ut in nullo monasterio certi *reditus* deputentur alicui monacho vel Canonico, nec certa *pecunia* pro vestimentis detur, propter quod aliqua de perceptis ad tempus teneat; quia ex hoc datur materia proprium retinendi. (*C.* 18.)

Nec reditus vel pecunia.

Innocentius III. (✠ 1216): Prohibemus districte in virtute sanctae obedientiae sub obtestatione divini judicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat; sed si quis aliquid habet proprium, totum in continenti resignet. Si vero post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione praemissâ, de monasterio expel-

Proprietatis vitium gravissime puniendum.

Digitized by Google

latur; nec recipiatur ulterius nisi poeniteat secundum monasticam disciplinam. Quod si *proprietas* apud quemquam *in morte reperta* fuerit, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod *B. Gregorius* narrat in dialogo se fecisse. Unde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non praesumat illud accipere, sed Abbati vel Priori aut Cellerario assignetur... *Nec* aestimet *Abbas*, quod super habenda proprietate *possit* cum aliquo Monacho *dispensare*. (*C 6. de statu monachorum III*, 35.) Similiter Nicol. IV. et alii Summi Pontifices.

Aliorum est fomentum vitiorum.

Concil. Basileense (*a.* 1431): Quia *proprietatis pessimum vitium* in religioso incitamentum atque fomitem aliorum praestat vitiorum, propterea, ne haec damnabilis radix crescat et germinet, sed prout in c. 33. S. Reg. mandatum, in monasterio *radicitus amputetur*, auctoritate nobis commissâ, districte praecipiendo mandamus, quod nulla persona regularis proprium aut pecunias habeat, sive occulte retineat quovis modo, nisi quibus propter officia eis injuncta licitum est habere. Nec quovis quaesito colore aliquis quidpiam sibi appropriandum acquirat vel ab amicis, parentibus seu quibuscumque personis *munera* oblata per se accipiat, sed omnia et singula ad Abbatis arbitrium per se ipsum distribuenda integraliter assignet. Nihil ergo omnino monachus habeat, nisi quod Abbas dederit aut juste et rationabiliter permiserit. — Ut autem hujus nequissimi vitii occasiones penitus a monasteriis auferantur, D. Abbatibus ceterisque officialibus, rerum temporalium administrationem habentibus, eâdem auctoritate seriose injungimus et in virtute S. Obedientiae mandamus, quatenus *fratribus* omnibus et singulis *sufficienter et honeste de omnibus necessariis* secundum Regulam *provideatur in victu pariter et vestitu*. Et praecipue hoc fiat pro hieme, primâ die mensis Octobris ad minus; aliis autem anni temporibus secundum ordinationem Abbatis. — *Frequenter* per Dominum Abbatem vel Priorem in ipsis lectis *fiat scrutinium* propter opus peculiare devitandum, et si quid inventum fuerit, quod Abbas non dederit

Nihil retinendum.

Necessaria fratribus dentur.

Frequens inspectio.

Digitized by Google

aut juste et rationabiliter permiserit, sed sibi quis proprio nutu appropriare praesumpserit, graviter puniatur! (*Ordinationes ad monachos Congreg. Mellicensis directae, ex manuscr. Salisburg.*)

Gregorius IX. (✠ 1241): Statuimus, ut *nullus* Monachorum seu Conversorum utriusque sexus *proprium habere praesumat* per se vel per alium, nomine doni vel commendae seu xenii vel eulogii vel alio aliquo modo, nisi quod jusserit vel permiserit Abbas. — Nec aliquid praesumat aliquo modo dare vel accipere nec etiam literas sine jussione seu permissione Abbatis. Apud quem *proprietas in morte inventa* fuerit, in signum suae perditionis *in sterquilinio subterretur.* — Monachi sive simplices fuerint sive officiales ab omni prorsus abstineant *donatione* sine licentiâ Abbatis proprii. — Statuimus, ut *indumenta Monachorum clausa* sint et non sint in colore, et in scissurâ nec in mensurâ reprehensibilia nec sumptuosa, et, recipientes nova, vetera semper reddant vestiario pauperibus eroganda. — Illud duximus prohibendum, ne monacho detur pro victu *pecunia* vel vestitu. — Si quae fuerint *legata* vel relicta pietatis intuitu, sive communiter sive personaliter, illud totum in communes usus cedat, ne alicui detur occasio proprium retinendi. (*Constit.* "*Cum pro reformatione*" *a.* 1228. c. 9. 11 et 16.)

Nihil possidere, dare, accipere licet.

Indumenta monachorum.

Ne detur peculium,

Legata sint communia.

Concil. Londinense sub B. Lanfranco (*a.* 1075): Si quis aliquid proprii sine praefatâ licentiâ habere in morte fuerit deprehensus... nec signa pro eo pulsentur, nec salutaris pro ejus absolutione hostia immoletur, nec in coemeterio sepeliatur. (*In vitâ Lanfr. c.* 12. *n.* 30. *P. L.* 150, 52.)

Poena post mortem.

Concil. Londinense (*a.* 1268): Non detur *pecunia* pro vestibus et ceteris necessariis. — Et quidem ne proprietatis vitio super dorsum peccatoris fabricandi occasio satanae offeratur et ipsi homini detur habilitas delinquendi, statuimus, ut cum quispiam monachorum vestibus, calceamentis, vel aliis *vitae necessariis* indiguerit, is, qui super iis ministrandis gerit officium, res ipsas, prout necessitas exegerit, subministret. (*C.* 42.)

Necessaria subministrentur.

Digitized by Google

latur ; nec re[illegible] [illegible]ensis (*a.* 1280) : Sub *poenâ excom-*
nasticam [illegible] *[illegible]entiae* praecipimus, ab omnibus mo-
in mort [illegible] [illegible]servari, ut proprium non habeant nec pecu-
extra [illegible] permittitur ex ratione officii.(*C.* 3.)
quc [illegible]
o [illegible]

A est tu [illegible]

Benedictus XII. (✠ 1342) : Licet contra *Monachos* [illegible] sit plene provisum per canonicas sanctiones, tamen specialius providere volentes contra illos, qui, suae salutis obliti, contra regulares et canonicas institutiones pecuniam congregant, jura, possessiones, reditus seu census annuos et alia bona emunt seu emi faciunt, aliquando proprio et saepe nomine alieno, multis super his figmentis adhibitis... necnon, appetentes et *sectantes lucra turpia, peculium* occultant et illicite detinent, in suarum periculum animarum ; auctoritate Apostolicâ decernimus, omnia praemissa monasteriis seu locis propriis applicanda et in eorum utilitatem totaliter convertenda, usu, imo potius abusu, quocunque contrario non obstante; quodque ipsi *Antistites alicui Monacho vel Converso talia faciendi licentiam nequeant impertiri;* et quod tam Praelati, Monachi et Conversi praedicta committentes, quam alii supradicta retinentes aut sibi ipsis appropriantes, vel dictum peculium non revelantes sint eo ipso inhabiles ad beneficium, officium, regimen et gubernationem quamlibet in Ordine seu Religione obtinenda. — Statuimus et ordinamus, quod juxta suppetentiam facultatum sufficienter victualia, vestiaria, omniaque alia *necessaria Monachis ministrentur;* proviso attentius, quod pro hujusmodi necessariis *pecuniae*, simul aut per vices seu minuatim, *nullatenus eis dentur*, aut pensio vel reditus quomodolibet assignentur. (*Constit.* "*Summi Magistri*" *a.* 1336. *c.* 16 *et* 17.)

Necessaria dentur, non peculium.

Capitulum Prov. Westmonasteriense (*Westminster*, 1422) : *Proprietas* monachorum *exsecrabile* et *detestabile scelus* (*Labbé Coll. Conc. t.* 12, 352.)

Omne proprium prohibitum et superfluum.

Concilium Tridentinum Nemini regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel

Digitized by Google

ilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis ɔ ab eis acquisita, tanquam propria aut etiam nomine onventus possidere vel tenere; sed statim Superiori tradantur conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum seu conventuum ad solos *officiales* eorundem *ad nutum Superiorum amovibiles* pertineat. Mobilium vero usumita Superiores permittant, ut eorum *supellex* statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat nihilque *superflui* in eâ sit, nihil etiam, quod sit *necessarium*, eis denegetur. Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activâ et passivâ voce privatus sit atque etiam juxta suae regulae et ordinis constitutiones puniatur (*Sess.* 25 *de Reg. et Mon. c.* 2).

Concil. Mechliniense (*a.* 1570): Pensiones vitales aut reditus perpetuos nulli permittatur recipere, neque liceat monachis ratione officiorum vel ministeriorum pecuniam corradere et conservare, etiamsi in pios usus convertere velint, sed *omnia in communem usum* convertantur (*T.* 21 *de Regular. c.* 1). *Omnia communia.*

S. Pius V. (✠ 1572): *Proprietas omnium malorum radix*, ubicunque gliscit, omne bonum in regulâ, quamvis bene institutâ, pervertit (*Constit.* "*Ex innumeris*" § 19. *a.* 1570). Confer Gregor. XIII. (*Constit.* "*Superna dispositione*" § 24. *a.* 1574). *Proprietas malorum radix.*

Clemens Pp. VIII. (✠ 1605): Quo Tridentini Concilii decreta *de paupertatis voto custodiendo* fidelius observentur, praecipitur, ut *nullus* ex fratribus, etiamsi Superior sit, *bona immobilia vel mobilia aut pecuniam*, proventus, census, eleemosynas sive ex concionibus sive ex lectionibus aut pro Missis tam in propriâ ecclesiâ quam ubicunque celebrandis aliove ipsorum justo labore et causâ et quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguincorum aut piorum largitiones, legata aut donationes fuerint, tanquam propria aut etiam nomine Conventus, possidere possit, *Omnia conventui incorporanda.*

Digitized by Google

Proprietarius excommunicatus.

Synodus Coloniensis (*a.* 1280) : Sub *poenâ excommunicationis latae sententiae* praecipimus, ab omnibus monachis firmiter observari, ut proprium non habeant nec pecuniam, nisi cui hoc permittitur ex ratione officii.(*C.* 3.)

Proprietas damnatur.

Benedictus XII. (✠ 1342) : Licet contra *Monachos proprietarios* sit plene provisum per canonicas sanctiones, tamen specialius providere volentes contra illos, qui, suae salutis obliti, contra regulares et canonicas institutiones pecuniam congregant, jura, possessiones, reditus seu census annuos et alia bona emunt seu emi faciunt, aliquando proprio et saepe nomine alieno, multis super his figmentis adhibitis... necnon, appetentes et *sectantes lucra turpia, peculium* occultant et illicite detinent, in suarum periculum animarum ; auctoritate Apostolicâ decernimus, omnia praemissa monasteriis seu locis propriis applicanda et in eorum utilitatem totaliter convertenda, usu, imo potius abusu, quocunque contrario non obstante; quodque ipsi *Antistites alicui Monacho vel Converso talia faciendi licentiam nequeant impertiri;* et quod tam Praelati, Monachi et Conversi praedicta committentes, quam alii supradicta retinentes aut sibi ipsis appropriantes, vel dictum peculium non revelantes sint eo ipso inhabiles ad beneficium, officium, regimen et gubernationem quamlibet in Ordine seu Religione obtinenda. — Statuimus et ordinamus, quod juxta suppetentiam facultatum sufficienter victualia, vestiaria, omniaque alia *necessaria Monachis ministrentur;* proviso attentius, quod pro hujusmodi necessariis *pecuniae,* simul aut per vices seu minuatim, *nullatenus eis dentur,* aut pensio vel reditus quomodolibet assignentur. (*Constit.* "*Summi Magistri*" *a.* 1336. *c.* 16 *et* 17.)

Necessaria dentur, non peculium.

Capitulum Prov. Westmonasteriense (*Westminster,* 1422) : *Proprietas* monachorum *exsecrabile* et *detestabile scelus* (*Labbé Coll. Conc. t.* 12, 352.)

Omne proprium prohibitum et superfluum.

Concilium Tridentinum Nemini regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel

Digitized by Google

mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria aut etiam nomine conventus possidere vel tenere; sed statim Superiori tradantur conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum seu conventuum ad solos *officiales* eorundem *ad nutum Superiorum amovibiles* pertineat. Mobilium vero usumita Superiores permittant, ut eorum *supellex* statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat nihilque *superflui* in eâ sit, nihil etiam, quod sit *necessarium*, eis denegetur. Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activâ et passivâ voce privatus sit atque etiam juxta suae regulae et ordinis constitutiones puniatur (*Sess.* 25 *de Reg. et Mon. c.* 2).

Concil. Mechliniense (*a.* 1570): Pensiones vitales aut reditus perpetuos nulli permittatur recipere, neque liceat monachis ratione officiorum vel ministeriorum pecuniam corradere et conservare, etiamsi in pios usus convertere velint, sed *omnia in communem usum* convertantur (*T.* 21 *de Regular. c.* 1). *Omnia communia.*

S. Pius V. (✠ 1572): *Proprietas omnium malorum radix*, ubicunque gliscit, omne bonum in regulâ, quamvis bene institutâ, pervertit (*Constit.* "*Ex innumeris*" § 19. *a.* 1570). Confer Gregor. XIII. (*Constit.* "*Superna dispositione*" § 24. *a.* 1574). *Proprietas malorum radix.*

Clemens Pp. VIII. (✠ 1605): Quo Tridentini Concilii decreta *de paupertatis voto custodiendo* fidelius observentur, praecipitur, ut *nullus* ex fratribus, etiamsi Superior sit, *bona immobilia vel mobilia aut pecuniam*, proventus, census, eleemosynas sive ex concionibus sive ex lectionibus aut pro Missis tam in propriâ ecclesiâ quam ubicunque celebrandis aliove ipsorum justo labore et causâ et quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum aut piorum largitiones, legata aut donationes fuerint, tanquam propria aut etiam nomine Conventus, possidere possit, *Omnia conventui incorporanda.*

Digitized by Google

sed ea *omnia statim Superiori tradantur et Conventui incorporentur* atque cum ceteris illius bonis, reditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, *quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit*... Eorum vero, quae ad necessitatem concessa erunt, nullus quidquam possideat ut proprium neque ut proprio utatur... *Nulla* quorumcunque *Superiorum dispensatio*, nulla licentia, quantum ad bona mobilia vel immobilia, *fratres excusare possit*, quominus culpae et poenae ab ejusdem Concilii decretis impositae et ipso facto incurrendae obnoxii sint (*Constit.* " *Nullus omnino*". § 2. *a.* 1601). Idem decretum Paulus V, Urbanus VIII, et alii Pontifices confirmaverunt.

Nulla valeat dispensatio.

Vel affectus proprietatis abjiciendus.

Clemens Pp. XII. (✠ 1740): Monachum convenit nihil omnino proprium possidere. Neque aliquid omnino proprium usurpare. *Neque suo cordi* aut corpori jungere quidpiam ex bonis parentum aut consanguineorum; necessitate autem cogente, sibi id praestare intelligat non consanguinitatis jure, sed non secus atque ceteris externis (*Constit.* " *Misericordiarum Pater.* " § 3. *a.* 1740; *pro confirm. Reg. et Constit. Monach. Maronit. Ord. S. Antonii Abb. P. I c.* 3).

Falsa paupertas.

Clemens Pp. XIV. (✠ 1774): Excludetur perniciosa proprietas, quae perfectam paupertatem destruit ejusque furfuris pauperes tantum facit, de quibus aiebat olim divus *Bernardus*: « *Pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit.* »... Nihil, nisi *necessarium* habeat religiosus in cellâ... Cavete, ne eorum numero censeamini, de quibus olim divus *Vincentius Ferrerius* aiebat: « *Gloriantur in nomine paupertatis, et socios paupertatis fugiunt.* » Paupertatem veluti *pedissequae* comitantur aegritudo, molestia, labor, cruciatus, derisiones, contemptus, opprobria. Haec omnia *diligendi* sunt, aut *saltem aequo animo toleranda*, ut jure liceat de paupertate gloriari, quae non ex laboribus corporis, sed ex affectione cordis aestimationem habet. « Non enim, inquit divus *Bernardus*, paupertas virtus reputatur, sed *paupertatis amor* » (*Constit.* " *In vinea Dni*" *n.* 6. *a.* 1772).

Pedissequae paupertatis diligendae.

Paupertatis virtus.

Pius VI. (✠ 1799): Vitium *proprietatis* quod nequissi-

Digitized by Google

mum appellat *S. P. Benedictus*, non solum in exterioribus est amputandum, sed omnem sollicitudinem impendere debent fratres, ut *omnem affectum ad res caducas tollant de cordibus* suis. Quare serio perpendant, ne aliquam rem nimio affectu possideant, ita ut forte resisterent, si ab eis auferri contingeret. Quod ut vitetur, caveant Superiores, ne alicui concedant aliquid ad usum pro vitâ, quia talis concessio est valde proprietati similis, sed concedant usque ad beneplacitum Superioris. — Nulli liceat monacho *pecuniam* sub quovis praetextu etiam parentum suorum, aut aliorum negotiis applicandam servare, aut aliam rem sub quovis sensu accipere sine licentiâ Superioris, sed pecuniam ad se proventem deferat Superiori suo (*Const.* "*Apostolatus officium*" § 129 *a.* 1789. *pro confirm. statut. Ord. Clun. P.* 1. *c.* 4, *n.* 1. *et* 2).

Affectus ad res caducas.

Ord. Carthus. Statuta : Noverit professus se *nihil* omnino, *ne baculum quidem*, quo per viam gradiens innititur, sine Prioris habere licentia (*Consuetudines Guigonis c.* 75. *P. L.* 153, 747).

Ne baculus quidem proprius.

Constit. Congreg. Camald. (*Fund.* 1018, *appr.* 1072): Quod ad *Capitulum Regulae*, in quo *SS. Pater* praecipit vitium proprietatis radicitus a suis Monachis exstirpari, in primis mandant Patres, totum inviolabiliter observari, quod in eo continetur quodque a *S. Trident. Concilio*, et *Canonibus* circa idem decretum est. Deinde vero ad faciliorem dictorum observantiam, praecipiunt Praelatis omnibus, ut diligentius curent, ne Monachi quidpiam apud se vel penes alios possideant, quod non *faciliter* ac *vultu hilari* suo Praelato, quandocunque ei visum fuerit, libenter *resignent* (*cap.* 33).

Paupertas stricte servanda.

Congreg. Argentinensis (*fund.* 1624): Intentio Regulae est, quod non solum in exterioribus amputanda sit proprietas, sed etiam, quando Praelatus perpendit, rem aliquam nimio *affectu* possideri. — Propterea caveant Superiores, ne quid alicui concedant ad usum in vita ejus vel ad longum tempus, quia talis concessio est valde proprietati similis ; sed concedant *ad beneplacitum Superioris*. — Prohibemus idcirco omnibus, ne quis audeat elocare, donare de

Perfecta paupertas.

Nihil dandum sine licentiâ.

Digitized by Google

rebus ad monasterium spectantibus, vel etiam *imagines* vel *rosaria, scapularia, numismata* sine licentia Superiorum. — Inhibemus similiter et quidem sub gravi poenâ omnibus religiosis sacerdotibus, ne praesumant *stipendia* ipsis pro Missis oblata reservare (*Decl. ad c.* 33 *S. Reg*).

S. Regulae praecepta exacte servanda.

Congreg. Suevica (*fund.* 1671, *approb.* 1725): Religiosae *Paupertatis rationem* adeo *accuratam* atque *exactam* habere voluit SS. P. N. (*c.* 33. *s. Reg.*), ut, ad proprietatis vitium ex Ordinis sui Monasteriis radicitus exterminandum, summam et praecipuam curam a Superioribus adhiberi voluerit. Cognoscentes igitur et prae oculis habentes officii debitique nostri obligationem et considerantes, quae, quot et *quanta religiosae paupertatis cultu emolumenta*, quaeve, quot et *quanta ex ejusdem neglectu detrimenta* malaque monasteriis invehantur, omnes Abbates, quantâ possumus animi contentione obtestamur atque hortamur, sollicite ut curent et invigilent, ut quas SS. P. N. servandae *paupertatis leges* praescripserit, ab omnibus suae curae commissis *ad litteram exacte* et citra ullam ampliationem ac extensionem *observentur*; neque permittant eos impune quoque ab ullo violari. *Nullus ausit* quidpiam *proprii habere*, aut *veluti proprium tractare, usurpare, accipere, abscondere* atque occultare, teste *S. Augustino*: « Non tantum is, qui rem aliquam, inscio Superiore, accipit, paupertatis violator est, sed etiam qui rem sibi collatam celat atque abscondit. » Quin etiam, quo melius paupertatis puritas conservetur, enitantur singuli, ut consequamur *interiorem spiritus paupertatem*, et, exspoliantes nos omni caducarum rerum affectu nec quidquam ultra, quam *necessitas* exigat, desideremus atque affectemus, sed juxta monitum Apostoli (1. *Tim.* 6): « *habentes alimenta et quibus tegamur his contenti simus.* » — Nullus deinde ausit quidquam alteri dare aut ab aliis accipere, immutare, aut quocunque modo et praetextu distrahere, non habitâ prius expressâ licentiâ et consensu Superioris. Singuli enim meminisse debent, se, postquam per editum paupertatis votum omne rerum dominium abdicarunt, nullam amplius habere facultatem, inde-

Nihil velut proprium tractandum.

Spiritus paupertatis.

De omnibus disponat Superior.

Digitized by Google

pendenter a voluntate et consensu Superiorum, de ullâ re disponendi. Quodsi forte cuidam aliquid aliunde transmissum et oblatum fuerit, is cum omnimodâ resignatione et abdicatione indicet id, deferatque Superiori ; et, siquidem hic, quod communiter et ordinarie fieri debet, illud communi ceterorum fratrum usui destinaverit aut ipsi aliâ de causâ non putaverit concedendum, non propterea turbetur aut contristetur, memor se Dei et salutis suae amore multo pretiosiora, quam sint ejusmodi minutiae, seipsum scilicet et propriam voluntatem suam, reliquisse et abnegasse. — Quia SS. P. N. B. omnia *monasterii vasa veluti res Deo sacratas* et dicatas tractari praecepit, studeant singuli, ut res ipsorum usui concessas, quoad fieri potest, *mundas integrasque conservent*, memoriâ recolentes, se tantummodo earundem rerum usum habere ac proinde iis non aliter uti debere, *quam si commodato accepissent.* Quod si quis res monasterii ad victum, vestitum aliosque usus sibi concessas *negligenter*, *sordide* et *luride tractare* aut iisdem indebite *abuti*, inutiliter ac superflue *consumere*, *frangere*, *vitiare perdereque* deprehensus fuerit, ex praescripto S. Reg. corripiatur. — Quemadmodum autem *munditiem* observari volumus, ita etiam omnem indecentem et a religiosae paupertatis perfectione alienum nitorem et splendorem inhibemus atque abrogamus. Nulli proinde fas sit, *quidquam*, *quod ab auro argentoque splendet*, privatim habere aut in Breviariis, Rosariis, numismatibus gestare, aut *mollia*, *delicata*, *nimis pretiosa*, sive *in victu*, sive *in vestitu* affectare atque usurpare. Haec enim et alia hujusmodi quam maxime aliena sunt a S. Reg. nostrae praescripto, quo SS. P. N. nos jussit monuitque, « *omni vilitate et extremitate contentos* » esse. — Superfluitatem omnes vitent sintque iis contenti, quae de communi ad usum necessarium et competentem, *resecatis superfluis*, ipsis data fuerint, ne quis eorum numero accenseri debeat, quos olim acute suggilavit mellifluus *Bernardus :* « Pauperes, inquiens, esse volunt, modo ipsis nihil desit. » Quisque proinde caveat, ne, *sub praetextu adversae valetudinis* aut alicujus *imaginariae*

Rebus usu concessis parcendum,

Omnis abusus damnandus.

Munditia et simplicitas,

Non superfluum.

Nihil singulare affectandum.

Digitized by Google

imbecillitatis, in victu aut vestitu singulare quid affectet aut in continuo minimeque necessario vel saltem nil profecturo medicinarum usu, magnos incommodosque sumptus faciat et causet. Nisi enim *paupertatis effectum* per quarumdam rerum indigentiam reipsâ aliquando sentiamus, vere pauperes non erimus (*cf. S. Reg. c.* 36). — Singulari curâ invigilent Superiores, ne quid fratribus *ad honestam religiosamque sustentationem*, sive *in victu* sive *in amictu*, desit, sed cuilibet, habitâ consideratione personarum, valetudinis, temporis, functionis aliarumque conditionum, de necessariis, *paternâ*, providâ, et *liberali sollicitudine* provideant, ut eos habeant ad omnem obedientiam exhibendam tanto promptiores quanto majorem sui curam in subministrandis necessariis viderint habere Superiores (*Cf. S. Reg. c.* 23 *et* 55, *P.* 2 *c.* 2 *p.* 5).

Necessariis paterne providendum.

Religiosa paupertas,

Concil. Strigoniense (*Gran in Hungariâ, a.* 1858): *Religiosus*, uti exploratum est, nullam prorsus habet proprietatem, sive in vestitu, sive libris, imaginibus, pecuniâ aut quâcunque supellectili, ita ut *Superior*, dum et quando vult, *libere disponere valeat de omnibus*, quae subordinatus in usu habet. Oblata quaelibet, et a quocumque facta, *dispositioni Superioris* quisque submittat est necesse, qui bona monasterii vel conventus per *officiales* ejusdem, *ad nutum suum amovibiles*, administrari faciet; in suppellectili cellarum et vestibus *summa simplicitas et perfecta uniformitas* observetur (*Tit. VII*).

Simplicitas et uniformitas.

Regularis paupertas.

Stat. Congreg. Bursfeldensis: *Vi voti* et ex mandato *Regulae* omnis *non solum possessio* nobis vetita *sed et affectus dominii* plane est interdictus. Quare dare, vendere, mutare, mutuare, accipere, disponere et similia, ut S. Paupertati contraria, fugiamus; nil sine Superioris licentiâ et benedictione agamus, lauta, superflua, vana, non necessaria ut pauperes Christi non appetamus, sed omni vilitate et extremitate contenti, in humilitate et simplicitate vivamus, ut voto nostro exacte satisfaciamus! (*Dist. V. c.* 1. § 4).

Cibi et potus mensura.

Concilium Aquisgranense (817): Ut unicuique fratri *in cibo* et *in potu* sua *mensura separatim detur* et de ipsâ

Digitized by Google

mensurâ sibi data alicui nihil tribuat. (*Regul. monach. c.* 76. *P. L.* 97, 392.)

Clemens VIII. (✠ 1605): Omnes, etiam Superiores, quicunque illi sint, *eodem pane*, eodem *vino* eodemque *obsonio*, sive eâdem (ut aiunt) pitantiâ *in communi mensâ*, primâ vel secundâ, nisi infirmitatis causâ impediti fuerint, vescantur (*Constit.: Nullus omnino* § 4. *a.* 1601).

Concilium Nicaenum (325): Monachi *alia* habeant *indumenta* et mores, quam habent laici, ac *caput tondeant* in modum coronae (*Can.* 76 *int. apocryphos*). *Monachi habitus,*

Concil. Aquisgranense (*a.* 817): *Habitus singulorum Ordinum* idcirco in Ecclesiâ ab invicem *discreti* sunt, ut his visis, cujus propositi sit gestans vel in quâ professione Domino militet, liquido cognoscatur (*Reg. Canon. l.* 1. *c.* 125. *P. L.* 105, 921).

Bonifacius VIII. (✠ 1303): Ut periculosa Religiosis evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cetero aliquis, quamcunque Religionem tacite vel expresse professus, in scholis vel alibi temere *habitum* suae *Religionis dimittat.* Si quis autem temerarius violator exstiterit, excommunicationis incurrat sententiam (*Decr. l. sext. tit.* 24 *c.* 2). *Non dimittendus.*

Congr. S. Mauri: Materia *vestium* sit vobis juxta Regulam, et humilitati ac paupertati monasticae conveniens (*Declar. in c.* 55 *S. Regul.*).

Congr. S. Bernardi in Italiâ Ord. Cist. (*ab Urbano VIII.* ✠ 1644, *approbata*): Monachos decet semper et in omni loco compositi habitûs esse, sed maxime cum Sacris intersunt, aut ad Sacra peragenda incedunt. Prohibent itaque, *ne quisquam* in Choro, aut cum celebraturus a sacrariis ad altare pergit, *bireto utatur, sed* in Choro quidem *caputio*, cum vero ad Missas celebrandas incedunt, *amictu* de more nostri Ordinis omnes cooperiantur (*Constitut. c.* 3). *Caputium et amictus,*

Congr. Suevica: Circa Vestimenta tria volumus singulariter observari; 1. ut sit, quantum fieri potest, *una singularum vestium*, praecipue exteriorum, *forma*, ad *Vestium uniformitas, decentia, humilitas.*

Digitized by Google

cujus formam novae vestes conficiantur; 2. ut singularum vestium *materia sit decens* et religioso statui conveniens, honesta scilicet et bona ac solida; 3. ut *nihil prae se ferant fastus mundani* aut levitatis saecularis. Amictus igitur noster, quo corpus tegimus, *religiosae humilitatis*, quâ animus exornatur, *sit argumentum*. Non sit ad ostentationem vanus, non ad superbiam pretiosus, non ad novitatem peregrinus, sed ad monastici status commendationem sit *humilis, honestus* et *moderatus*. Sola in eo resplendeat religiosa modestia et humilitas. — *Vestium fastus* prodet superbientis animi fastum, nec quisquam in paupertatis professore commendabit vanitatis studium. Illud igitur *S. Bernardi* singulis ingerimus: «Vestium curiositas deformitatis mentium ac morum indicium est, itemque vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, et exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset et mens inculta virtutibus.» — *Conformis* igitur et *decens* sit singularum vestium forma, ut vel ex ipsâ vestium similitudine *incitamentum* sumamus enitendi *ad similem morum animorumque conjunctionem* (*Constit. P. 2. c. 4. p. 1, 3, 4*).

Vestis animum prodit.

Vestitus et cella,

Clemens VIII: Fratrum *vestitus et suppellex cellarum* omnino *uniformis* sit, statuique paupertatis, quam professi sunt, conveniat, ita ut *nihil superflui* admittatur, nihil etiam, quod sit necessarium, derogetur alicui (*Constit.* "*Nullus omnino*" § 4. *a.* 1601. *Bullar. tom. 3. pag.* 89).

Cellae suppellex,

Congregatio S. Mauri: *In cellâ* sit parva mensa, quidam pii libri, sedile ligneum vel stramineum, oratorium parvum cum paucis imaginibus modici valoris, parvum stratum (*Decl. in c. 34 S. Reg.*).

Nihil in cella superflui vel pretiosi.

Congregatio Argentinensis: Monachi prohibentur possidere et habere in *cellis* imagines et rosaria pretiosa, vestes non necessarias in duplo, libri superflui et alia hujusmodi mobilia, quae continuo suis locis ad communitatem referenda sunt et ab câdem, si necesse sit, requirenda. *Cellae* monachorum sint bene constructae, parvâ mensâ, duobus

Digitized by Google

sedilibus, genuflexorio cum paucis imaginibus, quae devotionis affectum excitant, exornatae; quilibet habeat vasculum aquae benedictae, candelabrum etc (*Decl. in c.* 33 *S. Reg*).

Cellarum usus et forma.

Congregatio Suevica: Ex receptâ jam et aliquot saeculis in nostrâ quoque religione rationabilibus de causis usitatâ consuetudine *singulis singulae assignantur cellae,...* quo minus ab aliis turbentur aut impediantur, quando vacant debitis legendi, orandi ac studendi exercitiis, aut etiam pro reparandis viribus nocturnam quietem capiunt. *Singulae cellae habeant suum Patronum tutelarem.* Nullo unquam tempore occludantur, obducto intus pessulo, sed semper *liber* relinquatur *Superioribus ingressus*, praeter quos nemini liceat alterius cellam ingredi. Qui secus fecerit, graviori poenae subjiciatur. Quodsi quidpiam ex aliquâ causâ *loquendum* foret, id parum admodum et *submisse ad cellae januam* expediatur. Similiter, si Superior alicui licentiam dederit, personam aliquam religiosam aut laicam in cellam suam introducendi, id non fiat, nisi cellae ostio aperto relicto, dum talis hospes in eâ fuerit. — Maxime curetur, ut singulae *cellae* fratrum *sint conformes*, quoad apparatum, suppellectilem, imagines, cistas, mensas, lectisternia, vela, pulpita, sedilia, genuflexoria, ne ullus altero locupletior esse videatur, quisque potius contendat in simplicitate, humilitate, taciturnitate, devotione, diligentiâ et s. constitutionum observatione, quae vera sunt cellarum monasticarum ornamenta, piâ quâdam aemulatione alterum superare. — Nulli fas sit, si quis forte ad cellam aliam transmigraverit, quidquam secum asportare, sed quae cuique cellae deputata sunt, semper in eâ manere debent, ideoque *Superiores saepius* singulorum *cellas visitent*, et emendent, si quae reperient emendanda (*Constitut. P.* 2. *c.* 3. *p.* 7).

Visitatio cellarum.

Summa sit in cella simplicitas.

Congregatio Bursfeldensis: Ut s. paupertatem sectemur, *supellex* nostra extra divinum officium non sit pretiosa, picturis variegata, sed *simplex* et *uniformis*. Unde omnia curiosa, etiam devotionis praetextu, omniaque *superflua penitus abscindantur* nullique permittantur, ut sunt

Digitized by Google

horologia, *capsae* aromaticae, propria *sigilla*, *imagines curiosae*, *specula*, *aves*, *numismata*, vel quid simile ex pretiosâ materiâ confectum, quae nemo nec habere nec apud se servare audeat. — Ut cupiditati tollatur occasio, singulis annis semel vel secundo, *Superior* vel per se vel per deputatum, assumpto secum Priore, *visitabit* cellas et officinas Fratrum, ne quid s. paupertati contrarium illic servetur (*Statuta dist.* 5. *c.* 1, § 4).

Cellae visitatio.

Vitandum proprietatis verbum.

Constitutiones Hirsaug. (*Saec. XI*) : *Nihil appellat suum* frater, sed ad omnia dicit « *nostrum*, » nisi de patre, matre et culpâ; de his licenter dicit meus et mea (*L.* 1 *cap.* 60. *P. L.* 150, 989).

Perfecta vita communis instituenda.

Schema Conc. Vaticani (*a.* 1869) : Regularem *observantiam* ob id potissimum *collabi dignoscitur*, *quod perfecta vita communis*, quam sancti regularium Ordinum Institutores, suum veluti aedificium, veteri Ecclesiae disciplinae superexstructum voluerunt, et a suis sectatoribus servari mandarunt, *penes plures* religiosos Ordines *in desuetudinem abierit.* Ubi enim ab designato a sanctis viris perfectionis tramite deflecti contingat, paulatim a vero eorum spiritu et a primaevo instituto cum magnâ disciplinae jacturâ desciscitur. Hinc licet ad gravissima emovenda mala, quae ex hujusmodi communis vitae defectu promanant, *Concilium Tridentinum* (*Sess.* 25 *de regular. c.* 1.), *Clemens VIII* (*Constit.* " *Nullus omnino* "), *Urbanus VIII* (*Decret. de regul. apost. et eject.*), *Innocentius XI* (" *Cum non alias* "), *Innocentius XII* (*Decret. incip.* " *Sanctissimus* ") aliique Pontifices praedecessores Nostri illam pro viribus instaurari curaverint, nihilominus non ubique eam servari in comperto est. Nos itaque rati, *nihil magis conferre ad Regularium reformationem reapse promovendam*, quam ut in hoc Sacratissimo Oecumenico Concilio *vitae perfectae communis obligatio* gravissimis verbis denuntietur ac solemni sanctione muniatur, sacro approbante Concilio, quae sequuntur districte statuimus, decernimus, atque mandamus... *Quicunque in futurum professionem emittet*, *praecepto servandi vitam perfectam commu-*

Digitized by Google

nem teneatur; ideoque ei, qui admitti ad profitendum in quolibet Ordine, Congregatione, Societate et Instituto regulari postulaverit,... dictum praeceptum expresse denuntietur.... Insuper infra annum ab absoluto Concilio perfecta vita communis *omnino constituatur* in domibus novitiatûs, professorii ac studiorum, quatenus in eis introducta adhuc non reperiatur... Omnes religiosi, etiam antea professi, qui in omnibus enuntiatis domibus commorantur, eam omnino servare teneantur... De reliquo cum vita perfecta communis in eo consistat, ut bona quaecunque, reditus, emolumenta aliaque omnia, quae quovis titulo religiosis obveniant, in usum religiosae familiae plene conferantur, et ipsum victum, vestitum, aliaque *necessaria a conventu in communi accipiant,* superiores nihil quod sit necessarium religiosis denegent, et religiosi nihil, quod sit *superfluum* exigant; ideoque superioribus caritas et sollicitudo, subditis vero religiosa moderatio enixe commendatur (*Schema* 3. *de regul. in praef. et c.* 1).

Sancti et Doctores.

Evangelica paupertas.

S. Basilius M., Ep. Caesar. († 379): Liceat afferre Domini verba : « *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest Meus esse discipulus.* » Et alibi post illud : « *Si vis perfectus esse,* » prius dixerat : « *Vade, vende, quae habes et da pauperibus;* » tumque subjunxit : « *Veni, sequere me.* » Atque etiam mercatoris parabola huc spectare cuivis aequo rerum aestimatori videbitur. « *Simile est,* » inquit, « *regnum coelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas, inventâ autem unâ pretiosâ margaritâ, abiit et vendidit omnia, quae habuit et emit eam.* » Planum est enim, regnum coeleste per pretiosam margaritam adumbrari, quod nos assequi non posse, declarant Domini verba, nisi omnia simul, quae habemus, et divitias et gloriam et genus et si quid est aliud, cujus studio desiderioque plerique teneantur, pro eo comparando deseramus (*Regul. fusior....* 8. *n.* 2. *P. Gr.* 31, 938). —

Digitized by Google

Perfecta vitae communio.

— *Perfectissimam vitae societatem* appello ego eam, a quâ exclusa est omnis possessio propria,... *in quâ* vero *omnia sunt communia*, animae, sententiae, corpora, et quaecunque alia, quibus corpora nutriuntur ac curantur, *communis* Deus, *communis* pietatis negotiatio, salus *communis*, communia certamina, *communes* labores, coronae *communes*... Quid comparandum est huic vitae instituto? Quid beatius? Quid hâc conjunctione atque unitate perfectius? (*Constit. monast. c.* 18. *n.* 1. 2 *ibid.* 1382).

Beati pauperes!

S. Bernardus (✝ 1153): Aperiens (Dominus) os suum, docebat eos dicens: « *Beati pauperes spiritu.* » Vere apertum est os Ejus, in quo omnes thesauri sapientiae et scientiae sunt reconditi; qui per prophetam ante praedixerat: « *Aperiam os Meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.* » Quid enim tam absconditum, quam paupertatem esse beatam? Attamen Veritas loquitur, quae nec falli, nec fallere potest, et Ipsa est, quae dicit, quoniam « *beati pauperes spiritu.* » Sic vos, insensati filii Adam, divitias quaeritis, divitias desideratis usque adhuc; cum jam *beatitudo pauperum* divinitus commendata, praedicata mundo, credita sit ab hominibus? Quaerat eas *paganus*, qui sine Deo vivit; quaerat *Judaeus*, qui terrenas promissiones accepit! Sed quâ fronte, magis autem *quâ mente Christianus divitias quaerit*, postquam Christus beatos esse pauperes praedicavit? Quousque, filii alieni, quousque vanitatem loquetur os vestrum, ut beatum dicatis populum, cui haec sunt, haec visibilia, haec praesentia; cum Filius Dei, os suum aperiens, locutus sit veritatem, *beatos* esse *pauperes*, et *vae divitibus?* Sed diligenter attende, quod non simpliciter pauperes nominat, propter *plebeios*, *pauperes* necessitate miserabili, non laudabili voluntate. Spero equidem profuturam eis apud divinae bonitatis misericordiam hanc ipsam afflictionis suae miseriam; scio tamen, Dominum hoc in loco non de hujusmodi fuisse locutum, sed de his, qui possunt dicere cum propheta: « *Voluntarie sacrificabo Tibi* » (*Ps.* 53, 8). Attamen non voluntaria quidem paupertas omnis laudem habet apud Deum;

Pauperes spiritu,

Digitized by Google

nam et *philosophi* omnia sua reliquisse leguntur, ut expediti mundialibus curis, studio vanitatis possent vacare liberius, et nolebant censu abundare terreno, ut abundarent magis in sensu suo. Hoc discernit, quod dictum est «*spiritu,*» i. e. spirituali voluntate, « *Beati* » ergo «*pauperes spiritu,*» spirituali scilicet intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum Dei et animarum salutem; « *quoniam ipsorum est regnum coelorum!* » (*Serm.* 1. *in fest. Omn. Sanctorum. n.* 7 *et* 8. *P. L.* 183, 456).

Paupertas spiritus,

S. Thomas Aquin.: Doct. Eccl. († 1274): *Paupertas* spiritus intelligi potest abjectio temporalium rerum, quae fit spiritu, i. e. propria voluntate per instinctum Spiritus Sancti (*II. II. qu.* 19. *art.* 12).

Sive voluntaria.

Dionysius Carthus. († 1471): Paupertas voluntaria est virtus, per quam temporalia contemnuntur amore Sponsi coelestis (*De profess. monast. act.* 11).

Saeculo major est, summe dives, Deo contenta.

S. Cyprian. Episc. Carthaginiens. († 258): Nihil appetere jam, nihil desiderare de saeculo potest, qui *saeculo major* est. — Penuria esse nulla jam poterit, cui semel *pectus coelestis sagina saturavit* (*Ep. ad Donat. c.* 14 *et* 15. *P. L.* 4, 225).

Haeftenius, Praepos. Affligeniens. († 1648): Paupertatis medulla est, ita *summo* illo *bono*, quod Deus est, *esse contentum*, ut propter Eum aliorum omnium obliviscatur, nec ad ea respicere aut ea ullo in pretio habere dignetur, dicens cum Propheta (*Ps.* 72): « *Domine, quid mihi est in coelo, et a Te quid volui super terram? Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum!* » (*Disquisit. monast. l.* 4. *tract.* 8. *disquis.* 7).

Christi nati paupertas exemplar.

Ernaldus, Abb. Bonaevallis (*Bonneval*, dioec. de Chartres) († 1156): In *nativitate Christi* nulla domûs ambitio, nisi declinatorium *in stabulo*, mater *in foeno*, filius *in praesepio*. Tale elegit fabricator mundi hospitium; hujusmodi habuit delicias sacrae Virginis puerperium. Panniculi pro purpurâ, pro byssu in ornatu regis laciniae congeruntur... Christus pauper discipulos divites aspernatur. Pauper mater, pauper filius, inops hospitium, his, qui in formâ hujus

Digitized by Google

scholae in Ecclesiâ militant, praebens efficax documentum (*L. de cardinal. operib. Christi. c.* 1. *P. L.* 189, 1616. 1618).

Christus pauper et egenus.

S. Hieronymus, Doct. Eccl. (✠ 420): Qui cognoscit Christum in assumptâ carne venisse, in quâ pro nobis «*pauper factus est et egenus,*» hic beatitudinum coelestium opes capit. Ipse autem Dominus factus est *pauper*, cum non haberet, ubi caput reclinaret, *egenus*, cum se in egentibus refici demonstravit. « *Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem!* » (*Breviar. in Ps.* 40. *v.* 1. *in app. P. L.* 26, 946).

Ejus paupertas nostrae divitiae.

S. Ephrem, Diac. Edess. (✠ 378): Esto studiosus paupertatis Christi, ut in coelesti patriâ Ejus divinitate diteris (*De jejun. tom.* 3. *p.* 22).

S. Bernardus : Ditior est Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris (*Ser.* 4. *in Vigil. Nativ. n.* 6. *P. L.* 183, 102).

S. Thomas Aquin. : His, qui *Christi paupertatem sequuntur*, magna dignitas accrescit. (*Contra retrahentes ab ingressu Relig. c.* 15).

Regula Fructuosi, Ep. Bracarens. (*Braga in Portugal.* ✠ 670) : *Christi pauperes* hanc habent consuetudinem : *Nihil in hoc mundo cupiunt habere*, ut possint Deum et proximum perfecte diligere... Proinde *Christi servus*, qui cupit esse verus discipulus, *nudam crucem ascendat nudus;* ut mortuus sit saeculo, Christo vivat crucifixo (*Regul. commun. c.* 1. *P. L.* 87, 1112).

Christi pauperes saeculo crucifixi.

Pretiosus titulus.

Petrus Blesensis, Cancellar. et Archidiac. in Angliâ (✠ 1200) : Apud pauperem Christum *pretiosus* est *titulus paupertatis;* Christus pauper et pauperis Virginis Filius, pauperes elegit in Apostolos (*Ep.* 3. *P. L.* 207, 8).

Petrus Comestor, presb. Paris. (✠ 1178) : Omnem revolvite vitam Salvatoris ab utero Virginis usque ad patibulum crucis, non invenietis in eo, nisi stigmata paupertatis (*Serm.* 9. *P. L.* 198, 1746).

Nudus nudum sequere JESUM *et pauperrimum.*

Imitatio Christi : Ad hoc conare, hoc ora, hoc desidera, ut ab omni proprietate possis exspoliari, et *nudus nudum* JESUM *sequi* (*L.* 3. *c.* 37).

Digitized by Google

S. Laurentius Justinianus, (✝ 1455): Ipse Dominus ita pauper fuit, ut veniens in mundum, non in suâ, sed aliena domo nasceretur, vivens non haberet, ubi habitaret, nec moriens, unde nuditatem suam tegeret, nec mortuus, unde involveretur, nec sepulchrum, ubi mortuum corpus locaretur (*De lig. vitae. tract.* 10, *de paupert. c.* 10).

S. Maria pauper.

S. Odilo, Abb. Cluniac. (✝ 1049) : Erat *Maria pauper* terrenâ possessione, sed plena coelesti benedictione; erat progenita stemmate regali ; sed pauper stipendio temporali. Pauper rebus, referta divinis muneribus. In tantum *pauper*, ut agnum, qui pro peccato offerebatur, non haberet; in tantum *dives*, ut Agnum peccata mundi tollentem salvâ virginitate generare posset (*Serm.* 3, *P. L.* 142, 1000).

Judas proprietarii exemplar.

Joan. Cassianus, Abbas Massilien. (✝ 430) : Vis nosse, quam *perniciose*, quam *noxie fomes* iste (peculii), nisi fuerit diligenter excisus, ad ejus interitum, qui eum conceperit, fructificet, et omnigenis pullulat ramusculis vitiorum? *Respice Judam!* (*Instit. l.* 7. *c.* 23. *P. L.* 49, 314).

Proprietas monachi furtum.

S. Basilius M., Ep. Caesar. (✝ 379) : *Furtum* est *privata possessio* (*Const. mon. c.* 34. *n.* 1. *P. Gr.* 31, 1426).

S. Augustinus, Ep. Hippon. Doct. Eccl. : Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, *furti* judicio condemnetur (*Regul. c.* 8. *P. L.* 33, 963.) — Nemo sibi aliquid vindicet *proprium*, sive in vestimento, sive in quâcunque re; Apostolicâ enim vitâ optamus vivere (*Regul.* 2 *ad Cleric. n.* 2. *in app. P. L.* 32, 1450.) — Quid ei *sufficit*, cui *virtus felicitasque* non sufficit? (*De civit. Dei. l.* 4. *c.* 21. *P. L.* 41, 128).

Mortui poena proprietarii.

S. Hieronymus, Doct. Eccl. (✝ 420) : *Quidam ex fratribus*, parcior magis quam avarior, et nesciens, triginta argenteis Dominum venditum, *centum solidos*, quos lino texendo acquisierat, *moriens dereliquit.* Initum est inter monachos consilium (nam in eodem loco circiter quinque millia divisis cellulis habitabant) quid facto opus esset. Alii pauperibus distribuendos esse dicebant, alii dandos Ecclesiae; nonnulli parentibus remittendos. *Macarius* vero et

Digitized by Google

Pambo et *Isidorus* et ceteri, quos patres vocant, sancto in eis loquente Spiritu, decreverunt, infodiendos cum domino suo, dicentes : « *Pecunia tua tecum sit in perditionem !* » Ne hoc crudeliter quisquam putet factum. (*Ep.* 22. *n.* 33. *P. L.* 22, 418.)

Vitium proprietatis.

S. Asterius, Ep. Amasens. (✠ *c.* 400) : Nihil omnino tuum est. Tu *servus es, et omnia tua Domini;* quia servus liberum peculium non habet (*Homil.* 2. *P. Gr.* 40, 187).

Caritatem tollit,

S. Gregorius M., (✠ 604) : Si *peculiaritas* a monachis habetur, *neque concordia neque caritas* in congregatione poterit permanere (*L.* 12. *ep.* 24. *P. L.* 77, 1233).

Est contagio, adulterium, crimen, fraus.

S. Leander, Ep. Hispal. (✠ 595) : *Peculiare*, quod in coenobiis pro magno habetur crimine, tu pro grandi vitae (ab devita) contagione. *Adulterium* certe est, quia conscientiae integritatem usurpatae rei pravitate maculat. *Furti crimen* est ; quoniam, dum omnia, quae habentur in monasterio, omnibus sunt communia, habere una latenter praesumit, quod a ceteris ignoratur, et alio publice cum omnibus utitur, aliud furtive abscondit. *Fraus* est manifesta, quia non reponit in commune, quod possidet ; sed exiguam parvitatem occultat fraude. *Unum crimen, sed plura contagia* (*De instit. virg. c.* 18. *P. L.* 72, 890).

S. Isidorus, Ep. Hispal. Doct. Eccl. (✠ 636) : Monachi nihil *peculiare* sibi facere audeant ; neque in suis cellulis quidquam, quod ad victum vel ad quamlibet rem aliam pertineat, sine regulari dispensatione habere vel possidere praesumant (*Regul. monach. c.* 19. *n.* 1. *P. L.* 83, 888).

Damnanda peculiaritas,

Regula Magistri (*Saec. VII*) : Cum omnia nobis necessaria a Domino praeparantur, et de omnibus administrandis cum Deo solus est Abbas sollicitus, quare discipulus sibi *peculiariter* aliquid audeat facere aut habere, aut vindicare? Nam ideo *peculiare* aliquid habere denegatur, quia « *nemo serviens Deo implicat se negotiis saecularibus, ut Ei placeat, cui se probavit* » (2 *Tim.* 2), ut, cum omnibus rebus suis alieno se imperio subdiderit, non sit res, ubi propria ejus voluntas extollatur, quae voluntati Dei inimica est (*C.* 82. *P. L.* 88, 1032).

Digitized by Google

Abominatio est.

S. Fructuosus : *Peculiaritas* aut in utensilibus aut in vestimentis aut quibuslibet rebus, vilissimis saltem et abjectis, omni modo vitetur. Quia *abominatio* monachis est et *infamia*, quidquam reservare proprium (*Regul. monach. c.* 8. *P. L.* 87, 1104).

Nihil dare, accipere, mutuare, abscondere licet.

Regula cujusdam ad Virgines (*Saec. VII*) : Nulla dare aut accipere nisi Abbatissâ ordinante praesumat (*C.* 17. *P. L.* 88, 1067.)

S. Pachomius (*Saec. IV*) : Mutare de his, quae a Praeposito acceperit, cum altero nemo audebit (*Regul. n.* 27. *P. L.* 23, 75).

Regula SS. Pauli et Stephani (*Saec. VI*) : Nec inter se fratribus liceat id, quod de communi quisquam acceperit, nisi permissu Prioris, cum alio fratre quasi peculiari amore mutuare (*C.* 27. *P. L.* 66, 956).

Proprietas iter inferni,

S. Bernardus : Propria possidere, saeculari quidem homini medium est, quoniam et non possidere licet; monacho vero, quia possidere non licet, purum malum est (*Ep.* 7. *n.* 4. *P. L.* 182, 96). — Si quis aliquid habet absconsum vel proprium, quod a ceteris ignoratur, furtum est, *peccatum furti* est... Judas est et *poenam Judae* sustinebit in inferno, qui de hoc, quod commune est, proprium sibi facit. ... Quasi proprium sibi aliquid *abscondere*, hoc furtum est, haec manifesta fraus, hoc grande peccatum est, hoc *iter inferni.* Per hanc viam latrones descenderunt in infernum. Sic enim ait Paulus Apostolus : « *Neque latrones neque rapaces regnum Dei possidebunt* » (*De modo bene vivendi. c.* 48. *n.* 115. *in app. P. L.* 184, 1270).

Stercus coacervat.

S. Petrus Damianus, Abb. Fontisavell. Card. et Doct. Eccl. († 1072): Quisquis proprietatis conatur habere *peculium*, non valet Apostolorum tenere vestigium (*Opusc.* 24. *c.* 4. *P. L.* 145, 486). — *Cupidus* quisque, dum sordentis *pecuniae* quaestus accumulat, vertens exedram in latrinam, quasi *molem stercoris coacervat* (*Opusc.* 31. *c.* 2. *ibid.* 532). — Sicut, qui Christum colit, jure *Christicola* dicitur ; ita et qui nummis per custodiam servit, non immerito *nummicola* per-

Digitized by Google

Mammonae servus.

hibetur. Ipsa nempe Veritas dicit: « *Non potestis Deo servire et Mammonae* » (*Matth.* 6), ac si aperte dicat : nemo potest Deum simul et pecunias colere (*Opusc.* 12. *c.* 6. *ibid.* 256). — *Proprietarius* fortasse mihi dicet : « Divitiarum me cur mordaciter impetis, quem *perexiguâ summâ* contentum vix paucos habere obolos cernis ? cumque hoc propriae fragilitati consentio, relevandae tantummodo futurae necessitati prospicio ; non affluere divitiis quaero.» Ecce proprietarius noster, sive melius *nummicola*, paupertatis patrocinio utitur!.. Cur tibi de exiguitate pecuniae tanquam securus applaudis.... praesertim cum haec sit mentis humanae natura, ut ita occupetur circa minima, si sit indigens, sicut erga multa, si sit dives ? (*Opusc.* 12. *c.* 7. *ibid.* 257). — Quis, rogo, *Ananiam* et *Saphiram* rebus propriis abrenuntiare coegit ? Sed quia partem pecuniae uterque pro sustentandâ quasi longâ vitâ retinuit, repentinae mortis sententiam non evasit. Ecce *nos* longe nobiliores quaestus et lucra quaeque terrena non modo reliquimus, sed et *perpetuam* eorum *abrenuntiationem* non homini, sed Deo potius *professi* sumus. Si ergo adhuc marsupio nostro nummus includitur, si ad interni Spectatoris injuriam quantumlibet pecuniae reservatur, quid Illi in reddendâ ratione dicemus ? quâ nos defensionis arte purgabimus ? (*Opusc.* 12. *c.* 3. *ibid.* 253).

Ananiae et Saphirae mors.

Proprietarius vespertilioni similis.

S. Bonaventura, Card. et Doct. Eccl. (✠ 1274): Sicut *vespertilio* bibit oleum in ecclesiâ, ubi laudant alii Deum ; sic religiosus *proprietarius* instar vespertilionis bibit et furatur bona Monasterii, ubi alii vacant laudibus, et Dei servitio (*Tit.* 4. *diaet. c.* 2).

Peculium radix peccatorum et perjurium.

Dionysius Carthus. (✠ 1471): Ex *proprietate* seu *peculio* tanquam ex *venenosâ radice* multa peccata proveniunt (*De reform. art.* 16). — Valde detestabile ac *horrendum est vitium proprietatis* in religiosis, qui utique Evangelicam paupertatem professi sunt (*Sup. Acta Apost. c.* 5. *art.* 5). — Quotiescunque persona religiosa aliquid proprium cupit habere, aut habet, aut aliquo proprio utitur, *toties professionem suam transgreditur* et valde mortaliter peccat (*De profess. Monast. art.* 10).

Digitized by Google

Joan. Gerson, Cancell. Universit. Paris. (✠ 1429): *Apostasia quaedam* est proprietas Monachorum major, quam relinquere habitum aut exire metas ecclesiae praeter Praelati licentiam (*Tract. contra proprietarios* §. 5). — Fera *saevior* est *leone* proprietas, maxime si hypocrisi commisceatur (*Part.* 3). *Proprietarius apostata, profugus, perfidus, maledictus.*

Joan. Trithemius, Abb. Spanheimen. (✠ 1516): O monache, si peculium aut proprium in monasterio possederis, non monachum te computabo, sed *profugum apostatam* perfidum, *mendacem*, irrisorem, et *perjurum* te judicabo (*Lib. I. Exhortat. ad Mon.*). — Monachus habens peculium *iter sibi parat ad infernum* (*L. 2. Exhortat. ad Mon. Ser.* 2). — Proprietate *pactum* cum Deo initum frangitur, *votum* solemne violatur, *caritas* fraternae unitatis spernitur, *furtum* committitur, *sacrilegium* perpetratur. ... Proprium monacho lex divina prohibet, jus canonicum *peculium* Religioso penitus interdicit, omnes SS. Patrum regulae clamant, Monacho proprietatem prorsus illicitam. ... O *maledicta* monachorum proprietas, quae non minus possidet, quam possidetur (*De propr. Monach. c.* 5, 7 *et* 8).

S. Franciscus Assis. (✠ 1226): A te peto hoc privilegio consignari, exopto hoc thesauro ditari, postulo, ut mihi et meis in aeternum sit proprium, *pauperrime* JESU, propter nomen tuum, nihil posse sub coelo proprium possidere (*In suis opusc. in orat. pro obtinendâ paupertate*). — *Pecunia* servis Dei nihil aliud est, quam *diabolus* et *coluber* venenosus (*Apophthegm.* 38). *S. Francisci oratio.* *Pecunia.*

S. Basilius: Cum plures ad eundem salutis scopum intenti *communem* inter se *vitam* amplexi fuerint, id inter ipsos ante omnia obtineat necesse est, ut unum in omnibus sit cor et voluntas una unumque desiderium; utque ex Apostoli praecepto omne conventûs agmen efficiatur « *unum corpus,* » ex diversis membris coagmentatum. Hoc autem aliter fieri non potest, nisi obtinuerit haec consuetudo, ut *nihil nominatim* ac *peculiariter cuiquam tribuatur*, neque vestimentum neque vas neque quidquam aliud ex iis, quae conducunt vitae communi, ut singula usibus necessariis, non *Vita vere communis,*

Digitized by Google

Necessarium, prout opus est, tribuendum.

autem possessoribus destinentur.— Lectus, stragula, calidum vestimentum, calceamentum ejus, qui his valde indiget, debent esse, non possidentis. Quemadmodum enim, qui vulneratus est, non qui sanus est, medicamento utitur ; sic etiam iis, quae ad sublevandum corpus excogitata sunt, perfruatur, non qui delicate vivit, sed is, cui levamen opus est (*Serm. 2. ascet. n. 1. P. Gr.* 31, 882).

Nihil omnino proprium.

Joan. Trithemius : Monachus *proprietarius* potest esse *in minimo*, sicut alius in magno... Regula dicit : «*Nihil omnino monachus proprium habeat* (*c.* 33.) » ... Errant itaque et peccant in Regulam, qui, monachos minima quaeque, sicut tabulas, iconas et mappulas dare aut accipere posse absque licentiâ Prioris existimant (*De proprietat. monach. c.* 8).

Proprietarius ad omne scelus paratus.

S. Zeno, Ep. Veronens. et Mart. (✠ 381): Quodvis piaculum, scelus, dedecus, nefas libenter admittit, cujus praecordia implacabilis *cupiditatis pestifera flamma* repleverit (*L.* 1 *Tract.* 10. *n.* 4. *P. L.* 11, 336).

Pecuniae cupiditas nequitiae fomes et exitiosa;

S. Hieronymus : Qui *amat pecuniam*, Deum amare non potest. (*Ep.* 121. *c.* 6. *P. L.* 22, 1020.) — Vis nosse quam perniciosus sit amor habendi et amor requirendae pecuniae ? per hunc *Judas* tradidit Salvatorem (*Ep.* 32. *n.* 5. *in app. P. L.* 30, 249).

S. Maximus, Taurin. Episc. (✠ *c.* 465): Vides ergo, quia, qui pecuniam habet, fidem perdit ; qui aurum redigit, gratiam prodigit. *Avaritia* autem caecitas est, errorem religionis inducit. Caeca, inquam, est avaritia, sed diversis fraudum oculata ingeniis : non videt, quae divinitatis sunt, sed cogitat, quae cupiditatis sunt (*Hom.* 96. *P. L.* 57. 476).

Clemens, Presb. Alexandrinus (✠ *c.* 220): Non est paupertas pecuniae paucitas, sed insatiabilitas (*Lib.* 2. *Stromat. c.* 5. *P. Gr.* 8, 954). — Arx vitii est *pecuniae cupiditas* (*Lib.* 2. *Paedag. c.* 3. *P. Gr.* 8, 439).

Joan. Cassianus : *Philargyria* receptaculum est vitiorum, et inextricabilis nequitiae fomes (*L.* 7. *de coenob. instit. c.* 6. *P. L.* 49,296). — *Judas*, volens resumere pecunias, quas

Digitized by Google

antea Christum secutus abjecerat, non solum ad proditionem Domini lapsus, Apostolatus perdidit gradum, sed etiam vitam ipsam communi exitu finire non meruit, eamque violentâ morte conclusit. *Ananias* vero et *Saphira* reservantes partem quandam ex his, quae possederant, Apostolico ore morte mulctantur (*L.* 7. *de coenob. c.* 14. *ibid.* 304).

S. Cyprianus, Ep. Carthagin., Mart. et Doct. Eccl. (✠ 258): *Pecunia* arridet, ut saeviat; blanditur, ut fallat; allicit, ut occidat; extollit, ut deprimat (*Ep. ad Donat. c.* 13. *P. L.* 4, 225.)

S. Hilarius, Ep. Pictaviens. et Eccles. Doct. (✠ 368): Est nobis laqueus in *pecunia* (*Sup. Ps.* 123. *n.* 8. *P. L.* 9, 678). — Radix maxime iniquitatum in *pecuniae cupiditate* est, quam qui appetit, gravissimae tempestatis naufragio mergitur (*Sup. Ps.* 61. *n.* 8. *ibid.* 399).

S. Augustinus: Quisquis servit *mammonae*, sua cupiditate implicatus, subditur diabolo et non eum diligit (quis enim est qui diligat diabolum?), sed tamen patitur (*De serm. Dom. in monte l.* 2. *c.* 14. *n.* 47. *P. L.* 34, 1290). *Diabolo subdit,*

S. Joan. Chrysostomus: *Diabolus* veluti serpens spinis occultatur, inter *divitiarum* imposturam assidue latitans (*Hom.* 8. *in ep. ad Rom. n.* 6 *P. Gr.* 60, 463). — Si quando in navigiis est onus justo gravius, *demergit* cymbam; cum vero est moderatum, prospero fertur cursu (*Serm. de avaritiâ*). — Incantatio quaedam est et praestigium, *cupiditas pecuniarum* (*Hom.* 10 *in ep.* 1. *ad Thessal. n.* 3. *P. Gr.* 62, 458). — Qui pecuniarum insano tenetur studio, desiderium suum exsatiare nulla opum poterit copiâ (*Hom.* 7. *in ep.* 2. *ad Timoth. n.* 2. *P. Gr.* 62, 638). — *Servitus pessima*, cupiditas pecuniarum. (*Hom.* 33. *sup. Ep. ad Hebr. n.* 4. *P. Gr.* 63, 232). — Amor pecuniarum saevit ut barbarus, fervet crudeliter ut tyrannus, debacchatur impudenter ut meretrix; nusquam miseretur, nusquam pudet (*Hom. Quod nemo laeditur. n.* 6 *P. Gr.* 52, 467). — *Pecuniarum amor* vesana est cupiditas, morbus *insanabilis* est, fornax *inextinguibilis*, tyrannis *insatiabilis* (*Hom.* 5. *de studio praesentium etc. n.* 1. *P. Gr.* 63, 485). — Nihil sic *diabolo* subjici hominem facit, ut inhiare *Incantatio est,* *Insatiabilis et crudelis.*

Digitized by Google

opibus atque habendi amore superari (*Hom.* 13. *sup. Matth. n.* 4. *P. Gr.* 57, 212).

Pecuniae vis,

S. Petrus Chrysologus, Ep. Ravennatens. et Doct. Eccl. (✠ 450): *Pecunia* imperat gentibus, jubet regnis, bella mandat, comparat bellantes, sanguinem vendit, agit mortem, prodit patrias, urbes destruit, subdit populos, arces urget, vexat cives, foro praesidet, jus delet, fas nefasque confundit,... violat veritatem, famam carpit, honestatem dissipat, solvit affectus, innocentiam tollit, pietatem sepelit, necessitudinem scindit, amicitiam subruit (*Serm.* 126. *P. L.* 42, 547).

S. Gregorius M. : *Divitiae* suffocant verbum, quia importunis cogitationibus suis guttur mentis strangulant, et, dum bonum desiderium intrare in cor non sinunt, quasi aditum flatus vitalis necant (*Hom.* 15. *in Evang. n.* 3. *P. L.* 76, 1133). — Rarum valde est, ut qui *aurum* possident, ad requiem tendant, cum per semetipsum Veritas dicat « *Difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum coelorum* » (*Moral. l.* 4. *praef. c.* 3. *P. L.* 75, 635).

Ejus amor venalis et vilis,

S. Isidorus Hispal. : Omni peccato pejor est *amor pecuniarum.* Unde per Salomonem dicitur. (*Eccles.* 10, 10): « *Nihil est scelestius, quam amare pecuniam* » ; hic enim animam suam venalem facit (*Sentent. l.* 2. *c.* 41. *n.* 3. *P. L.* 83, 643).

S. Leo M. Doct. Eccl. (✠ 461): *Amori pecuniae* vilis est omnis affectio; et anima, lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit (*Serm.* 60. *c.* 4. *P. L.* 54, 345).

Perniciosus et inexstinguibilis.

Petrus Blesens. : Servus pecuniae, pro nummo *apostata,* in nummo *idololatra* (*Serm.* 42. *in fest. omn. Ss. P. L.* 207, 691). — O pecuniae amor, o *tinea* cordium, *rubigo* mentium *languor,* pessimus animarum, virtutum subversio, germen vitiorum. Quomodo divitum *corda excaecas,* ut, quanto amplius habeant, tanto minus habere se credant! (*Tract. de Hieros. pereg. P. L.* 207, 1068).

S. Innocentius III. (✠ 1216): O ignis inexstinguibilis, *cupiditas insatiabilis!* Quis autem cupidus primo fuit voto contentus?... Insatiabilis est *oculus cupidi ;* cum enim

Digitized by Google

adipiscitur, quod optaverat, desiderat ampliora; semper in habendis, non in habitis finem constituit... Oculi hominum insatiabiles. « *Sanguisugae vero duae filiae sunt, quae dicunt: Affer, affer!* (*Prov.* 30). — Quam multos seduxit *cupiditas*, quam plures perdidit *avaritia! Balaam* asella redarguit quia, captus cupiditate promissorum, disposuerat maledicere Israeli. *Achan* populus lapidavit, quia tulit aurum et argentum de anathemate. Naboth interemptus est, ut *Achab* ejus vineam possideret. *Giezi* leprâ percussus est, quia petit et recepit aurum et argentum et vestes sub nomine Elisaei. *Judas* laqueo se suspendit, quia vendidit et tradidit Christum. *Ananiam* et *Saphiram* subitanea mors extinxit, quia de pretio agri defraudaverunt Apostolos (*L.* 2. *de contempt. mund. c.* 6 *et* 9. *P. L.* 217, 719. 720).

Exempla s. Scripturae.

S. Hieronymus: In Actis Apostolorum (*c.* 4. *v.* 5), quando Domini nostri adhuc calebat cruor et fervebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas, et *pretia* earum *ad Apostolorum deferebant pedes*, ut ostenderent, *pecunias* esse *calcandas*, dabaturque singulis, prout cuique opus erat (*Epist.* 130. *n.* 14. *P. L.* 22, 1118).

S. Basilius: Qui veri sunt *monachi*, nequaquam vindicant sibi terrestria, sed disceptant de *coelestibus*, eademque singuli individuis quibusdam portionibus apud se quisque integra recondunt. *Virtutis* enim *possessio* est, et *recte factorum divitiae et laudanda avaritia*, et lacrymarum expers rapina, et insatiabilis aviditas coronam consecuta; et reus efficitur, quisquis vim non facit. Rapiunt omnes et nemo afficitur injuriâ, ob idque pax has divitias dispensat. — Oportet *monachum* ab omni privatâ rerum terrenarum possessione liberum esse. Etenim nisi hoc facit, primum quidem exactam ac sinceram *societatem privatâ possessione corrumpit*; deinde vero ostendit se et valde *incredulum*, ut qui diffidat Deo, quasi eos, qui in nomine Ipsius fuerint congregati, nutriturus non sit, neque audierit Davidem prophetam dicentem (*Ps.* 36): « *Junior fui, etenim senui, et non vidi*

Verae monachorum divitiae.

Digitized by Google

justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem » (*Constitut. monast. c.* 18. *n.* 3. *et c.* 34. *n.* 1. *P. Gr* 31, 1383. 1423). — Apotheca communis sit, *nec quidquam ceu cujusvis proprium nominetur*, non vestimentum, non calceamentum, non quidvis aliud quod ad necessarium corporis usum pertineat. Sed *usus* sit penes praefectum, ita ut, quod cuique convenit, id ex communibus tribuatur juxta moderatoris praeceptum (*Serm. asceticus* 1. *n.* 5. *P. Gr.* 31, 878).

Nihil monachis proprium.

Omnibus caute utendum.

Cassianus : *Utensilia ac vasa* monachi tantâ sollicitudine curâque *custodiunt*, ne quid ex eis *imminuatur* vel *pereat ;* ut credant, se etiam pro minimis quibusque vasis, tanquam pro *sacrosanctis*, Domino rationem reddituros. — Si quid fuerit monasterio illatum, ut *sacrosanctum* cum omni decernunt reverentiâ debere tractari (*L.* 4. *de instit. coenob. c.* 19 20 *et P. L.* 49, 179 *sq.*).

Joan. Trithemius, Abb. : Monachus, si de permissione Prioris codicem, imaginem vel simile aliquid in cella possidet, noverit sibi *usum rei permissum*, proprietatem seu dominium vero prohibitum (*De propriet. monach. c.* 9).

Superflua amputanda,

Clemens Alexandrinus († *c.* 220): Victus, qui inundat et obruit *sufficientiam*, homini multum officit, animam segnem et inertem reddit, corpus vero valetudinarium, quod in morbos facile prolabitur, efficiens (*L.* 2. *Paedag. c.* 1. *P. Gr.* 8, 390).

S. Augustinus : Res alienae possidentur, cum *superflua* possidentur (*In Ps.* 147, 12. *P. L.* 37, 1922).

Sufficientia amanda.

S. Joan. Chrysostomus : Nihil ita sublimitatem virtutis ostendit et magnitudinem animi, si *nihil superfluum possideas* (*Hom.* 33. *sup. Matth. n.* 5. *P. Gr.* 57, 384). Nolimus *superflua* desiderare, sed sufficientiam, et sic semper ditabimur (*Hom.* 16. *sup.* 1 *Cor. n.* 6. *P. Gr.* 61, 138). — Id, quod neque cum fit, prodest, neque si non fiat, officit, sane *superfluum* est (*Hom.* 20. *sup.* 1. *Cor. ibid.* 166). — Quae *superflua* sunt, imminuenda, et sufficientia sola amanda (*Hom.* 10. *sup.* 2. *Cor.*). — Res *superflua* et *inutilis*, nihil aliud, quam damnum parit

Digitized by Google

(*Serm.* 10. *sup. Ep. ad Phil. n.* 3 *P. Gr.* 62, 259). — Qui nihil ultra *necessariam sufficientiam* requirunt, illi sunt in omni alacritate et splendore (*Hom.* 1. *sup. Ep. ad Coloss. n.* 6. *ibid.* 307).— Si praesentibus *pro sufficientiâ* utamur, coeli erimus cives, et magnâ fulti fidentiâ (*Hom.* 7. *de poenit.*).

Julianus Pomerius (*Saec. V*) : Quidquid, sine quo potest vivi, percipitur, non sustentandae vitae, sed movendae luxuriae carnis impenditur. (*L.* 2 *de vita contempl. c.* 17. *n.* 1. *P. L.* 59, 862).

Monachus necessariis contentus.

S. Columbanus, Abb. (✠ 615) : *Monachis*, quibus pro Christo mundus crucifixus est et ipsi mundo, *cupiditas calcanda;* nimirum, dum non solum superflua eos habere damnabile est, sed etiam velle; quorum non census, sed voluntas quaeritur; qui relinquentes omnia et Christum Dominum cum timoris cruce quotidiani sequentes in coelis habent thesauros. Idcirco, dum in coelis multa sunt habituri, parvo et *extremae necessitatis censu* in terris debent esse *contenti;* scientes lepram esse cupiditatem monachis. Ideo ergo nuditas et *facultatum contemptus* prima perfectio est monachorum, secunda vero purgatio vitiorum, tertia perfectissima Dei continuata dilectio ac divinorum jugis amor, qui terrenorum succedit oblivioni (*Regul. c.* 4. *P. L.* 80, 211).

Initium perfectionis.

S. Bernardus : « *Dividebatur*, ut scriptum est, *singulis prout cuique opus erat.* » Non igitur, quod quisque pueriliter gestire poterat (*Apol. ad Guil. Abb. c.* 10. *n.* 24. *P. L.* 182, 912). — *Tolle superflua*, et salubria surgunt; utilitati accedit, quidquid cupiditati demis (*Serm.* 58. *sup. Cant. n.* 11. *P. L.* 183, 106).

Tolle superflua.

Hugo a S. Vict., Can. regul. Paris. (✠ 1142) : Quidquid *superfluum* habetur, mortiferum est (*Sup. regul. D. Aug. c.* 9. *P. L.* 176, 912).

Hugo de Folieto, Can. regul. et Card. (✠ 1174): — Exterior *superfluitas* animi nuntiat vanitatem. — Detur delicato, *quod sufficiat*, ne deficiat; non, quo superbiat (L. 2. *de Claust. animae c.* 18. *P. L.* 176. 1070).

Digitized by Google

Cibi parcitas,

S. Bonaventura : Non est evangelici pauperis, gaudere *superfluis* et luxibus indulgere (*In spec. disc. part.* 2. *c.* 6.)

S. Antoninus, Archiep. Florent. (✠ 1459) : Nihil est quod sic sensum obstruat et phantasiam deordinet, sicut *cibi superfluitas* (*Part.* 4. *tit.* 4. *de temper.*). — Ad *victum necessarium* pauca sufficiunt et paucis pauperes voluntarii sunt contenti (*P.* 4. *tit.* 12. *c.* 3. § 1).

Monastica simplicitas.

V. Ludovicus Blosius, Abb. Laetiens. (✠ 1566) : In vestitu, sicut et in victu, sobrius esto. Quidquid *monasticae simplicitati* contrarium est, id prorsus rejice, conspue et detestare (*Spec. Mon. c.* 7).

Quid superfluum.

Joannes de Fano, O. Cap. (✠ 1539) : *Superfluum* est illud, quo sublato, reliquum sufficit; pretiosum abundat, si vile satisfacit (*In discurs. sup. observ. paupert. FF. Minor.*)

Thomas a Jesu, Ord. Carm. (✠ 1627) : Ea *superflua* appellamus, quae neque ad vitam neque ad decentiam status Religiosorum sunt necessaria. Quare superfluum pensandum est ex omnibus circumstantiis Religionis personae, loci, temporis, officii etc. Unde, qui in unâ Religione judicatur moderatus usus, in altera ut superfluus merito rejicitur; et quod intra eandem Religionem uni est necessarium, respectu alterius judicatur superfluum, et quod alicui tempore infirmitatis conveniens opportunumque est, id restitutâ sanitate eidem concedere verae derogat paupertati (*In cap.* "*non dicatis*" *p.* 4. *c.* 6).

Moderata sit refectio,

S. Fulgentius, Ep. Ruspens. (✠ 533) : *Refectione* tuâ non voluptas expleatur, sed sustentetur infirmitas. (*Ep.* 2. *ad Gallam c.* 13. *n.* 27. *P. L.* 65, 318).

S. Joan. Chrysostomus : Vis *nutrire corpus*, reseca quod est supervacaneum, et, quod sufficiat, subministra. Nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic aegritudinem fugat, sicut *moderata refectio. Sufficiens modus* et voluptas est et alimentum et sanitas; plus autem et pernicies est fastidium et aegritudo (*Hom.* 29. *sup. Ep. ad Hebr. n.* 4. *P. Gr.* 63, 208). — Nostri victus terminus sit, quod non

Digitized by Google

laedat, quod famem sine offensione depellat; ac nihil ulterius requiramus (*Orat. 6. de providentia et fato. P. Gr.* 50, 772).

S. Gaudentius, Ep. Brixiens. († *c.* 420) : Utendum est ciborum licentiâ, *non abutendum;* ut sciamus, nos non edendi causa esse natos, sed vivendi (*Serm.* 15. *P. L.* 20, 954).

Cellae modestia,

P. Blesens. (*de Blois; Cancell. et Archidiac. in Angliâ* † 1200) : Ad exempla domus illius, de quâ scriptum est : « *In domo Patris mei mansiones multae sunt,* » habet unusquisque *cellulam* et *mansiunculam* suam, ut contemplationi et orationi liberius vacet. Sic enim in scholâ evangelicâ Veritas nos informat dicens : « *Tu autem, cum oraveris, intra cubiculum tuum et clauso ostio ora Patrem tuum* » (*Matth.* 6, 6 (*Ep.* 86.) *P. L.* 207, 268).

S. Hieronymus : Asella virgo, unius *cellulae* clausa angustiis, latitudine *paradisi* fruebatur (*Ep.* 24. *P. L.* 22, 427).

Petrus Venerabilis, Abb. Cluniac. († 1158) : Sit *cella* tua vacua pecuniâ, repleta justitiâ, indigens opibus, referta virtutibus. Ne in *cellâ* tuâ spatium relinquas, ut, cum Deus virtutibus suis cuncta repleverit, nullus diabolo, nullus acediae, nullus reliquis vitiis locus supersit (*L.* 1. *ep.* 20. *P. L.* 189, 95. 98).

Pauper supellex,

Joannes a Jesu Maria : Quidquid ultra s. imaginem, lectum, mensam, sedile, paucos libros, lucernam, scopam, quae sufficiens est monachis *supellex*, admittitur, perfectis monachis idolum quoddam videtur esse, quod in loco sancto adversus divinae majestatis cultum statuitur (*Discipl. claustr. p.* 2. *c.* 11).

Gerardus Belga : Illa solum religiosa et *necessaria cellae supellex* est, si monachum habeat et crucifixum. Pauper enim nullo modo est, qui, praeter Deum, vel quantillum, quod habet, amat, vel quantillum, quod non habet, desiderat. — Frustra mundum deseruit, qui quidquam ejus sibi retinuit. Id vero unum liceat, id unum libeat monacho habere, quod nemo potest eripere, Deum et virtutem (*Ex ejus dictis et factis apud Buzelin*).

Digitized by Google

Vestitus monachi sacer et pauper et mystico plenus sensu;

S. Hildegardem, Abbatiss. († 1179), Deus sic allocutus est : *Vestitus monachorum* vestitui aliorum populorum non assimilatur, quia et ipse integer incorruptam Incarnationem Filii Mei, quae plurimum distat a procreatione aliorum hominum, ostendit... Hujusmodi enim vestitus secundum coruscationem supernorum spirituum cum alis subtilitatis suae circumvolat et *Incarnationem* ac *sepulturam Filii Mei designat;* quia Incarnationis signum in suo vestitu habet, qui se ad fortissimam obedientiam exhibet; et signum sepulturae Ejus in ipso vestitu portat, qui in operibus justitiae saecularibus causis abrenuntiat (*Scivias l.* 2. *v.* 5. *P. L.* 197, 487).

S. Joan. Chrysostomus : Monachis *vestis* est fortitudine digna. Non enim juxta enervatos et molles induuntur, sed juxta beatos illos Angelos, *Eliam, Elisaeum, Joannem,* secundum *Apostolos* (*Serm.* 68. *in Matth. n.* 3. *P. Gr.* 58, 644).

S. Hildegardem Dominus allocutus est : Spiritus Sanctus cordibus electorum suorum suspiria vitae habentium inspiravit, ut sicut in lavacro baptismi crimina populorum abluuntur, ita et ipsi *in significatione passionis Filii* mei saeculares pompas abjicerent. Nam ut homo a diabolicâ potestate in sancto baptismate convertitur, crimina veteris maculae abjiciens; sic et isti terrenas causas in signo *vestitûs* sui abnegant, in quo etiam et angelicum signum habent. Quomodo? Ipsi enim in voluntate meâ protectores populi mei positi sunt (*Scivias l.* 2. *v.* 5. *P. L.* 197, 488).

S. Hieronymus : Aut loquendum nobis ut vestiti sumus, aut vestiendum ut loquimur (*Ep.* 54. *n.* 7. *P. L.* 22, 553). — Tunicam mutas cum animo (*Ep.* 58. *n.* 2. *ibid.* 580).

Est abjectionis et humilitatis insigne.

S. Ephrem : Considera *habitum* quo indutus es, o monache, et cerne, quantum sit inter hunc saecularemque discrimen, diligenterque animadverte, quidnam ille designet. Constat quippe, quod *saecularium rerum significet abjectionem* spiritualiumque operationum recordationem adferat (*De virtute c.* 9. *tom.* 1. *p.* 225).

Digitized by Google

Innocentius III. (✠ 1216) : Provideat unusquisque diligenter et attendat studiose, ut *signum sine significato non ferat*, ut *vestem* sine virtute non portet, ne forte similis sit sepulcro de foris dealbato, intus autem omni plenus spurcitiâ. Quisquis enim *sacris indumentis* ornatur et honestis moribus non induitur, quantum venerabilior apparet hominibus, tanto indignior redditur apud Deum (*De myst. altaris l.* 1. *c.* 64. *P. L.* 217, 799).

S. Bernardus : Ecce *habitus noster humilitatis* esse solet *insigne* (*Apolog. ad Guilelm. Abb. c.* 10. *n.* 25. *P. L.* 182, 913).

S. Basilius M. : De *vestimentis calceamentisve* non ea exquirenda nobis sunt, quae sunt elegantiora, sed, *quae viliora*, ea diligenda; ut in hâc re etiam animi nostri *humilitatem significemus*, neque opinionem nimis elegantium aut nosmetipsos amantium et a fraterna caritate abhorrentium incurramus, quando is satis a caritate humilitateque se disjunctum declarat, qui primas desiderat (*Constit. monast. c.* 30. *P. Gr.* 31, 1419).

Joan. Cassianus : *Vestis* sit monachi, quae corpus contegat tantum et repellat nuditatis verecundiam et frigoris retundat injuriam, non quae seminaria vanitatis aut elationis enutriat (*De coenob. inst. l.* 1. *c.* 3. *P. L.* 49, 64).

S. Bernardus : Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, et *exterior superfluitas interioris vanitatis indicium* est. Mollia indumenta animi mollitiem indicant (*Apolog. ad Guilelm. Abb. c.* 10. *n.* 24. *P. L.* 182, 912).

S. Thomas Aqu. Doct. Eccl. (✠ 1274): Competit religiosis *vilitas vestium* : quia religio est status poenitentiae et contemptûs mundanae gloriae (*II. II. qu.* 187. *art.* 6 *in corp*).

S. Pachomius Abb. (*saec. IV*): Cucullae singulorum habebunt monasterii signa (*Regul.* 99 *P. L.* 23, 75).

Cur peculiaris monachi habitus.

Haeften, Prae pos. Affligeniens. (✠ 1648): Causae peculiaris Monachorum habitus septem : 1/ ut *index* sit *Professionis* et separationis a saecularibus ; — 2/ ut Religiosi vel inviti cogantur recte vivere ; — 3/ ut vilitate vestium *mundi*

Digitized by Google

contemptum profiteantur ; — 4/ habitûs mutatio *morum conversionem* designat ; — 5/ *Paupertatis votum* insinuat ; (" *monasterii vestimentis induatur*" *S. Reg.*) — 6/ amor et *studium virtutum*, quae ipsâ vestimentorum formâ aut colore mystice designantur ; — 7/ ut Religiosi intuentes se *habitu Patriarchae ac fundatoris sui indutos* et quem *tot Sancti ejusdem Ordinis* meritis et vitâ quasi consecrarunt, primo erubescant, quod ab eorundem vestigiis tam longe dissiti sint ; deinde etiam ad eorundem *imitationem* se generose excitent (*Disqu. mon. l.* 5. *tract.* 1. *disqu.* 3).

Color niger.

Petrus Venerabilis, Abb. Cluniacens. (✠ 1158): Visum est Patribus illis magnis *nigrum vestium colorem* magis humilitati, magis poenitentiae, magis luctui convenire. Quibus studiis quia totam monachi vitam invigilare oportet, decreverunt, ut color moribus, vestes virtutibus, quâ possent, cognatione jungerentur (*L.* 4. *ep.* 17. *n.* 24 *P. L.* 189, 334).

Acta SS. Gallactionis et Epistaemii, Mart. (*Saec. III.*) : Eos, qui sunt *nigro pallio* induti, dixit, similes esse Angelis, nimirum qui *se a mundo separant* et ab his, quae sunt mundi ; et servant virginitatem, et elegerunt habere vitam Christo consimilem. (*Sur. tom.* 6. *c.* 9).

Haeften : *Color niger :* 1/ memoriam mortis inculcat ; — 2/ ingerit memoriam alterius mortis sc. spiritualis vel mortificationis ; — 3/ poenitentiae et luctus symbolum ; — 4/ humilitatem mentis insinuat ; — 5/ stabilitatem et perseverantiam religiosam denotat, quia niger color nullo unquam modo in alium transmutari potest (*Disqu. mon. l.* 5. *tract.* 10. *disqu.* 2).

Caputium monachi insigne.

S. Hildegardis : *Caputium singulare signum monachi* est, significans, ne hac vel illac ad saeculum prospiciat, cum illud super caput suum habet (*Explanat. in Reg. S. Benedicti P. L.* 197, 1062).

Vita S. Gilberti de Sempringham (✠ *a.* 1189) : Forma habitus ejus erat *Tunica* et *pallium*, in loco fibularum praeconsutum, et *inseparabili caputio* (*Vita breviss. n.* 7. *ap. Boll. t. I. Febr.*).

Digitized by Google

Joannes, Patriarch. Hierosolymit. (✝ 406): Lumborum accinctio et *ambitus zonae pelliceae significat, Monachum debere mortificationem* illorum membrorum *circumferre,* in quibus luxuriae seminaria continentur. Ut ita videlicet sint lumbi ejus *zonâ pellis emortuae* exterius praecincti, quatenus interius inveniantur seminaria coitus in eâ prorsus extincta et decantet digne cum Prophetâ: « *Factus sum sicut uter in pruinâ,* » quia scilicet praeditus gelu continentiae, ita stringo in lumbis conscientiae concupiscentiae carnalis ardorem sicut pruina congelando perstringit utrem (*Ad Capras. mon. c.* 3. *int. apocr.*). *Cingulum pelliceum mortificationis symbolum.*

S. Hieronymus: *Zona pellicea* quâ cinctus fuit *Joannes Baptista* et *Elias* mortificationis symbolum est (*In S. Matth. c.* 3. *n.* 4. *P. L.* 26, 29).

S. Dorotheus, mon. Palaestin. (*saec. VI*): Quemadmodum *ex pelle mortuâ zona conficitur,* ita et nos voluntates omnes omnesque delicias et illecebras ac desideria carnis mortificemus (*Doctr.* 1. *n.* 13. *P. G.* 88, 1633).

Ceolfridus, Abb. monast. Gyrici. (*Jarrow. in Angliâ* ✝ 719): Oportet eos, qui Monachi votum habentes arctioribus se necesse habent pro Domino continentiae frenis adstringere, *formam* quoque *coronae,* quam Dominus Ipse in passione suâ spineam portavit in capite,... suo quemque *in capite per tonsuram praeferre,* ut se etiam irrisiones et opprobria pro Illo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant, ut *coronam vitae aeternae,* quam repromisit Deus diligentibus se, se semper exspectare proque hujus perceptione et adversa se mundi et prospera contemnere designent (*Epist. in Histor. eccl. V. Bedae l.* 5. *c.* 21. *P. L.* 95, 278). *Monastica capitis corona.*

S. Petrus Damianus: Nos, qui mundi abrenuntiatores dicimur, qui terreni fluctus naufragium evasisse gloriamur, cur ad illud denuo, velut quodam vertice violenter absorbente, relabimur? Cur ad ea, quae pro divino amore contempsimus, retrogradis nitentes gressibus, male aestuanti *Abjectum possidendi desiderium.*

Digitized by Google

desiderio recalemus? Cur non veremur, illud inhonestae ambitionis importunitate repetere, quod neque terrena jura neque divinae legis auctoritas vetuerat possidere? Porro nos fecimus, ut a nobis juste possessa jam nostra non fierent, et quae nostri juris erant, in alienum dominium translata prodirent. Quod ergo consilium fuit, in tam periculosum nosmetipsos certamen adducere, ut contra omnium humanarum divinarumque legum decreta, quarum videlicet pace fruebamur, nunc necesse sit dimicare? (*Opusc.* 12. *c.* 2. *P. L.* 145, 253).

S. Bernardus : Quid insipientiae, imo quid insaniae est, ut, *qui majora reliquimus, minora* cum tanto discrimine *teneamus!* Si mundum contempsimus universum, si abrenuntiavimus affectibus propinquorum, si monasteriorum carceri mancipavimus nosmetipsos, si denique non venimus facere voluntatem nostram, sed imposuimus homines super capita nostra, quid non oportet fieri, ne forte contingat haec omnia nobis in insipientiâ nostrâ et negligentiâ deperire? (*Ep.* 385. *n.* 4. *P. L.* 182, 589).

Pauper esto spiritu.

V. Ludovicus Blosius : Pauper esto! Quomodo pauper? Pauper rebus, magis tamen pauper rerum affectibus et animi passionibus : *pauper spiritu.* — Quidquid Deus non est, id in corde tuo per adhaesionem sive inordinatam implicationem non sit (*Spec. Monach. c.* 8).

Es rege ditior.

S. Joan. Chrysostomus : Nihil est ditius eo, *qui paupertatem suâ sponte eligit* et cum magnâ animi alacritate. Quomodo? Dico, et, si vultis, eum, qui suâ sponte paupertatem eligit, *ipso rege ditiorem* esse pronuntio. Nam *hic* quidem eget multis et est sollicitus ac timet, ne ei deficiat militaris commeatus ; *ille* autem omnia habet affatim et de nullo timet, nedum de tam multis (*Hom.* 18. *in ep. ad Hebr. n.* 3. *P. Gr.* 63, 138).

S. Augustinus : *Monachi* magni viri, sancti, quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei ; inde vivunt ; cum lectione illis res est ; laborant manibus suis, inde se transigunt. *Non avare aliquid petunt ;* quidquid eis infertur

Digitized by Google

a piis fratribus, cum sufficientiâ et cum caritate utuntur. Nemo sibi usurpat aliquid, quod alter non habeat ; omnes se diligunt, omnes invicem se sustinent (*In Ps.* 99. *n.* 12. *P. L.* 37, 1278).

S. Petrus Damianus : *Paupertas* monachi securitas est mentis; securitas mater est puritatis (*Opuscul.* 12. *c.* 25 *P. L.* 145, 278).

Gillebertus, Abb. de Hoilandia († 1172) : Monachi non de crastino cogitant nec de hodierno quidem, *omnem curam projicientes* in Ipsum, qui eis praeest ; non praemium, sed solum quaerentes regnum Dei (*Serm.* 23. *in Cantic. n.* 3. *P. L.* 184, 121). *Monachi nihil solliciti.*

S. Joan. Chrysostomus : *Paupertatem* semper consectemur. Ista enim *magnum bonum* est. Sed humilem facit, inquis, et infimum. Hoc quippe opus nobis est; multum namque nobis hoc conducit. Paupertas quippe, inquit, humiliat virum. Et iterum Christus dixit : « *Beati pauperes spiritu.* » An ideo doles, quod *viam habes ad virtutem* ducentem? Nescis, quia ista multam *fiduciam* nobis tribuit? Sed sapientia, inquis, pauperis pro nihilo habetur. Et iterum alter quidam dixit : « *Divitias et paupertatem ne dederis mihi; et ex camino paupertatis libera me.* » Quomodo autem si divitiae et paupertas ex Deo sunt, malum est paupertas aut divitiae? Quare ergo haec dicta sunt? *Haec dicebantur in Veteri Testamento,* ubi multa ratio divitiarum habebatur, ubi paupertatis plurimus erat contemptus, ubi hoc quidem maledictum erat, illud benedictio. Nunc nequaquam ita est. Sed vis audire paupertatis praedicamenta? *Ipsam professus est Christus*, et dixit : « *Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* » Et iterum discipulis dicebat : « *Nolite possidere aurum neque argentum nec duas tunicas.* » Et Paulus scribens dicebat : « *Tanquam nihil habentes et omnia possidentes.* » Et Petrus dicebat : « *Argentum et aurum non est mihi.* » Et in ipso Veteri Testamento, ubi in admiratione habebantur divitiae, quinam erant mirabiles? nonne *Elias*, qui praeter melotidem nihil habebat? nonne *Elisaeus?* nonne *Paupertas virtutum mater;* *Christus eam professus.*

Digitized by Google

Joannes? Nemo igitur sit humili et dejecto animo propter paupertatem! Non est paupertas, quae facit humilem, sed divitiae, quae cogunt quemquam opus habere plurimis, multis gratias habere compellentes. — *Dives servus est*, obnoxius existens damnis et tribuens omni volenti eum nocere. — Valde *fortis est pauper;* non habet, unde injuriam patiatur vel laedatur. Dives undique facilis est ad captivandum; contingit eidem, veluti si aliquis funes trahat multos et longos et facile sit eum apprehendere. Sunt enim servi, aurum, argentum, et decem millia rerum et innumerae curae et discrimina multa, necessitates plurimae, quae omnibus eum captu facilem reddunt; nudum autem haud facile quis capiat. Nullus igitur jam *paupertatem* calamitatis causam esse putet. Si enim virtus adsit; omnes divitiae mundi ut lutum, ut stipula non erunt illi comparandae. Hanc igitur consectemur, si voluerimus intrare regnum coelerum. « *Vende omnia tua,* » inquit, « *et da pauperibus et habebis thesaurum in coelo.* » Et iterum : « *Difficile est divitem intrare in regnum coelorum.* » Vides, quemadmodum, *etiamsi non adsit, accersi debeat?* Tantum videlicet bonum est paupertas. Est enim manuductrix quaedam in viâ, quae ducit ad coelum, unctio athletica, exercitatio quaedam magna et admirabilis, portus tranquillus. — Nemo igitur causetur de paupertate, tanquam causa sit multorum malorum, neque contradicat Christo, qui perfectionem illam dixit esse virtutis dicens : « *Si vis perfectus esse.* » Hoc enim Ipse et verbis dixit et operibus ostendit et per discipulos suos docuit. *Sectemur ergo paupertatem!* Quotquot sponte pauperes sunt, *omnia bona* habent, et quod omnibus majus est, *fiduciam* habent ad Deum (*Hom.* 18. *in Ep. ad Hebr. n.* 2 *et* 3. *P. Gr.* 63, 236).

Non pauper, sed dives servus.

S. Paupertatis laus.

Meum ac tuum sit abiectum verbum.

S. Joan. Chrysostomus : Ubi *meum* et *tuum* non est, ibi secura versatur pax et concordia (*Hom.* 33. *super Gen. n.* 3. *P. Gr.* 53, 309). — Absit a te *meum* ac *tuum!* Abjectum omnino illud verbum est, quod multorum causa est bellorum (*Hom.* 72. *super Matth. n.* 3. *P. Gr.* 58, 671).

Digitized by Google

S. Basilius : *Meum* et *tuum* in fratribus dici vetat Scriptura (*Act.* 4, 32) : « *Erat enim*, inquit, *omnium credentium cor unum et anima una: nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat* » (*Regul. fusior.* 32. *n.* 1. *P. Gr.* 31,995).

Joan. Cassianus : In monasteriis, in quibus aliqua remissius indulgentur, hanc regulam videmus strictissime nunc usque servari, ut *ne verbo quidem* audeat quis *dicere aliquid suum*, magnumque sit crimen ex ore monachi processisse, codicem *meum*, tabulas *meas*, graphium *meum*, tunicam *meam;* proque hoc dignâ poenitentiâ satisfacturus sit, si casu aliquo per subreptionem vel ignorantiam hujusmodi verbum de ore ejus effugerit (*De institut. coenob. l.* 4. *c.* 13. *P. L.* 49, 168). — Idem vetant expresse *fere omnes Regulae* : cf. S. Augustin. Regul. c. 1.; Regul. Tarnatens. c. 14; Aurel. Arelat. Regul. mon. c. 25; Regul. S. Ferreoli c. 10; Regul. S. Fructuosi, c. 4.

Consuetudines **S. Benigni** Divionens. (*Dijon*) : *Monachus omnia dicit nostrum*, nisi de patre vel matre vel de peccato (*N.* 31).

S. Paupertas amanda.

S. Fructuosus : Ruditas et parcimonia ciborum, et lectulorum duritia amplectatur (*Regul. c.* 8. *P. L.* 87, 1104).

Ludovicus Blosius : *Paucis contentus* esto, et *simplicibus delectare* (*L.* 1. *Ench. Parv. Doctr.*).

S. Bernardus : Quid fortius *monachis*, *quibus* tribulatio pro solatio, contumelia pro gloriâ, *inopia prô abundantiâ* ducitur? (*Serm.* 93 *de divers. n.* 2. *P. L* 183. 716).

S. Ferreolus, Ep. Uceticens. (*Usez* in Galliâ ✠ 558) : « *Habentes victum et vestitum, his contenti sumus.* Nam, *qui volunt divites fieri*, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes, naufragaverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, *o homo Dei, haec fuge!* Sectare vero justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem! Certa bonum

Digitized by Google

certamen fidei; apprehende vitam aeternam, in quâ vocatus es et confessus bonam confessionem coram multis testibus. Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et CHRISTO JESU, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem, ut serves mandatum sine maculâ, irreprehensibile usque in adventum Domini nostri JESU CHRISTI! » (1 Tim. 9). *Studete, fratres, ut hoc, quod ad unum hominem,* i. e. ad Timotheum *scribitur, ab unâ Congregatione servetur* (*Regul. c.* 14. *P. L.* 66, 964).

S. Paupertas nobilitat et honestat.

S. Bernardus : *Nobilis* revera *titulus paupertatis,* quam ipse Deus ore commendans prophetico : « Ego sum, ait, vir videns paupertatem meam » (*Thren.* 3, 1). *Super omnes regios thesauros hic vos titulus nobilitat* amplius et reddit illustrem... Quomodo me possum cohibere a laude illius, qui post aurum abire jam desiit et sperare contempsit in pecuniae thesauris? De quali nimirum viro Scriptura sic loquitur : « *Quis est hic, et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vitâ suâ* » (*Eccli.* 31)... Cur dignus laudibus non erit, quem sui quoque nominis Deus laude dignatur, dicente David : « *Pauper et inops laudabunt nomen tuum?* » (Epist. 23. n. 1-3. P. L. 182, 126). — Ei, qui in *Bethlehem* voluit nasci, non sublimia quaerenda erant palatia, ubi cum gloriâ Rex gloriae susciperetur. Non propter hoc a regalibus illis sedibus venit : « In sinistrâ Ejus divitiae et gloria, in dexterâ longiturnitas vitae (*Prov.* 3, 16). Horum omnium aeterna *in coelis* affluentia suppetebat, sed *paupertas non inveniebatur* in eis. Porro in terris abundabat et superabundabat haec species, et *nesciebat homo pretium ejus. Hanc* igitur *Dei Filius concupiscens descendit, ut eam eligat Sibi,* et nobis quoque suâ aestimatione faciat pretiosam. Adorna thalamum tuum, Sion; sed humilitate, sed paupertate. In his enim pannis complacet Sibi, et Mariâ testimonium perhibente his sericis delectatur involvi (*Serm.* 1 *in Vigil. Nat. Dom. n.* 5. *P. L.* 183, 89).

A verbo incarnato electa.

Virtutibus cognata et parens.

S. Petrus Chrysologus : Quod sit *virtutibus cognata paupertas,* et terrena et coelestis comprobat disciplina. *Athleta* ad luctam nudus accedit; confligit et cum fluctibus

Digitized by Google

nauta nudus. *Miles* in acie nonnisi expeditus astat. Et qui tendit ad *Philosophiam*, totum, quod in rebus est, ante contemnit. Est ergo virtutibus cognata paupertas; et si paupertas *virtutum parens et socia* hic habetur, sapere conveniet. Quare ad virtutis officium *pauperes Deus* sic *elegit*. Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes, germanitas combinata, imo paupertas geminata, in Apostolorum principes eliguntur. Erant censu pauperes et innocentiâ locupletes; arte viles, sed vitae merito pretiosi (*Serm.* 28 *P. L.* 52, 278).

Apostoli pauperes.

Petrus Blesensis : Apud Deum celebris et *gloriosus* est *titulus paupertatis* (*Serm.* 43. *P. L.* 207, 693).

S. Laurentius Justinianus (✠ 1455) : *Paupertas* etiam spiritualibus donis se amplectentem *divitem facit*. «Qui namque carnalia et terrena propter Salvatorem nostrum dimiserit, recipiet spiritualia, quae comparatione et merito sui ita erunt, quasi pro uno *centenarius numerus* comparetur » (*S. Hieronymus in Matth. l.* 3. *c.* 19). Non enim sanctus vir ideo terrena deserit, ut hic in mundo possidere multiplicius possit. Sed per *centenarium numerum*, qui a Domino pauperibus omnia relinquentibus pollicetur, *perfectio* designatur. *Quid* igitur *paupertate melius?* quid *securius?* quid *jucundius?* Tristentur omnes, cuncti gemant, formident universi; haec semper hilaris, semper eodem vultu, eodem animo perseverat. Bonum coeleste praestolatur possidere in coelo. Idem *nihil habet, quod possit amittere in terrâ*. Frequenter evolat ad supernam patriam, ubi remuneratorem suum esse cognoscit. Talis est pulchritudo, tales thesauri ; et haec est perfectio et perfectionis celsitudo hujus *beatae paupertatis*, quâ velut quodam monili se ornant, quicunque per internam dulcedinem et coelestem contemplationem Deo adhaerere desiderant ; et hanc uti fundamentum spiritualis exercitii et adjutorium suae exercitationis praecipuum assumunt (*De pauper. c.* 2).

Centuplum spirituale perfectio.

Nihil paupertate beatius.

S. Augustinus : Totum mundum reliquit *Petrus*, et totum mundum *Petrus* accepit (*Serm.* 3. *in Ps.* 103. *n.* 16. *P. L.* 37, 1371).

Omnia relinquens omnia accipit;

Digitized by Google

Centuplum.

Joannes Cassian. : *Centuplam* fratrum parentumve recipiet quantitatem, quisquis, patris unius vel matris seu filii pro Christi nomine caritate contemptâ, in omnium, qui Christo deserviunt, dilectionem sincerissimam transit, pro quo scilicet *tot* inveniet *patres fratresque*, ferventiore ac praestantiore sibi affectione devinctos. Multiplicatâ etiam *domorum atque agrorum possessione* ditabitur, quisquis, unâ domo pro Christi dilectione rejectâ, innumera Monachorum habitacula tanquam propria possidebit, in quâcunque orbis parte velut in suae domus jure succedens. Quomodo autem non centuplum, et si Domini nostri sententiae superadjici aliquid fas est, *plus quam centuplum* recipit, qui, decem vel viginti servorum *ministeria* infida et coactitia derelinquens, tot ingenuorum ac nobilium spontaneo fulcitur obsequio? (*Coll.* 24. *c.* 26. *P. L.* 49, 1325).

Praesentia adjicientur.

S. Joannes Chrysostomus : Cur non das reddituro, et plurima reddituro, Christo? Fortasse quia et post multum temporis redditurus est? Atqui et in hâc vitâ dat; mentiri enim nequit Ille, qui dixit: « *Quaerite primum regnum coelorum, et haec omnia adjicientur vobis.* » Vident liberalitatem indigentem? Illa, inquit, tibi asservantur nec minuentur; haec vero *praesentia quasi additamentum* adjicio (*Hom. 7. in Ep. ad Rom. n.* 8. *P. Gr.* 80, 451).

S. Bernardus : « Non solum in futuro vitam aeternam possidebitis, sed et *in praesenti centuplum accipietis*, non solum in bonis spiritualibus, sed et in temporalibus, si cor non apposueritis » (*Ep.* 462. *n.* 7. *P. L.* 182, 666).

Monachi providentiae filii.

S. Eucherius, Ep. Lugdunensis (*Lyon,* ✠454): Aluit Dominus in deserto suos quondam, sed et nunc *alit;* et illos quadraginta annis, hos vero quousque anni erunt (*Ep. de laude eremi. n.* 29. *P. L.* 50, 707).

S. Petrus Damianus : Nos minimae fidei, compellimus Christum esse tenacem. Nempe *pusillanimorum diffidentia* facit pauperem Christum; at plena fides divitem illum et largum in exhibendis experitur (*Opusc.* 12. *c.* 8. *P. L.* 145, 260).

Digitized by Google

Praestantia s. paupertatis.

B. Albertus Magnus: († 1280): *Nihil Deo carius*, nihil *Angelis amabilius*, nihil *hominibus fructuosius*, quam in paupertate obediendo vitam finire (*De Paradiso animae part.* 1. *de virtut. c.* 5).

Dominum glorificat,

Cassiodorus: Videamus, quam sit *gloriosa* ista paupertas, quam *felix* probetur inopia, quae *Dominum et tacita laudat* et de potentiae Suae virtute concelebrat; mutus est, si psallat superbus; pauper et inops laudant Deum, etiam quum videntur habere silentium (*Exp. in ps.* 73. *v.* 20. *P. L.* 70, 534). — *Pauperes Christi* sunt, qui non solum pro suis malis, verum etiam *pro totius calamitatibus mundi intercedere comprobantur;* egent in hoc saeculo, sed sunt locupletes Deo; vitiis vacui, sed virtutibus pleni; despecti hominibus, sed acceptabiles Deo (*Introd. in ps.* 101. *ibid.* 705).

Coeli pretium est,

Joan. Cassianus: *Pauper Dei* est, qui terrena cupiditate vacuatus, coelesti desiderat largitate ditescere (*Sup. Ps.* 9).

S. Basilius M.: *Beatus* est, qui ea possidet, quae maximi pretii aestimantur, qui bonorum, quae auferri non possunt, particeps est (*Sup. Ps.* 1. *n.* 3. *P. Gr.* 29, 215).

S. Augustinus: Non tibi displiceat paupertas tua; *nihil ea ditius* potest inveniri. Vis noscere, quam locuples sit? *coelum emit* (*Serm.* 99. *n.* 4. *in app. P. L.* 39, 1936).

S. Laurent. Justinianus: Disce, o religiose, nihil proprium habere in saeculo, ut coelestem haereditatem consequi merearis in coelo (*Serm. de ramis palmarum*).

Quoddam est martyrium.

S. Bernardus: Quid sibi vult, quod *eadem promissio pauperibus et martyribus* facta sit, scilicet regnum coelorum, nisi quia *genus martyrii est voluntaria paupertas?* Quod martyrii genus gravius, quam inter epulas esurire; inter vestes multas et pretiosas algere; paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, ostentat diabolus, desiderat noster appetitus? Utrisque ergo regnum promittitur, sed paupertate emitur, in passione sancti martyrii absque dilatione percipitur (*Serm. I. de omnib. Sanct. n.* 15. *P. L.* 183, 462).

Digitized by Google

Quinque pauperum genera.

Petrus Comestor: Ex collatione aliarum paupertatum commendatio paupertatis voluntariae plenius eluceat. Sunt enim *quinque genera paupertatum*: paupertas *infelicitatis*, paupertas *cupiditatis*, paupertas *superfluitatis*, paupertas *calliditatis*, paupertas *voluntatis*. Primam habet mendicus, secundam avarus, tertiam prodigus, quartam paries dealbatus, quintam vir compeditus. Prima est *flagellum*, secunda *venenum*, tertia *ventilabrum*, quarta *umbraculum*, quinta *aedificium*. Prima est *miseria*, quia cruciat, secunda est *noxia*, quia necat, tertia *ventosa*, quia inflat, quarta est *dolosa*, quia dissimulat, quinta est *gloriosa*, quia coronat (*Serm.* 32. *P. L.* 198, 2798).

Petrus Blesensis: Cui offertur portio in terra viventium, contemnenda est possessio terrenorum (*Tract. de Hier. peregrin. P. L.* 207, 1068).

S. Paupertas hic jam in coelum evehit;

S. Bernardus: Magna quaedam *penna* est *paupertatis*, quâ tam cito volatur in regnum coelorum. Nam in aliis virtutibus, quae sequuntur, promissio futuro tempore indicatur; paupertati non tam promittitur, quam datur. Unde et praesenti tempore enuntiatum est; « *quoniam ipsorum est regnum coelorum*, » quum in ceteris dicatur, « *haereditabunt*, » « *consolabuntur* » et similia (*Serm.* 4. *in Advent. Dni. n.* 5. *P. L.* 183, 49).

Omnia possidet in Deo.

S. Leo M.: *Semper dives* est Christiana paupertas, nec pavet in isto mundo indigentiâ laborare, cui datum est *in omnium rerum Domino omnia possidere* (Serm. 42. n. 2. P. L. 54, 276).

Julianus Pomerius (*Saec. V*): Quoniam *nemo possidet Deum, nisi qui possidetur a Deo*, sit ipse primitus Dei possessio et efficietur ei *Deus possessor et portio.* — Et quid potest eo esse felicius, cui efficitur suus Conditor census? quid ultra quaerit, *cui omnia suus Conditor* fit? aut quid ei sufficit, cui Ipse non sufficit? — Qui vult Deum possidere, renuntiet mundo, ut sit illi *Deus beata possessio* (*L.* 2. *de vit. contempl. c.* 16 *P. L.* 59, 460).

Goffridus, Abb. Vindocinens. (*Vendôme*) et Cardinal.

Digitized by Google

(✝ 1132) : Nemo unquam se pro Deo pauperem fecit et Deum habere nequivit (*L.* 5. *ep.* 10. *P. L.* 157, 194).

Theofridus Abb. Epternacens. (*Echternach*, ✝ 1110): O quam *praeclara paupertas*, quae post carnis mortem coeli et terrae meretur divitias ! (*L.* 2. *epitaph. sanct. c.* 6. *P. L.* 157. 357).

Deus pauperis proprietas.

S. Petrus Damianus : Cum mundo renuntiavimus proprietatem nostram Deum esse constituimus ; et nos illius proprietas consequenter effecti sumus, ut et ille esset *portio nostra* et nos peculiariter *haereditas sua* (*Opusc.* 12. *c.* 4. *P. L.* 145, 254).

S. Paupertatis divitiae et honor.

Petrus Blesensis : « *Apertis thesauris suis, obtulerunt* (Magi) *Domino aurum, thus et myrrham* » (*Matth.* 2). Beati, qui thesauros habent, de quibus possunt proferre quae offerantur Domino... Quid autem facient pauperes et pannosi discipuli Christi, filii Petri, quorum vox est : « *Aurum et argentum non est mecum ?* » (*Act.* 3) Porro paupertatem suam summas divitias reputant, qui « *nihil habentes et omnia possidentes,* » Christum nudum nudi secuti sunt... De illis Apostolus dicit (1. *Cor.* 1. 21) : *Gratias ago Deo meo, quod in omnibus divites facti estis justitiâ et in omni verbo et sanctitate, ita ut nihil desit vobis in ullâ gloriâ...* » O dives paupertas ! o nuditas honorabilis, quae in coelo inaestimabiles thesauros abscondis, de quibus potes incessanter capere et de his nihilominus abundanter offerre ! (*Serm.* 9. *in Epiph. Dom. P. L.* 207, 587). —Nonne *possidetis omnia, si habetis Eum, qui omnia habet ?* Cui Deus adest, nihil abest, et cui Christus sufficit, nihil deficit... Nonne jam delibant coelestis regni primitias, quorum « *conversatio in coelis est* » (*Phil.* 3), qui, contemptis possessionibus terrenis, nihil desiderant, nisi Christum, apud quem suum collocavere depositum ? Ideo voto et desiderio sunt in coelis. « *Nam ubi thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* » (*Matth.* 6) (*Serm.* 42, *in f. Omn. SS. ibid.* 691).

Gloriosa nuditas.

S. Gregorius M. : Quid sunt terrenae opes, nisi quaedam corporis indumenta ? qui ergo *ad certamen* properat, *indumenta abjiciat*, ne succumbat (*Hom.* 30 *in Evang. n.* 2. *P. L.* 76, 1233).

Securitas est.

Digitized by Google

S. Bernardus : *Nudus athleta* fortius dimicat; *natator* exuitur, ut fluvium transeat; *viator* rejectis sarcinulis bene cursitat (*Serm. in Coen. Dom. n.* 3, *in appen. P. L.* 184, 951).

B. Albertus M. : A quibus quisque abstinet, de illis *reddere rationem non oportet* (*Parad. anim. c.* 7).

Ludovicus Blosius : Quemadmodum *aurum deorsum* et *flamma ignis sursum*, ablato obice, naturaliter *fertur*, ita mens, quae ab omni proprietate jam defaecata depurataque est et solum divinum beneplacitum quaerit, naturaliter in suam originem, nempe Deum elevatur Eique liberius unitur (*Spec. Mon. c.* 8).

S. Gregorius Nyssenus, Ep. (✠ *c.* 400) : Pauper spiritu est, qui corporalem opulentiam animae divitiis permutat; qui *propter spiritum egenus* est, qui terrenas divitias veluti quoddam onus excussit, et abjecit, ut sublimis per aërem *sursum rapiatur* (*Orat.* 1. *de Beatit. P. Gr.* 44, 1207).

S. Bernardus : *Custos* et *magistra* est *virtutum* paupertas (*Serm. in Coen. Dom. n.* 3. *in app. P. L.* 184, 951).

Joan. Trithemius : *Nusquam tutior* est *conscientia monachi*, quam si nuda penitus fuerit ab omni substantiâ mundi. — Ordo monasticus ad hoc institutus agnoscitur, ut segregati a mundi curis monachi sine impedimento divina contemplentur (*De propriet. monach. c.* 8 *et* 9).

Humilitas cum paupertate jungenda.

Tertullian. (✠ 245) : Nullus profecto spiritu *pauper*, nisi *humilis* (*De patient. c.* 11. *P. L.* 1, 1378).

Cassiodorus : *Pauperes* Dei sunt, qui, mundanâ superbiâ derelictâ, *humilitati* se per omnia tradiderunt. Nam et *si pauper superbiat*, non est Dei pauper, et si locuples humilitatem diligat, non est saeculi dives. Voluntates enim talium sunt inspiciendae, non nomina (*Explan. in Ps.* 71. *v.* 2. *P. L.* 70, 507).

S. Hieronymus : Vilis tunica contemptum saeculi probat, ita duntaxat, ut animus non tumeat, *non habitus sermoque dissentiat* (*Ep.* 125. *n.* 7. *P. L.* 22, 1075). — *Humilita-*

Digitized by Google

tem sequere, non quae ostenditur aut simulatur gestu corporis, sed quae *affectu cordis* exprimitur. Aliud est enim virtutem habere, aliud virtutis similitudinem; aliud est rerum umbram sequi, aliud veritatem. Multo deformior illa est *superbia*, quae *sub quibusdam humilitatis signis* latet (*Epist.* 148. *n.* 20. *int. Apocr. ibid.* 1214).

S. Ambrosius : Qui *paupertate* contentus est, non est contentus injuriâ. Et qui potest ferre verberum poenas, exagitatur verbo contumeliae. Et qui potest administrationes contemnere, dolet sibi aliquem honorificentiae esse praelatum. *Grande est* hominibus, *tenere humilitatis mensuram* (*Serm.* 14 *in Ps.* 118. *n.* 20. *P.* L. 15, 1398).

S. Bernardus : *Si pharisaicâ jactantiâ* ceteros homines despicimus, *quid nobis prodest* tanta in nostro victu *parcitas et asperitas*, in vestitu notabilis illa vilitas ac diversitas, in opere manuum quotidiana desudatio, in jejuniis et vigiliis jugis exercitatio, totius denique vitae nostrae singularis quaedam atque austerior conversatio? nisi forte omnia opera nostra facimus, ut videamur ab hominibus. Sed dicit Christus : « *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* » (*Matth. c.* 6, 5). « *Nonne, si in hâc vitâ tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus?* (1. *Cor.* 15, 19) An vero non in hâc vitâ tantum in Christo speramus, si de Christi servitio temporalem tantum gloriam quaerimus? (*Apolog. ad Guilelm. Abb. c.* 1. *n.* 1. *P. L.* 182, 899).

S. Antonius de Padua : Beatus ille *pauper*, qui ducit in sponsam sibi *humilitatem* (*Serm. Dom. infr. oct. Nat.*).

Humilitatis notio.

S. Thomas : *Humilitas* essentialiter in appetitu consistit, secundum quod aliquis refrenat impetum animi sui, *ne inordinate tendat in magna*; sed regulam habet in cognitione, ut scilicet aliquis *non se existimet supra id esse, quod est.* Et utriusque principium et *radix est reverentia*, quam quis habet *ad Deum.* — Ex interiori autem dispositione humilitatis procedunt quaedam *exteriora signa* in verbis et factis et gestibus, quibus id, quod interius latet, manifestatur, sicut et in ceteris virtutibus accidit (*II. II. qu.* 161. *art.* 6).

Digitized by Google

— *Humilitas* praecipue respicit subjectionem hominis ad Deum (*II. II. qu.* 161. *art.* 1 *ad* 5). — Si nos *praeferamus id, quod est Dei in proximo*, ei, quod est proprium in nobis, non possumus incurrere falsitatem (*II. II. qu.* 161. *art.* 3 *ad* 2). — Aliquis absque falsitate potest *se credere et pronuntiare omnibus viliorem* secundum defectus occultos, quos in se recognoscit, et dona Dei, quae in aliis latent (*II. II. qu.* 16. *art.* 6 *ad* 1).

Humilitas coram Deo.

S. Augustinus : *Supra te Deus*, infra te pecora. Agnosce Eum, qui supra te est, ut agnoscant te, quae infra te sunt. Ideoque cum Daniel agnovisset supra se Deum, agnoverunt eum supra se leones (*Tract.* 8 *in ep. Joann. n.* 7. *P. L.* 35, 2039). — Laudabilior est *animus, cui nota est infirmitas propria*, quam qui ea non respecta, moenia mundi, vias siderum, fundamenta terrarum, et fastigia coelorum scrutatur (*In proœmio l.* 4 *de Trinit. n.* 1. *P.* L. 42, 885).

Est cognitio et abjectio sui.

S. Laurentius Justinianus : Humilitas est in lumine veritatis infuso *suimet certa cognitio* (*P.* 2. *de compunct. et complanctu ep.* 2).

Hugo a S. Victore (✠ 1142) : Humilitas est *contemptus saeculi*, et *abjectio sui* (L. 4 *de anima c.* 16. *in append. P. L.* 177, 189). — *Humilitatis comitatus* sunt principales, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, fides, spes et caritas (*De fructibus carn. et spirit. c.* 11. *int. dub. P. L.* 176, 1002).

Humilitas virtutum radix, custos, centrum.

Hugo a S. Charo, Card. (✠ 1260) : Vera humilitas est *sensus propriae vacuitatis* (*Sup. Ps.* 130. *v.* 2). Humilitas est *propriae vilitatis cognitio* (*Sup. Prov. c.*16. *v.* 1). — Ille *fructus congregat, qui* licet in virtutibus crescat, tamen in omnibus *humilitatem servat* (*Sup. Levitic. c.* 29. *v.* 23). — Humilitas pascitur contumeliis (*Sup. Ezech. c.* 22 *v.* 26). — Humilitas *fundum tenet aedificii* spiritualis et quasi *centrum virtutum.* Imo humilitas est virtus vel *circulus, cujus centrum ubique*, circumferentia nusquam (*Sup. Luc. c.* 9. *v.* 48).

Joan. Gerson : Humilitas est ex verâ Dei, et sui cognitione, *sui ipsius vilificatio* (*De descr. term.*).

Digitized by Google

Richard. a S. Victore (✝ 1173): *Humilis* est, qui seipsum apud semetipsum veraciter contemnit, *humilior* autem, qui se contemni etiam ab aliis non refugit; *humillimus* vero, qui contemptum suum non solum contemnit, sed et admodum concupiscit (*De Erudit. hom. inter. l. 2. c. 32. P. L.* 196, 1330). *Gradus humilitatis.*

S. Joan. Chrysostomus: Ille solus humilitatem animi vere consecutus est, qui sibi ipsi persuasit, quantumlibet peregerit, nihil se magnum gessisse (*Hom. 2 sup. ep. ad Philem. n. 3. P. Gr.* 62, 712). — *Via* quaedam est *ad perfectionem simplicitas* (*Hom. 7. sup. Act. Apost. n. 3. P. Gr.* 60, 67). — Humilitas virtus est et *sublimioris philosophiae mater* est et origo (*Hom. 38 sup. Matth. n. 2. P. Gr.* 57, 431). — *Nutrix dilectionis* humilitas est, et totius mali odii mater superbia; *totius boni initium* humilitas est et totius mali superbia (*Hom. 15 sup. Matth. n. 2. ib.* 223). — Ubique modum servemus, et bonis operibus nostris humilitatem *quasi fundamentum et scabellum* substruamus, ut secure virtutes superexstruere valeamus. Virtus enim non est, nisi conjunctam habeat humilitatem. Qui hoc fundamentum recte jecerit, poterit, in quantam voluerit altitudinem, structuram excitare (*Hom. 35. n. 7. P. G.* 53, 330). *Est sapientiae et virtutum origo, nutrix, fundamentum.*

S. Bernardus: *Humilitas duplex* est: altera *cognitionis*, altera *affectionis*, quae hîc dicitur cordis. *Priore* cognoscimus, quod nihil sumus, et hanc discimus a nobis ipsis, et ab infirmitate propriâ. *Posteriore* calcamus gloriam mundi, et hanc ab Illo discimus, qui « *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens,* » qui etiam quaesitus in regnum fugit, quaesitus ad tanta probra et ignominiosum supplicium crucis sponte obtulit semetipsum (*Hom. 4. de Advent. n. 4. P. L.* 183, 48). — Nisi *super humilitatis stabili fundamento*, spirituale aedificium stare minime potest (*Serm. 36 in Cant. n. 5. P. L.* 183, 969). — Descende ut ascendas, humiliare ut exalteris! (*Lib. de modo bene vivendi. c. 39. n. 100. in app. P. L.* 184, 1260). — Cum ex aliis quibuscunque bonis virium magis suarum capere soleat incrementum *superbia*, sola *humilitas* omnium propugnaculum quoddam turrisque virtutum, ejus fortiter resistit malitiae, *Humilitas intellectûs et cordis;* *Haec a* JESU *discenda.*

Digitized by Google

Humiliatio via ad humilitatem.

obviat praesumptioni (*Ep.* 42. *c.* 5. *n.* 17. *P. L.* 182, 821). — Si virtutem appetis *humilitatis*, viam non refugias *humiliationis*. Nam si non pateris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi (*Ep.* 87. *n.* 11. *P. L.* 182, 217). — *Verus humilis* vilis vult reputari, non humilis praedicari (*Serm.* 16. *sup. Cant. n.* 10. *P. L.* 183, 852).

Spirituale aedificium.

Hugo de Folieto (✝ 1174): In spirituali aedificio *fundamenti locus in imo*, i. e. in humilitate quaeritur, fundamentum in latitudine i. e. in caritate disponitur, in altum vero bonorum operum *paries* erigitur, sub spe divinae protectionis *tectum* desuper locatur ; sed necesse est ut in longitudine patientiae perficiatur (*De claustro animae l.* 3. *c.* 9. *P. L.* 176, 1107).

Humilitas semper et in omnibus.

S. Augustinus : Non aliam tibi *ad* capessendam et *obtinendam veritatem viam* munias, quam quae munita est ab Illo, qui gressuum nostrorum tanquam Deus vidit infirmitatem. Ea *est* autem *prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas* ; et quoties interroges, hoc dicerem ; non sint praecepta, quae dicantur, sed nisi humilitas omnia, quaecumque bene facimus, et praecesserit et comitetur et consecuta fuerit, et proposita quam intueamur, et apposita cui adhaereamus, et imposita quâ reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu *superbia*. Vitia quippe cetera in peccatis, superbia vero etiam in recte factis timenda est, ne illa quae laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur (*Ep.* 118. *n.* 22. *P. L.* 33, 442).

Despicientia sui.

S. Gregorius M. : Hoc proprium esse specimen electorum solet, quod de se semper sentiunt infra quam sunt... Qui enim necdum *semetipsum despicit*, humilem Dei sapientiam non apprehendit. Hinc in Evangelio Dominus dicit : « *Confitebor Tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*... Superbis saepe accidit, ut si quando unum quodlibet bonum vel minimum faciant, a malis suis omnibus respectum mentis protinus avertant, atque hoc, quod vel extremum bonum fecerint, totâ intentione semper inspiciant, et ex eo

Digitized by Google

sese jam quasi sanctos aspiciant (*Moral. l.* 34. *c.* 22. *n.* 43 *P. L.* 76, 742).

Est initium sanctitatis,

Ernaldus, Abb. Bonavallens. : Hic est primus *Religionis introitus*,... ut quicunque vult pie vivere, humiliter de se sentiat. *Fundamentum sanctitatis* semper fuit humilitas, nec in coelo stare potuit superba sublimitas (*De card. operib. Chr. n.* 1. *de Nat. Chr. P. L.* 189, 1619).

et securitatis,

S. Cyprianus : Acrius *divitibus* quam pauperibus invidetur ; et non inopes, sed *locupletes* inquietat infestatio saeva latronum. Plus *duces* et *principes*, quam milites, ab hostibus appetuntur in pugnâ ; et violentius propulsantur ventis et turbinibus *culmina*, quaecunque sunt altiora. — Ita magis magisque, quo plus ceteris unusquisque potest, sciat esse sibi metuendum, ne in aliquo minoretur (*De singularit. clericor. int. apocr. P. L.* 4, 946).

Fundamentum spiritualis aedificii.

S. Thomas Aquin. : *Humilitas* primum locum tenet in quantum scilicet *expellit superbiam*, cui Deus resistit ; et praebet hominem subditum et patulum *ad suscipiendum influxum divinae gratiae*, in quantum evacuat inflationem superbiae. Unde dicitur (*Jacob.* 4) quod « *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* » ; et secundum hoc dicitur humilitas *spiritualis aedificii fundamentum* (*II. II. qu.* 161. *art.* 5 *ad* 2).

S. Bernardus : *Virtutum* bonum quoddam et *stabile fundamentum humilitas* est ; si nutet, illa virtutum aggregatio nonnisi ruina est. — *Pretiosissimus fundus* virtus humilitatis est, *bonus fundus* humilitas, in quo omne aedificium spirituale constructum crescit in templum sanctum in Domino (*De consid. l.* 5. *c.* 14. *n.* 32. *et l.* 2. *c.* 6. *n.* 13. *P. L.* 182, 806. 750).

Humilis intentio.

S. Gregorius M. : Inventus *thesaurus absconditur*, ut servetur ; quia studium coelestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc *ab humanis laudibus* non abscondit. In praesenti etenim vitâ quasi in viâ sumus, quâ ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum, quasi quidam latrunculi obsident. Depraedari ergo desiderat, qui thesaurum publice portat in viâ. Sic autem sit

Digitized by Google

opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut et de bono opere proximis praebeamus exemplum, et tamen per intentionem, quâ *Deo soli placere quaerimus*, semper optemus secretum (*Hom.* 11. *in Evang. n.* 1. *P. L.* 76, 1115).

Nihil humilitate necessarius, antiquius.

S. Bernardus: nulla magis virtus necessaria est, quam *simplicitas humilis* (*Serm.* 3. *in Epiph. n.* 8 *P. L.* 183. 152). — In veritate didici, nihil aeque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris *non alta sapere* sed timere (*Serm.* 54 *in Cant. n.* 9 *P. L.* 183, 1142).

Joan. Cassianus : Humilitas est *origo* omnium, *magistraque virtutum* et coelestis aedificii firmissimum *fundamentum* (*Coll. l.* 15. *c.* 7. *P. L.* 49, 1005).

S. Bonaventura : Humilitas dicitur *caput*, sive *primatus virtutum* ceterarum eo, quod initium est, et *prima*, quae *ex omnibus virtutibus* habetur (*Sup. Ps.* 110.)

Joan. Cassianus : Nullo modo poterit in animâ virtutum structura consurgere, nisi prius jacta fuerint verae humilitatis in nostro corde *fundamenta*, quae firmissime collocata perfectionis et caritatis culmen valeant sustinere (*Inst. l.* 12. *c.* 32. *P. L.* 93, 474).

S. simplicitas.

S. Petrus Damianus: *Qui simpliciter* gradiens, *azymus est*, novum hominem induit; *qui in duplicitate, fermentum* est, et in vetustatis errore permansit (*Opusc.* 49. *c.* 8 *P. L.* 145. 727).

Humilitatis praestantia.

S. Joan. Climacus : *Humilitatis* signum est ignominiae perfecta toleratio (*Scala. parad. gr.* 5). Humilitas est *vilitatis abyssus*, furibus omnibus inviolabilis. Humilitas est *coeleste instrumentum*, quod ex abysso peccatorum in coelum animam levare potest (*ibid. gr.* 2). Proprie *interemptrix vitiorum* humilitas est, quam qui possident, omnia vincunt (*ibid. gr.* 26).—Qui mente est humili, voluntatem suam semper ut seductricem detestatur (*ibid. gr.* 25 *P. Gr.* 88, 779. 994. 1003. 1023. 999).

S. Isidorus Pelus., mon. (✠ *c.* 449): Animo atque *affectu potius, quam verbis humilem* te praebe ! (*L.* 1. *ep.* 342. *P. Gr.* 88, 378).

Digitized by Google

S. Antonius de Padua (✝ 1231): Humilis servum se reputat, servum se nominat, *omnium pedibus se subjicit*, seipsum abjicit, minus de se sentit, quam in se sit (*Serm. Dom. III. Quadrag.*). — Si humilitas corrumpitur, ceterarum virtutum fabrica dissipatur (*Serm. 2. Dom. III post Pascha*).

S. Gregorius M.: Humilitas *custos* est *virtutis*. — Qui sine humilitate virtutes congregat, in ventum pulverem portat (*Hom. 7 in Evang. n. 4. P. L. 76, 1102*).

S. Dorotheus: *Humilitatis filiae* sunt: sui ipsius accusatio, propriae voluntatis odium, consilii sui ac sensus abominatio (*Doctr. 1. n. 9. P. Gr. 88, 1627*). — Omnium fuit una sententia, ita *impossibile* esse *salvari animam absque humilitate*, ut navim sine clavis aedificari. Quidquid boni quisque egerit, id agat cum humilitate, ut per humilitatem conservetur, quod factum fuerit (*Doctr. 14. n. 2. ibid. 1775*).

Opera humilitatis quaerenda.

B. Albertus M.: Verus humilis semper timet, ne sibi aliqua gloria exhibeatur; et cum sibi exhibita fuerit, expavescens medullitus contristatur. — Ad veram humilitatem inducit *frequens in despectis operibus exercitatio*. — Nunquam autem ad humilitatis virtutem perveniet, qui *opera humilitatis* refugit (*P. 1. de Paradiso animae. c. 2. de virtute*).

Humilitas medicina et praesidium.

Joan. Trithemius: *Humilitas medicina* est animarum saluberrima, omnibus consulit, tumentia spiritus ulcera comprimit, tabescentia reficit, depravata corrigit, excrescentia tollit. — Sine verâ humilitate nemo salutem consequi potest. — Vera humilitas *magna facit*, et *de se sentit minima;* et quanto amplius profecerit, tanto infirmitatem suam profundius recognoscit. — Ubi vera est humilitas, *daemones subsistere nequeunt;* quoniam, sicut glacies ab igne resolvitur, ita maligni spiritus a praesentiâ humilitatis dissipantur (*Lib. 1. hom. 19 ad Monach.*). — Virtutum stabile *fundamentum* est humilitas, super quo quidquid constructum fuerit, nullo tempestatis turbine subvertetur. — Humilitate Christianâ *diabolus vincitur* et quasi clavo percussus fugiens superatur (*Lib. 2. serm. 1. ad Monach.*).

Digitized by Google

Humilitas sanctitatis mensura.

Vitae Patrum : *Arbor vitae* est in excelso, et ascendit ad eam humilitas. *Profectus hominis* est humilitas; quantum enim quis ad humilitatem inclinatus fuerit, tantum elevabitur ad profectum (*Lib.* 5. *libell.* 15. *n.* 49 *et* 77. *P. L.* 73, 962).

S. Macarius, monach. Aegypt. († 395 *vel* 404) : Totius *perfectionis verissima regula* haec est : Esto humilis (*In inst. Spir. c.* 8). — *Signum Christianismi* est ipsa humilitas (*Hom.* 15. *n.* 37. *P. Gr.* 34, 602).

S. Nilus, mon. († 451) : *Lapis pretiosus in aureo annulo* decorus est, et in virtutum corona inserta humilitas excellit... Incedit humilis super humum, et non cadit celeriter; qui autem excelsus est, si ceciderit, conteretur (*Tract. de octo spiritibus c.* 19. *P. Gr.* 79, 1163). — Humilitate gaude; altitudo enim ejus *firma* est nec ruere potest (*Capita paraenet. n.* 71. *ibid.* 1255). — Humilitas hominem *in coelum tollit* et inter choros collocat Angelorum (*Tract. de octo spiritibus c.* 18. *ibid.* 1163).

S. Augustinus : Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de *fundamento* prius cogita humilitatis; et quantum quisque vult super imponere molem aedificii, *quanto* erit *majus aedificium, tanto altius* fodit *fundamentum* (*Serm.* 69. *c.* 1. *n.* 2. *P L.* 38, 441). — Si ambules in humili, pervenies ad excelsum (*Serm.* 142. *c.* 2. *n.* 2. *ibid.* 778). — Ubi humilitas, ibi *caritas* (*In tract. sup. ep. Joan. prolog. P. L.* 35, 1977). — Humilitas *roborat*, superbia exstinguit *caritatem* (*Tract.* 1. *sup. ep. Joan. n.* 6. *ibid.* 1982).

S. Isidorus Hispal. : Tanto humilitate clarescas, quanto plus ceteris virtutum culmine coruscas (*In Reg. Monach. c.* 3. *n.* 2. *P. L.* 83, 781). — Etsi aliquid es, nisi *tanto te humilies, quanto magnus es*, perdes omnino quod es (*De conflictu vitior. et virt. n.* 6. *in app. ibid.* 1133).

S. Fulgentius : Tanto magis in te cognosce *Dei gratiam crescere*, quanto magis tibi humilitatem cordis videris abundare (*Ep.* 6. *ad Theodor. c.* 9. *n.* 12. *P. L.* 65, 352).

Digitized by Google

S. Dionysius Carthus. : *Tota* Christianae *sapientiae disciplina*, non in abundantiâ verbi, non in astutiâ disputandi, neque in appetitu laudis et gloriae, sed in verâ et voluntariâ humilitate consistit (*Sup. Ep. ad Philipp. c.* 2).

Dorotheus, monach. (*Saec. VI*) : *Corona est* humilitas ; *coronat* enim et *servat virtutes* omnes, et omnis virtutis perfectio eget humilitate; Sanctorum namque omnium profectus accessus est ad humiilitatem (*Doctr.* 14. *n.* 2. *P. Gr.* 88, 1775).

S. Joan. Chrysost. : Humilitas sola est, quae *caritatem* acquirit, *pacem* invenit, *sereno corde* totum intendit. (*Serm. de eo quod David dixit :* " *Quis sum ego ? II. Reg.* 7). — *Sacrificium* maximum humilitas est (*Hom.* 2. *sup. Psalm.* 50. *n.* 10. *inter spur. P. Gr.* 55, 587). — Habet virtus certe caput et membra;... *caput humilitas est*,... color faciei ejus..., quam rubicundus, quam floridus, quam gloriosus !... Constat ab erubescentiâ et pudore... Quod si oculos velis aspicere, considera modestiam, quanto decore, quantâ diligentiâ depingantur, unde... tam acri acumine pollent, ut vel Dominum Ipsum aspiciant... Huic capiti *os est sapientia* et intellectus (*Hom.* 47. *in Matth. n.* 3. *P. Gr.* 57, 485). — Qui *sibi nihil arrogat*, is vere humilis est; qui vero humilis est, is ad verae *sublimitatis cacumen volavit* (*Hom.* 65. *in Matth. n.* 6. *P. Gr.* 58, 623). — Nunquam humilitas est sine *magnitudine animi :* neque superbia sine pusillanimitate (*Hom.* 70. *sup. Joann. n.* 2. *P. Gr.* 59, 387). — Nihil aequale humilitati ; ipsa enim *mater* est et *radix* et *altrix* et *fulcimentum* et *vinculum bonorum* (*Hom.* 30. *in Acta n.* 3. *P. Gr.* 60, 225). — Nihil humilitate potentius, sed *petrâ* est *fortior, adamante solidior*, et in majorem nos *securitatem* collocat, quam queant vel turres vel urbes vel muri; omnibusque djaboli machinamentis sublimior (*Hom.* 20. *sup. ep. ad Rom. n.* 4. *P. Gr.* 60, 602). — Nihil tam admirabilem Christianum, quam humilitas, efficit (*Hom.* 1. *in ep.* 1. *ad Cor. n.* 2. *P. Gr.* 61, 15).

S. Gregorius M. : Quanto quis minus se videt, tanto minus sibi displicet. Et quanto majoris gratiae lumen perci-

Digitized by Google

pit, tanto amplius se reprehensibilem esse cognoscit (*Moral. l.* 35. *c.* 5. *n.* 6. *P. L.* 76, 753).

S. Basilius M. : Humilitas *virtutum thesaurophylacium* est (*Constit. mon. c.* 16. *P.Gr.*31,1378). — Fili, prae omnibus humilitati stude, quod est omni virtute sublimius, ut ad perfectionis fastigium possis conscendere (*In admonit. ad filium spirit. c.* 10. *inter spur. P. L.* 103, 692).

S. Anselmus : *Primus gradus* in monte humilitatis est *cognitio sui* (*De similit.* c. 101. *P. L.* 159, 665). — Alterius virtutem, non vitium; suumque vitium, non virtutem attendere debet, quisquis culmen humilitatis ascendere studet (*De similit. c.* 111. *ibid.* 670). — Humilitas *mons magnus* est, in cujus summitate lux est non modica et sanctarum virtutum pulcherrima turba (*De similit. c.* 100, *ibid.* 665).

S. Justus Urgelitens. Ep. (✠*c.* 540): *Simplicitas* spiritualium plurimum est veneranda; quia se nec extollere noverunt et conscia puritate magis Deo, quam hominibus placere contendunt (*Sup. Cant. c.* 4. *n.* 71. *P. L.* 67, 976).

S. Bonaventura : Solus humilis *evasor* est *laqueorum hostis* antiqui. Qui magis se humiliat, ille major est, et qui maxime, ille *maximus* est (*Serm.* 1. *in Hexam.*). — Quanto sumus humiliores, tanto sumus a tumore superbiae inaniores, et quanto inaniores a tumore superbiae, tanto *pleniores dilectione;* et quanto hâc pleniores, tanto majores. — Humilitas est clavis scientiae (*Sup. Luc. c.* 9 *et* 10). — Humilitas hominem Deo perfecte subjicit, *Deum sibi auxiliatorem facit*, quo hostis ignea tela contemnit. — Sine humilitate nulla virtus, nulla perfectio aut acquiritur aut servatur (*Serm. de uno Mart.*). — Quanto major et purior fuerit humiliatio et promptior, tanto plenior erit gratiae recuperatio et gloriae remuneratio. — *Magnitudo humiliationis* attenditur in difficultate injuncti operis, *puritas* in simplicitate intentionis, *promptitudo* in alacritate executionis (*L.* 2. *de Profectu Relig. c.* 39). — Humilitas est brevis *scala devotionis*, brevis *schola perfectionis*, brevis *via salvationis;* brevis scala si vis ascendere, brevis schola si vis addiscere, brevis via si vis

Digitized by Google

incedere (*Tit. 7. diaetae c. 1*). — *Summa religiosi virtus* est humilitas, quae ipsum curat, perficit, conservat (*In specul. disc. part. 2. c. 6*).

S. Hieronymus : Nihil habeas humilitate praestantius, nihil amabilius; haec est enim praecipua *conservatrix* et quasi *custos quaedam virtutum* omnium (*Ep. 148. n. 20. inter apocryph. P. L. 22, 1213*). — Haec hominibus sola perfectio, si imperfectos esse se noverint (*Ep. 133. ad Ctesiph. n. 6. ibid. 1154*).

S. Laurentius Justin. : Stat subjectus *humilis*, notus sibi, judicatus a se, prostratus omnibus, devotus Deo, benevolus fratribus (*De comp. c. 2*). — Congruit, ut *verus humilis*, quanto humanae fragilitati fas est, sit in omni virtute perfectus (*De humilitate c. 14*).

S. Bernardus : *Magna* et *rara virtus* profecto est, ut, *magna licet operantem, magnum te nescias* et manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, et *contemptibilem reputare*, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico. Fidelis reverâ famulus es, si de multâ gloriâ Domini tui, etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nihil tuis manibus adhaerere contingat (*Serm. 13. in Cant. n. 3 P. L. 183, 635*). — Nulla splendidior *gemma* in omni ornatu, quam humilitas (*L. 2. de consid. c. 6. n. 13. P. L. 182, 750*).

V. Ludovic. Blosius : Qui vere humilis est, magis *optat vilis et abjectus haberi*, quam sanctus (*In canon. vitae spirit. c. 8*). — Vera *humilitas intus in corde* quaerenda est ; si desit interna humilitas, externa nihil est, nisi hypocrisis (*In specul. spirit. c. 8*). — *Deus* inscrutabili sapientiae suae consilio saepe negligentiarum *naevos nobis inhaerere permittit, ut semper humiliemur* et de nobis penitus diffisi in eo speremus (*In canon. vit. spirit. c. 3*). — Solet Dominus permittere, ut in plerisque electis suis sibi carissimis semper aliquid vitii atque imperfectionis resideat, *quo sibi ipsis vilescant* et humiles permaneant. Experta id est *S. Gertrudis* nostra, de quâ Ipse Christus ita testatus est : « Electae hujus Meae, qui videntur defectus, juste plus vocari possent animae ejus profectus;

Digitized by Google

nam gratiarum abundantiam, quam in eâ continuo operor, vix humana fragilitas posset a vento inanis gloriae tueri, nisi virtutes ejus cognitioni sub defectibus absconderentur. Nam quomodo ager, quanto magis fimo uberior fuerit impinguatus, eo ditiorem quoque necesse est reddat segetem, ita haec quoque ex cognitione suae infirmitatis abundantiorem Mihi refert fructum gratiarum actionis » (*In canon. vit. spirit. c.* 7).

Gratiosa et beata humilis simplicitas.

S. Bonaventura : Humilitas est, quidquid in valore est *pretiosius*, quidquid in odore est *deliciosius*, quid in decore est *gratiosius*. — Humilitas est *gratiosa* instar floris speciosi, *luminosa* instar sideris radiosi, *virtuosa* instar lapidis pretiosi (*Tit.* 7. *diaetae. c.* 1.)

S. Gregorius M. : *Nihil simplici corde felicius*, quia quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est quod pati ab aliis formidet. Habet enim *quasi arcem* quandam fortitudinis simplicitatem suam (*L.* 12 *Moral. c.* 39. *n.* 44. *P. L.* 75, 1007). — *Fiducia magnae securitatis*, est simplicitas actionis (*P.* 3. *Reg. Pastor. c.* 11. *P. L.* 77, 65). — *Vera cordis simplicitas* est, quam fraus non obnubilat, non obtenebrat mendacium aut invidia, non obfuscat dolus, quam lux veritatis illuminat (*In Ps. poenit.* 5. *n.* 4. *P. L.* 79, 605). — Humilitatem, frater carissime, totis visceribus dilige, per quam cunctorum fratrum *concordia* et *unitas* valeat custodiri (*L.* 5. *ep.* 18. *P. L.* 77, 739). — *Apud omnipotentis Dei simplicem naturam*, multum humani cordis simplicitas valet (*L.* 3. *dialog. c.* 15. *ibid.* 256).

Humiles Deo accepti et hominibus.

S. Joan. Chrysostomus : *Humilibus quid jucundius ;* quid *beatius ?* qui cum Deo gratissimi sint, non parvam etiam ab hominibus, quam non quaerunt, gloriam reperire solent (*Hom.* 66. *in Matth. n.* 6. *P. Gr.* 58, 625). — *Vera modestia* est, quando cedimus his, qui nobis videantur esse minores, et eos veneramur, qui nobis videantur esse magis indigni, quam nos. Quod si recte sapimus, nullos etiam nobis esse minores arbitrabimur, sed *nos excelli ab omnibus hominibus dicemus.* Et hoc dico non de nobis, qui innumeris immersi sumus peccatis ; sed etiam si quis sibi plurimorum bene gestorum conscius sit. Nisi *apud se sentiat, quod omnium*

Omnibus se inferiores putant.

Digitized by Google

sit postremus, nulla ei futura utilitas est ex omnibus suis bonis et operibus (*Hom.* 33. *in. Genes. n.* 5. *P. Gr.* 53, 312).

S. Leo : Magna est *in verâ humilitate felicitas*, cui Deus dilectio, Deus sapientia, Deus consilium, Deus fortitudo est. — Multum ad roborandam dilectionem valet, cum secundum doctrinam Apostolicam invicem homines *se honore praeveniunt*, et *alter alterum superiorem existimantes* amant servire subjecti, et nesciunt tumere praelati (*Epist. ad Demetriad. c.* 24 *et* 3. *int. dub. P. L.* 55, 179, 163.)

Jucunda humilitas.

S. Hieronymus : Venerationi mihi semper fuit *sancta simplicitas* (*Tom.* 2. *ep.* 59. *ad Pam.*). — Nihil sic placet Deo sicut *simplicitas* et *innocentia* (*In reg. Monach. c.* 24. *in append. P. L.* 30, 389).

Eusebius Emes. Ep. (✠ 360): Ubi est humilitas, ibi *requies*, ibi *tranquillitas*, ibi omnis *serenitas* (*Hom.* 1. *in Epiph.*

S. Antonius de Padua : Sicut *magnes* trahit ad se ferrum, ita humilitas gratiam et coelestem consolationem (*P.* 3. *tit.* 6. *c.* 10 § 5).

Petrus Blesens. : *Nihil* est, quod *divinae Majestati familiarius* ac confidentius assistat, et *gratius*, quam vera humilitas (*Ep.* 134. *P. L.* 207, 399).

Humilitas cum caritate juncta.

S. Franciscus Sales., Episc. Geneviens. et Doct. Eccl. (✠ 1622): Humilitas arbori illi, quae in insulis Tyli enascitur, rubicundos flores suos per noctem occludenti et non nisi oriente sole eos recludenti, quos propterea insulani noctu dormitare dicunt, similis esse videtur. Sic namque *humilitas* omnes nostras *virtutes et perfectiones humanas tegit* et aperit, et *nonnisi caritate exigente eas exserit* et prodit, quae caritas, cum coelestis sit virtus, non humana sed divina, verus virtutum sol est, et in ipsas semper dominari debet, adeo, ut *humilitates, quae caritati praejudicant*, haud dubie *falsae* sint (*Philothea, seu introduct. ad vit. devot. p.* 3. *c.* 5).

S. Isidorus Hispal. : Esto *parvus in oculis tuis*, ut sis *magnus in oculis Dei*. Tanto enim eris apud Deum pretiosior, quanto fueris in oculis tuis despectior (*Synonym. l.* 2. *n.* 23. *P.*

Digitized by Google

Cum humilitate gravitas.

L. 83, 850). — Semper conscientia servi Dei *humilis* debet esse et *tristis*, ut per *humilitatem* non superbiat et per *utilem moerorem* cor ad lasciviam non dissolvat (*Sent. l.* 3. *c.* 19. *n.* 3. *ibid.* 694).

Imit. Christi : Quanto quis in se humilior fuerit, et Deo subjectior, tanto in omnibus erit *sapientior* et *pacatior.* (*L.* 1. *c.* 4).

Humilitas pacata et modesta.

Thomas a Kemp. : *Verus humilis* nescit inflari, spernit laudari, contemptus gaudet, laesus cito ignoscit (*In hortulo Rosar. c.* 9. *n.* 4).

Valerianus, Ep. Cemeliens. (*Saeculo V.*): *Humilitas blanda* est semper et *officiosa*, *in* amicitiis *grata*, in contumeliis otiosa. Non extollitur prosperis, non mutatur adversis... Officio prior ad salutandum, tardior ad sedendum... *Non se ambitiose desiderat salutari.* Non laudis studia postulat, non favorem vocis exspectat. — *Circumsepta* est *humilitas bonitate.* Ut facere injuriam nescit, ita a contumeliâ non requirit (*Hom.* 14. *n.* 6. *P. L.* 52, 737).

Mitis et humilis.

Hugo de Folieto : « *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* 11). Ecce *mel* humilitatis cum *dulcedine* mansuetudinis. Sicut mel concordat in confectionibus medicinae cum omnibus diversitatibus specierum, sic et humilitatis dulcedine condiuntur omnia genera virtutum. — Cum videmus eos, qui fuerant in saeculo divites, *in monasterio* fieri pauperes, nobiles servire et esse humiles, potentes subditos, sapientes vultu et habitu despectos, nonne isti per exemplum bonae operationis ponuntur in aedificio templi spiritualis? *Transferuntur* itaque *de monte superbiae ad montem justitiae*, de silvâ tortuosae saecularitatis ad rectitudinem vitae, et ad habitaculum sanctitatis (*De claustr. an. l.* 3. *c.* 8 *et* 11. *P. L.* 176, 1100).

Humilitas temperata et laeta.

S. Athanasius, Alexandr. Ep.: In magno illo Patre Antonio, nihil indecens solitudo, nihil asperum quotidiana cum hostibus bella contulerant, sed *temperata mens* aequali ad cuncta ferebatur examine. — Habebat *in vultu magnam gratiam* et admirabile a Salvatore etiam hoc munus acce-

Digitized by Google

perat. Si quis enim ignarus ejus inter multitudinem monachorum eum videre desiderasset, nullo indicante, ceteris praetermissis, ad Antonium currebat et animae puritatem agnoscebat ex vultu et per speculum corporis *gratiam sanctae mentis* intuebatur ; nam semper hilarem faciem gerens liquido ostendebat, se de coelestibus cogitare (*Vita S. Ant. c.* 13 *et* 40. *P. L.*73, 134, 156). — *Discipuli Apollo* Abbatis *exsultantes in solitudine* visi sunt, adeo ut nullam ejusmodi aliam exultationem in terrâ videre liceat nec laetitiam corporalem. Neque enim erat inter eos aliquis moestus aut tristis; sed si quis videbatur prae se ferre tristitiam, statim pater Apollo ex eo rogabat causam, et quae erant in occulto uniuscujusque cordis, renuntiabat. Dicebat autem : Non oportet esse tristes propter salutem, cum futuri simus haeredes regni coelorum (*In Vitis Patrum L. 8. c. 52. P. L.* 73, 1162).

Joan. Cassianus : Illa *tristitia*, quae poenitentiam ad salutem stabilem operatur, obediens est, affabilis, *humilis*, mansueta, suavis ac patiens, utpote ex Dei caritate descendens... et quodammodo laeta ac spe profectûs sui vegetata cunctam affabilitatis et longanimitatis retinet suavitatem, habens in semetipsâ omnes fructus Spiritus sancti, quos enumerat Apostolus : « *Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, continentia.* » Alia vero *tristitia* asperrima, impatiens, dura, plena rancore et moerore infructuoso ac desperatione poenali, eum, quem complexa fuerit, ab industriâ ac salutari dolore frangens ac revocans, utpote irrationabilis et intercipiens non solum orationum efficaciam, verum etiam universos, quos praediximus, fructus spiritales evacuans, quos novit illa conferre (*L.* 9 *de coenob. instit. c.* 11. *P. L.* 49, 368).

Sancta ejus tristitia.

Falsa tristitia.

Gerardus Belga : Tunc solida pax in coenobio, quando quisque colitur pro Domino, quisque alteri se exhibet pro servo. — Nemo monachum intueatur, qui non compungatur ; illic intueatur in speculo, quod quaerit in coelo.

Humilis proximum ut Dominum colit.

Smaragdus, Abb. monast. Virdunens. (*Verdun* ✠ 820) : Leniter, id est temperate vel placide, decet monachum

Humilis sermo lenis.

Digitized by Google

loqui, quia scriptum est (*Eccli.* 21): « *Verba prudentium staterâ ponderabuntur.* » Lenitas enim de fonte dulcedinis pariter procedit et pacis. Hinc Salomon ait (*Eccli.* 6): « *Verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos, et lingua gratiosa in bono homine abundabit.* » Hinc iterum ipse (*Prov.* 6): « *Favus mellis verba composita;* verba enim bene composita et proferentem honestant et gratiam audientibus subministrant (*Comment. in c. 7. s. Reg. gr.* 11. *P. L.* 102, 824).

S. Bernardus : *Sponsae humilitas* tanquam *nardus* spargit odorem suum, amore calens, devotione vigens, opinione redolens; sponsae humilitas *voluntaria* est, *perpetua* est, *fructifera* est (*Serm.* 42. *sup. Cant. n.* 9. *P. L.* 183, 992). — Decor animae humilitas est (*Serm.* 45. *sup. Cant. n.* 2. *P. L.* 183, 999).

S. Guilelmi humilitas.

S. Guilelmus (*Saec. VIII*) cum ducatui totique mundo renuntiasset crebro coram Abbate et fratribus eorum humiliter provolvebatur genibus petens et persuadens magnis obsecrationibus, ut concedatur ei et consentiatur pro misericordiâ Dei, *amplius adhuc abjici*, amplius *humiliari*, *vilissimum fieri* et *contemptui haberi.* Nulli ultra foret in memoriâ illa, quam reliquerat, dignitas et gloria; nemini Guilelmi nomen esset in reverentiâ, sed in illâ Congregatione sanctissimâ haberetur *purgamentum cunctorum* omniumque *peripsema.* Item postulat magnâ precum instantiâ, ut, si quae sunt in Monasterio officia, quae aliis quibusdam habeantur indigna vel quasi inhonesta seu indecentia, sive forte levia sive difficilia : haec sibi in Christi nomine injungantur providenda et bono animo bonâque conscientiâ pro viribus adimplenda. Hinc ad fratres se convertens... deprecabatur eos dicens, *ut omnes atque singuli pro servo illo utantur*, et quasi uni ex mercenariis ita ei imperare et sua quisque opera injungere minime revereantur... *Vult esse ut jumentum* et tanquam *pullus asini*, portare Fratrum onera in illâ domo Domini juxta illud Psalmistae in personâ animae sanctae ad obedientiam promptae : « *Ut jumentum factus sum apud Te et ego semper Tecum.* » Unde etiam, non exspectato impe-

Digitized by Google

rio, si quis fratrum *in officio vili et quasi contemptibili* detineretur, in quo etiam quasi locus injuriae vel contumeliae videretur, hujus nimirum frater Guilelmus mox aderat *vicarius, sublevator oneris, humilis operarius* et omnibus indiscrete unus hebdomadarius. (*Vita c.* 26. *ap. Mab. Acta sacc. IV. t.* 1.)

Superbia et vana gloria.

S. Isidorus Hisp.: Maxime per *cenodoxiam* subjicit sibi diabolus *monachum*, ut, quem per saeculi amorem retinere non potuit, ab humilitatis culmine subtrahat et superbiae tumore sibi subditum faciat. — Dei servus in bonis operibus cordis debet adhibere cautelam, ne per *vanam gloriam* perdat semetipsum ac pereat (*Sent. l.* 3. *c.* 22. *n.* 8 *et* 9. *P. L.* 83, 696). — Nulla major iniquitas est, quam *non in Deo, sed in se velle* quempiam *gloriari* (*Sent. l.* 1. *c.* 10. *n.* 16. *ibid.* 556). — Reverâ sine humilitate virtus quaelibet et sine caritate in vitio deputatur... *Superbia* sicut *origo est omnium criminum*, ita *ruina est cunctarum virtutum.* Ipsa est enim in peccato prima, ipsa in conflictu postrema. Haec enim aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut novissime de virtutibus dejicit. Inde et omnium peccatorum est maximum, quia tam per virtutes, quam per vitia humanam mentem exterminat (*Sentent l.* 2. *c.* 38. *n.* 5 *et* 7. *P. L.* 83, 639).

Superbia origo criminum, ruina virtutum,

Peccatorum maximum.

S. Gregorius Naz. Episc.: Excussâ omni *ambitione* non secus ac gravi domino et molesto morbo, ad supernae vitae studium meipsum transferre constitui (*Orat.* 7. *n.* 9. *P. Gr.* 35, 766).

S. Basilius M.: *Vanam gloriam*, quam maxime fugere convenit, quae nos non ante labores a laborando abducit, sed post labores *coronis spoliat* et... tanquam *insidiatrix salutis* nostrae virtutes... dejicere contendit. Ubi viderit pietatis mercatorem omnigenis *virtutum mercibus onerariam mentis navem* implevisse, tunc commotâ suâ procellâ evertere ac *submergere* navem *conatur.* — Fugiamus vanam gloriam, dulcem illum spiritualium divitiarum *praedonem*, jucundum animarum nostrarum *hostem*, virtutum tineam, non injucunde diripientem bona nostra; quae fraudis suae

Vana gloria virtutibus et coronis dolose spoliat,

Digitized by Google

venenum melle illinit, et mentibus hominum exitiosum poculum porrigit, ut hoc vitio inexplebiliter imbuantur. — Dulce quidem est *humana gloria* ineruditis, et, quos subegit, eos a recto judicio inducit in errorem (*Constit. mon. c.* 10, 1-2. *P. Gr.* 31, 1371).

Septiformem gignit nequitiam.

S. Ambrosius : *Inanis gloria*, cum plene mentem ceperit, mox *septiformem* in illâ *nequitiam gignit*, inobedientiam, jactantiam, hypocrisim, contentionem, pertinaciam, discordiam ac novitatuum praesumptionem (*Precat. 2. n. 3 in append. P. L.* 17, 756). — Vigilant *tentatoris insidiae* ut, ubi proficit devotio, subrepat elatio, et ut homo de bono opere in se potius, quam in Domino glorietur (*Ep. ad Demetriad. c.* 16. *inter dub. P. L.* 55, 175).

Insidiosa est et vana,

S. Augustinus : Vanitas laudis humanae nihil ad cibandum *affert*, nisi *inane et inflatum* (*Ep.* 118. *c.* 1. *n.* 6. *P. L.* 33, 434). — Erigis te, Deus confugit a te; humilias te, descendit ad te (*Serm.* 177. *in append. n.* 2. *P. L.* 39, 2033).

Dolium pertusum et scopulus.

S. Nilus : *Dolium pertusum* non retinet, quae sunt infusa; et inanis gloria *profundit virtutis praemia.* — Inanis gloria est veluti *scopulus sub aquâ latitans*, ad quem si navem illiseris, periisti. — Inani gloriâ laborans operarius est *mercedis expers;* laborem subiit et laboris mercedem perdidit (*Tract. de octo spiritibus c.* 15 *et* 16. *P. Gr.* 79, 1159).

Animae bestis et tyrannus;

S. Gregorius M. : *Alia vitia* eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur... *Superbia autem*, quam *vitiorum radicem* dicimus, nequaquam unius virtutis exstinctione contenta, contra cuncta animae membra se erigit, et quasi generalis ac *pestifer morbus* corpus omne corrumpit, ut quidquid, illâ invadente, agitur, etiam si esse virtus ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanae gloriae serviatur... Nonnunquam vero ad tantam elationem mens ducitur, ut in eo quod tumet, etiam per ostentationem locutionis effrenetur. Sed tanto facilius *ruina* sequitur, quanto apud se quisque impudentius exaltatur. Hinc enim scriptum est (*Prov.* 16, 18) : « *Ante ruinam exaltatur rex.* » Hinc per Danielem dicitur : « *In aula Babylonis deambulabat rex;*

Digitized by Google

responditque et ait: Nonne haec est Babylon magna, quam ego aedificavi in domum regni, in robore fortitudinis meae, in gloriâ decoris mei? » (*Dan.* 4, 26.) Sed hunc tumorem quam concita vindicta represserit, illico adjunxit, dicens: « *Cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de coelo ruit: Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex: Regnum transiet a te et ab hominibus te ejicient, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua; foenum quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te* » (*Moral. l.* 34. *c.* 23. *n.* 48. *P. L.* 76, 744).

Joan. Cassian.: Vana gloria cibus ejus est, qui *delectabili escâ mentem permulcet* ad tempus, *post* vero vacuam omnique virtute spoliatam reddet ac nudam, cunctis eam spiritalibus *fructibus sterilem inanemque dimittens*, ita ut non solum immanium laborum faciat merita deperire, verum etiam supplicia majora conquirat (*L.* 5. *de Coenob. inst. c.* 21. *P. L.* 49, 239). — Haec est subtilis *inimici versutia*, ut militem Christi *propriis faciat telis occumbere*, quem hostilibus armis superare non potuit (*L.* 11. *c.* 7. *ibid.* 406). — Saepe, qui in conflictu atque acie mortis evaserunt discrimina, *trophaeis propriis triumphisque succumbunt* (L. 11. *c.* 11. ibid. 410). — Athleta Christi, qui verum ac spiritualem agonem legitime certare desiderat, hanc multiformem variamque *bestiam* omnimodis superare festinet... (*L.* 11. *c.* 18. *ibid.* 418).

Permulcet, ut perdat,

Propriis occidit telis,

Est hydra,

S. Joan. Chrysostomus: Qui gloria inflatur,... nihil stabile et solidum habet et de illis gloriatur, quae fluminibus ipsis ocius praeterlabitur (*Hom.* 28. *sup. Gen. n.* 3. *P. Gr.* 53, 256). — Si glorificari cupis, *gloriam despice*, et eris omnibus gloriosior (*Hom.* 4. *in Matth. n.* 10. *P. Gr.* 57, 51). — Inanis gloria *tinea coelestis thesauri* est; ille est *fur*, qui aeterna regna furatur, qui immarcescibiles ab hominibus divitias aufert, qui tanquam *contagiosus morbus* omnia corrumpit (*Hom.* 71, *in Matth. n.* 3. *P. Gr.* 58, 666). — Omnia pene mala *servos diaboli* vexant; concupiscentia autem vanae gloriae non solum servos diaboli, sed etiam *servos Dei* impugnat,... magis autem servos Dei, quam servos diaboli (*Hom.* 13, *sup. Matth. inter spuria, P. Gr.* 56, 704). — Intolerabilis quae-

Inflat et difflat.

Est tinea, tur, morbus, ebrietas.

Digitized by Google

dam *ebrietas* est inanis gloria, et quem semel suae subjecit ditioni, is aegre in sanitatem restituitur. — Inani gloriâ nihil risu dignius, nihil turpius, nihil ignominiosius. — *Vera gloria* est, inanem gloriam ut nullius momenti contemnere (*Hom.* 2. *sup. Joan. n.* 6. *P. Gr.* 59, 43). — Omnium malorum causa est *gloriae insania*... Fugiamus hunc affectum, ut gehennam fugiamus. Hic namque maxime *ignem gehennae accendit;* hic diaboli undique ditionem propagat; hic aetatem et dignitatem omnem saevissimo premit imperio; hic ecclesias huc illuc distrahit, hic civilia opera corrumpit, *domos* funditus, *civitates*, *populos*, *gentes evertit* et, si in solitudinem venerit, multam et illic vim ostendit (*Hom.* 29. *sup. Joan. n.* 3. *ibid.* 170). — Grave quiddam gloriae inanis amor, grave inquam, et multarum ipsa spinarum plena gloria, et velut *fera* et multorum capitum *bestia* difficile tolli potest, quae in eos, a quibus fovetur, armata est. Quemadmodum *vermis* ligna, ex quibus nascitur, et *rubigo* ferrum consumit, ita inanis gloria altricem sui animam perdit (*Hom.* 30. *sup. Joan. n.* 1. *ibid.* 171). — Si gloriam quaeris, *veram gloriam quaere* et concupisce... Si gloriam amas, magis ama eam, quae a Deo est, si illam amaveris, hanc vanam despicies et ignobilem esse, et... quam sit foeda, quam ridicula, videbis (*Hom.* 28. *sup. Act. Apost. n.* 3. *P. Gr.* 60, 212).— Nihil inani gloriâ pejus... *Mater gehennae* est inanis gloria ignemque illum vehementer accendit vermemque pestiferum confovet. — Vanae gloriae cupidus similis illis est, qui *tempestatibus jactantur*, semper tremens, semper timens innumerosque dominos observans. (*Hom.* 17. *sup. ep. ad Rom. n.* 3 *et* 5. *ibid.* 568). — Gloria vana crudelis est *bellua*, *daemon* horrendus, communis totius orbis terrarum *pestis* et *vipera* venenata; ut illa dentibus matris parturientis uterum rumpit, sic vana gloria dilaniat obnoxios sibi (*Hom.* 35. *sup.* 1 *Cor. n.* 5. *P. Gr.* 61, 302). — Vana gloria, quando contemnitur, mansuescit; quando autem colitur, effertur et se armat contra se colentem. — *Umbra gloriae est* vana gloria, non gloria (*Hom.* 29. *sup.* 2. *Cor. n.* 5. *ibid.* 609). — O rem amaris lacrymis dignam! Omnia incendit vanae gloriae

Nihil ignominiosius.

Gehennam accendit, omnia subvertit;

Bestia est et vermis,

Procella, daemon, vipera,

Umbra, flamma, vanitas.

Digitized by Google

tyrannis, *flamma* illa nihil non vorans (*Serm.* 10. *sup. ep. ad Ephes. n.* 3, *P. Gr.* 62, 78). — Nihil humanâ gloriâ vilius, nihil abjectius... nihilque in se habet solidi atque veri (*Hom.* 2. *sup. ep. ad Tit. n*, 4. *ibid.* 675). — Fieri non potest, ut, qui non est purus vanâ gloriâ, sublimis, magnus et strenuus fiat (*Hom.* 29. *sup.* 2. *ad Cor. n.* 5. *P. Gr.* 61, 603). — Elegerim potius innumerorum barbarorum *servitutem*, quam semel unius inanis gloriae. Neque enim captivis illi suis talia praecipiunt, qualia subditis suis ista jubendo mandat. Omnium, inquit, servus esto..., animam contemnito, virtutem negligito, libertatem rideto, salutem tuam destruito, et si bonum quid feceris, non ad hoc facito, ut Deo placeas, sed ut multis ostentes et coronam, quae benefacientes manet, perdas. Et si eleemosynam dederis aut jejunaveris, laborem quidem sustineto, lucrum vero perdere studeto! Quid, quaeso, poterit crudelius fieri? (*Hom.* 17. *sup. Ep. ad Roman.* 9. *n.* 4. *P. Gr.* 60, 569). *Ejus tyrannis.*

S. Joan. Damascen. (✠ 754): Magno quidem animo sum in Deo; at meipsum tamen metior, *ne in gloriatione peream* (*Parall. litt. K. tit.* 7. *P. Gr.* 96, 82).

Joan. Trithem.: Dum laus de bono opere quaeritur, virtus in manus inimici traditur (*In c.* 4. *s. Reg.*). — Quanto quique gloriam in rebus exterioribus venari cupiunt, tanto a verâ gloriâ cum fatuis virginibus recedunt (*P.* 1. *de reg. claustr. tract.* 1. *Reg.* 1. *art.* 17). — Vanae gloriae vitium dejectum, acrius resurgit ad luctam, et, cum putatur extinctum, suâ morte vivacius convalescit (*L.* 2. *de tent. Relig. c.* 5). *Proditrix est,*

S. Gregorius M.: cum bene vivitur, valde cavendum est, ne mens despectis ceteris, de *gloriâ singularitatis* elevetur (*L.* 6. *Moral. c.* 31. *n.* 49. *P. L.* 75, 756). — *Cor carnalis* dum hujus vitae gloriam quaerit, humilitatem respuit (*Hom.* 32. *sup. Evang. n.* 5. *P. L.* 76, 1236). — Semper haec ad memoriam revoces, ut surgentem cordis gloriam *memoria reatûs premat* (*Liber* 11. *Ep.* 28. *P. L.* 77, 1140). — Qui in hâc vitâ gloriam percipit, quam reliquit, ab illâ cadit, quae post hanc venit. Qui gloria falsa subnixi sunt, *a gloriâ verâ evacuantur* *Verâ privat gloriâ;*

Digitized by Google

Nihil ignominiosius.

dam *ebrietas* est inanis gloria, et quem semel su ditioni, is aegre in sanitatem restituitur. — I nihil risu dignius, nihil turpius, nihil ignominiosi *gloria* est, inanem gloriam ut nullius momenti (*Hom.* 2. *sup. Joan. n.* 6. *P. Gr.* 59, 43). — Omniu causa est *gloriae insania*... Fugiamus hunc gehennam fugiamus. Hic namque maxime *ign accendit;* hic diaboli undique ditionem propagat et dignitatem omnem saevissimo premit imper sias huc illuc distrahit, hic civilia opera corr funditus, *civitates*, *populos*, *gentes evertit* et, si i venerit, multam et illic vim ostendit (*Hom.* 29. *ibid.* 170). — Grave quiddam gloriae inanis ar quam, et multarum ipsa spinarum plena glori et multorum capitum *bestia* difficile tolli pote a quibus fovetur, armata est. Quemadmodum ex quibus nascitur, et *rubigo* ferrum consu gloria altricem sui animam perdit (*Hom.* 30. *ibid.* 171). — Si gloriam quaeris, *veram glo* concupisce... Si gloriam amas, magis ama e est, si illam amaveris, hanc vanam despici esse, et... quam sit foeda, quam ridicula, v *sup. Act. Apost. n.* 3. *P. Gr.* 60, 212). — Nihil inar *Mater gehennae* est inanis gloria ignemque il accendit vermemque pestiferum confovet. — cupidus similis illis est, qui *tempestatibus j* tremens, semper timens innumerosque dor (*Hom.* 17. *sup. ep. ad Rom. n.* 3 *et* 5. *ibid.* 568). — delis est *bellua*, *daemon* horrendus, comm terrarum *pestis* et *vipera* venenata; ut illa parturientis uterum rumpit, sic vana gloria sibi (*Hom.* 35. *sup.* 1 *Cor. n.* 5. *P. Gr.* 61, 302). quando contemnitur, mansuescit; quand effertur et se armat contra se colentem. — vana gloria, non gloria (*Hom.* 29. *sup.* 2. *Cor.* rem amaris lacrymis dignam! Omnia ince

Gehennam accendit, omnia subvertit;

Bestia est et vermis,

Procella, daemon, vipera,

Umbra, flamma, vanitas.

Digitized by Google

firmi,
nqui-
voce,
Domi-
1043).
niseri
ngiti-
telam
46). —
ıvicem
st, non
gloriae

gloriae
m, qui
hophth.).
eichenau,
a carne
a, quae
ord. sup.

m terre-
o magis
ita tanto
vana nisi
na gloria
per aërem
ssime cur-

peratio tua,
ınari mundi
mmercium !
gni coelestis
ıa opera, quae
ropter vanam
bost Pasch).

Vana gloria musca et ventus.

Est calcanda,

Putrida et fluxa,

Bonum opus prostituit, perdit.

Digitized by Google

(*Epist. l.* 1. *Ep.* 5. *ibid.* 450). — Audiant simul omnes: « *Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam* » (*Jac.* 4. 6). Audiant omnes: « *Immundus est apud Deum omnis, qui exaltat cor suum* » (*Prov.* 16. *juxta* 70). Audiant omnes: « *Quid superbis, terra et cinis?* » (*Eccli.* 10, 9). Contra hujus languoris *pestem* audiamus cuncti, quod magistra Veritas docet, dicens: « *Discite a Me, quia mitis sum et humilis corde* » (*Matth.* 11, 29). (*Moral. l.* 34. *c.* 23. *n.* 53. *P. L.* 76, 748).

Exsecrandum delictum est,

S. Bernardus: Declinanda et exsecranda illa *praesumptio* est, quâ sciens et prudens forte audeas de bonis non tuis tuam quaerere gloriam; et quod certus es a te non esse, inde tamen alterius rapere non verearis honorem. Est quippe superbia et *delictum maximum*, uti datis tanquam innatis, et in receptis beneficiis gloriam usurpare beneficii (*De dilig. Deo. c.* 2. *n.* 4. *P. L.* 182, 977). — Vana gloria immanis est *bestia;* flatu igneo quidquid attigerit, necat (*Serm.* 13. *sup.* "*Qui habitat.*" *n.* 5. *P. L.* 183, 237). — Vana gloria *basiliscus* est (*Serm.* 14. *sup.* "*Qui habitat.*" *n.* 7. *ibid.* 241). — Time *sagittam;* leviter volat, leviter penetrat, sed dico tibi, non leve infligit vulnus, cito interficit. Nimirum sagitta haec vana gloria est (*Serm.* 6. *sup.* "*Qui habitat.*" *n.* 3. *ibid.* 198). — *Non videntes necat* inanis gloria, caecos et negligentes, qui se ei ostentant; qui se exponunt et non potius ipsi inspiciunt; non attendunt, non discutiunt illam, non vident denique, quam sit caduca, quam vana, quam inutilis (*Serm.* 14. *sup.* "*Qui habitat.*" *n.* 7. *ibid.* 242). — O stulti filii Adam, qui contemnentes pacem et gloriam appetentes, et *pacem perdunt et gloriam* (*Ep.* 126. *n.* 7. *P. L.* 182, 276). — Sicut ex alto *aquila* ad escam descendit, sic homo de alto bonae conversationis per vanae gloriae appetitum ad inferiora demergitur (*L. de modo bene viv. c.* 38. *n.* 98. *in append. P. L.* 184, 1259). — Superbia nonnisi unum pedem habet, propriae amorem excellentiae, et ideo superbus diu stare non potest, tanquam qui nonnisi uni pede innititur... Ut ergo secure stare valeas, *sta in humilitate*, sta *non in uno pede superbiae, sed in pedibus humilitatis*, ut non moveantur vestigia tua. Humilitas enim duos habet pedes, considerationem divinae

Basiliscus et sagitta.

Pacem tollit et gloriam.

Superbia instabilis.

Digitized by Google

potentiae et propriae infirmitatis. « *O speciosi pedes* » et firmi, nec tenebris ignorantiae involuti, nec lubrico luxuriae inquinati ! (*Ep.* 393. *n.* 3. *P. L.* 182, 602). — Quid odiosius illâ voce, quâ quidam dixerunt : « *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit haec omnia* » ? (*Serm.* 54. *in Cant. n.* 9. *P. L.* 183, 1043).

Vana gloria musca et ventus.

Petrus Blesens. : Quid est inanis gloria, quam miseri venantur, nisi *musca* vilissima, murmurosa, sordida, pungitiva, figuram *araneae* gerentes, quae de suis visceribus telam texit, ut capiat muscam vilissimam ? (*Ep.* 14. *P. L.* 207, 46). — O quam *fallax* et *vana* est gloria, quam homines ab invicem petunt et accipiunt, et gloriam, quae a solo Deo est, non quaerunt ! (*Ep.* 102. *ibid.* 316). — Infelix, qui ob inanis gloriae *ventum* suam animam jugulat. (*Ep.* 120. *ibid.* 354).

S. Franciscus Assis. : Levi mercede vanae gloriae rem impretiabilem saepe contingit amitti, et Illum, qui dedit, ad non dandum facile provocari (*In suis opusc. Apophth.*).

Walafrid Strabo, Abbas Augiae Divitis (*Reichenau,* ✠ 849): Cavendum est, ne forte expulsis peccatis a carne nostra insurgat *spiritalis bestia,* id est vana gloria, quae difficilius exstirpatur, quam carnalia vitia (*Gloss. ord. sup. Deut. c.* 7. *v.* 22. *P. L.* 113, 460).

Est calcanda,

S. Bonaventura : Quanto minus quis gloriam terrenorum aestimat, tanto magis eam *calcat,* et quanto magis eam calcat, tanto magis ad sublimiora surripitur, et ita tanto major efficitur (*Sup. Luc. c.* 14). — Quid est gloria vana nisi *lignum putridum,* de nocte lucens. — *Fluit mundana gloria* ad modum navis mare sulcantis, ad modum *avis* per aërem velociter transeuntis et ad modum *torrentis* velocissime currentis et plus vanescentis (*Serm.* 1. *de S. Andrea*).

Putrida et fluxa,

Bonum opus prostituit, perdit.

S. Antonius de Padua : Filia tua est *operatio* tua, quam tunc *in prostibulo* ponis, cum ipsam in lupanari mundi pro denario vanae gloriae vendis. — O *infelix commercium !* pro vento humani oris vendere praemium regni coelestis (*Serm. in Dom.* 3. *post Epiph.*). — Semina sunt bona opera, quae *sole vanae gloriae arescunt ;* quidquid enim propter vanam gloriam facis, totum amittis (*Serm. in Dom.* 3. *post Pasch*).

Digitized by Google

S. Antoninus, Archiep. Florent. O. Pr. (✠ 1459): Primogenita *superbiae filia* est *vana gloria.*—Inanis gloria prima est, quae campum intrat *contra virtuosos pugnatura*, ultima est in recessu ; nullus enim evadit, quin ab eâ aliquando non feriatur (*Part.* 4. *tit.* 4. *c.* 1).

Hugo a S. Vict. : Quisquis *in eo, quod bene agit, intumescit*, eo ipso tramite, quo proficit, cadit. Bona actio cum elatione non elevat, sed gravat (*Sup. Reg. S. Aug. c.* 2. *P. L.* 176, 890).

Raymund. Jordanis O. S. Aug. (*Idiota*, ✠ *c.* 1390): Vana gloria sicut *ventus* impedit viatorem et *impellit in chaos* inferni (*L.* 1. *de contempl. amor. Dei. c.* 17).

Thomas a Kemp. : Si cupis vanam gloriam vincere, *attende singulos defectus tuos*, quasi omnibus notos, et cessabit vanae gloriae motus (*Serm.* 14. *ad Novitios*).

Pestis, basiliscus et latro est.

Imit. Christi. : Vere inanis est gloria mala *pestis*, vanitas maxima, quia a verâ trahit gloriâ et coelesti spoliat gratiâ. (*L.* 3. *de imit. Chr. c.* 40). — Pleni veritate et gloriâ coelesti non sunt vanae gloriae cupidi (*L.* 2. *c.* 10).

Daemones pascit,

Hugo a S. Charo, Card. : Tales miserrimi sunt, qui de labore suo *pascunt* et *potant daemones*, cum bonam operationem convertunt in inanem gloriam (*Sup. Isai. c.* 62. *v.* 8).—

Insana est et potens.

Haec est *magna insania*, gloriam hominum, quae stercus et vermis est, quaerere et gloriam Dei repellere (*Sup. Joan. c.* 5. *v.* 44). Quas *vires nocendi* habeat humanae gloriae amor, non sentit nisi, qui ei bellum indixerit (*Sup.* 1. *Thess.* 2. *v.* 4).

Delictorum caput diabolicum,

S. Augustinus: *Non est majus delictum*, quam apostare a Deo, quod est initium *superbiae* hominis, et vere ille immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret, quia hoc est *ultimum* redeuntibus ad Deum, quod recedentibus *primum* fuit (*Enarr.* 1. *sup. Ps.* 18. *n.* 14. *P. L.* 36, 156). — Delictum magnum arbitror esse *superbiam*, quod dejecit Angelum, quod *ex Angelo fecit diabolum* eique in aeternum interclusit regnum coelorum (*Enarr.* 2. *n.* 15. *ibid.* 163). — Vae homini, cujus *auriga* superbia est ; necesse est enim, ut praeceps

Auriga perditionis, diaboli nidus,

Digitized by Google

eat (*Tract.* 8. *sup. ep. Joan. n.* 9. *P. L.* 35, 2041). — Servo Dei, cui surrepserit *superbia*, continuo ibi est et *invidia ;* non potest superbus esse, et non invidus. — Ubi inflatio, inanitas est; *diabolus* ubi inane invenerit, nidum facere molitur (*Serm.* 354. *c.* 5 *et* 8. *P. L.* 39, 1565).

Omnis peccati initium.

S. Leo: Sive *in lapsu diaboli*, sive *in praevaricatione hominis, initium semper* est superbia (*Ep. ad Demetriad. c.* 9. *int. dub. P. L.* 55, 168).

S. Gregorius M. : « *Omnis peccati initium est superbia*» (*Eccli.* 10, 15). Per hanc enim *diabolus* ipse succubuit, per hanc se sequentem *hominem* stravit. Eo etenim telo salutem nostrae immortalitatis impetiit, quo vitam suae beatitudinis exstinxit... Quasi tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cum mentem superbia irrumpit... Quisquis vero ejus tyrannidem captivâ mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quod, clauso cordis oculo, judicii aequitatem perdit. Nam cuncta, quae ab aliis bene geruntur, displicent, et sola ea, quae ipse prave egerit, placent. Semper aliena opera despicit, semper miratur, quae ipse facit, quia et quidquid egerit, egisse se singulariter credit : atque in eo, quod exhibet per gloriae cupiditatem, sibimet ipsi favet per cogitationem. Et cum se in cunctis transcendere ceteros aestimat, per lata cogitationum spatia secum deambulans, laudes suas tacitus clamat... Cunctis superbâ apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione (*Moral. l.* 34. *c.* 23. *n.* 47, 48 *et* 52. *P. L.* 76, 744).

S. Augustinus : Nullum vitium est, cui magis divinâ lege resistatur et in quod majus accipiat dominandi jus ille *superbissimus spiritus*, quam superbia (*Lib.* 4. *de Trinit. c.* 15. *n.* 20. *P. L.* 42, 901). — Superbiam conculcet profunda humilitas : quia humilitas homines sanctis Angelis similes facit, et superbia *daemones ex Angelis fecit* (*De salutar. docum. c.* 18, *in append. P. L.* 40, 1053). — Superbia est omnium *peccatorum initium* et *finis* et *causa;* quia non solum peccatum est ipsa

Peccati principium et erroris.

Digitized by Google

superbia, sed etiam nullum peccatum esse potuit aut potest aut poterit sine superbiâ (*C.* 19. *ibid.*). — Superbus est *Deo odibilis*, et *diabolo similis*... — Et verbis, et gestis, et vultu, et incessu, semper superbi dignoscitur superbia et levitas (*C.* 32. *ibid.* 1058). — Tanto *quisque caveat*, ne superbiâ decipiatur, quanto sanctius aliquid profitetur (*De S. Virginit. c.* 56. *n.* 57. *P. L.* 40, 428). — Superbia est *noverca virtutum*, *mater vitiorum*, *porta inferni*, *magistra erroris*, *caput diaboli*, *vitiorum principium* (*Serm.* 31. *ad Fratres in eremo in app. ibid.* 1291). — Si superbia non esset, non essent *haeretici*, neque *schismatici* (*De verâ Relig. c.* 25. *n.* 47. *P. L.* 34, 142). — Dum superbus terrena sequitur, fugiunt ab eo coelestia; dum transitoria concupiscit, aeterna amittit (*Serm.* 62. *ad Fratres in eremo in app. P. L.* 40, 1346). — Superbus *a se longe facit Deum*, non locorum spatio, sed mentis affectu (*Lib.* 6. *de Musica. c.* 13. *n.* 40. *P. L.* 32, 1184). — Per superbiam elati in alto, more *nivis*, congelascunt et cadunt (*Annot. in Job, c.* 38. *in app. P. L.* 34, 875).

Superbia fragilis et foetida,

S. Ephrem : Superbus *arbori* excellentissimae, sed *putridae* similis est, cujus undique facile confringuntur rami in quam si quis ascenderit, celeriter in profundum corruet (*De rectâ vivendi ratione c.* 3. *tom.* 2. *p.* 56).

S. Nilus : Superbia est animi *tumor sanie plenus*, qui, si maturuerit, in magnum erumpit foetorem (*Tract. de octo spirit. c.* 17. *P. Gr.* 79, 1162).

S. Isidorus Hispal. : Principalium *septem vitiorum regina* et *mater* superbia est (*Sentent. l.* 2, *c.* 37. *n.* 8. *P. L.* 83, 639). — Summa virtus *monachi* humilitas, *summum vitium* ejus *superbia* est. Tunc autem se quisque monachum judicet, quando se minimum existimaverit, etiam cum majora virtutum opera gesserit. Qui mundum deserunt et tamen virtutes praeceptorum sine cordis humilitate sequuntur, isti quasi de excelso gravius corruunt, quia deterius per virtutum elationem dejiciuntur, quam per vitia prolabi potuerunt (*L.* 3. *c.* 19. *n.* 1 *et* 2. *ibid.* 694).

Summum monachi vitium,

Saepe incurabilis.

S. Joann. Climacus : Qui in communi conversatione *sententiam suam* quantumvis veram *pertinacius defendere*

Digitized by Google

contenderit, sciat, se morbo diabolico laborare. Quodsi in aequalium suorum colloquio id faciat, fortasse per Majorum objurgationem curabitur; si vero idem inter seniores et sapientiores se audeat, humanitus incurabilis est. — Superbia *malorum omnium dux, princeps* et *consummatio* est. — *Superbia* est Dei abnegatio, inventio daemonum, aspernatio hominum, condemnationis mater, sterilitatis augmentum, laudum expulsio, lapsuum ministra, casûs materia, iracundiae fons, simulationis janua, firmamentum daemonum, delictorum custos, saevitiae et crudelitatis artifex. *Superbia* est animae suprema inopia, dum illa divitias imaginatur lucemque esse in tenebris existimat (*Scala parad. gr.* 4. 22 *et* 23. *P. Gr.* 88, 706, 655, 966, 970). *Superbiae damnum.*

Innocentius III. (✠ 1216) : O superbia cunctis importabilis et odiosa, inter omnia vitia, tu semper es *prima*, tu semper es *ultima!* Nam omne peccatum te accedente committitur et te recedente dimittitur. Superbia *turrim evertit*, et linguam confudit; prostravit *Goliam* et suspendit *Aman*, interfecit *Nicanorem* et peremit *Antiochum* (*L.* 2. *de contempt. mund. c.* 31 et 32. *P. L.* 217, 729).

Hugo de Folieto (✠ 1174) : *Quatuor* sunt, qui *trahunt currum elationis*, amor dominationis, amor propriae laudis, contemptus et inobedientia. *Rotae* vero sunt jactantia mentis et arrogantia, verbositas et levitas. *Auriga* potest esse spiritus superbiae. Amatores mundi sunt, qui feruntur in hoc curru, infrenes sunt equi, volubiles rotae, auriga perversus et qui portatur infirmus (*L.* 1. *de claustr. animae c.* 6. *P. L.* 176, 1029). *Elationis currus.*

S. Bonaventura : Sicut *fumus* magis ascendendo deficit, sic superbus, plus exaltatus, plus evanescit (*Tit.* 1. *diaetac. c.* 3). — Superbus *pretiosa vilipendit*, i. e. gratiam et gloriam, et vitia care emit, i. e. gloriam transitoriam (*Serm.* 4 *de uno Conf.* 26). *Superbus vanus et stultus.*

S. Vincentius Ferrer. (✠ 1419) : Superbia est *fundamentum* omnium peccatorum (*Serm.* 1. *Dom.* 1. *Adv.*).

S. Bernardus : *Fugite superbiam*, fratres mei, quaeso, *Fugienda superbia.*

Digitized by Google

multum fugite. Initium omnis peccati superbia, quae tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clarius micantem aeternâ caligine obumbravit *Luciferum*, quae non modo Angelum, sed Angelorum primum in diabolum commutavit (*Serm.* 1. *in Advent. Dom. n.* 3. *P. L.* 183, 36).

S. Antonius de Padua : *Superbus conculcat*, contemnit, subsannat. Conculcat inferiorem, *contemnit* aequalem, *subsannat* superiorem (*Serm. Quinquag.*). — Superbia divini *amoris calorem* et aeterni luminis atque *veritatis aufert claritatem* (*Serm. Dom.* 2. *post Pascha*). — Solet contingere, ut qui occultam *superbiam* non cognoscit, eandem *per luxuriae vitium cognitam* erubescat (*Serm. Dom.* 3. *Quadrag.*).

Joan. Trithemius : Erubescant *monachi elati*, qui sub habitu et scholâ humilitatis *diabolum imitantur* superbum; cui Deus non pepercit in coelis, nec eis parcet in claustris (*Commentar. in c. 7. s. Reg.*)

Superbia divino ore et exemplo damnata.

S. Gregorius M. : Scriptum est : « *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* » (*Jac.* 4, 6). Rursus dicitur : « *Immundus est apud Deum, qui exaltat cor* » (*Prov.* 16, 5). Contra superbientem hominem scriptum est : « *Quid superbit terra et cinis?* » (*Eccli.* 10, 9). Per semetipsam *Veritas* dicit : « *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur* » (*Luc.* 14, 11). Quae ut nos ad viam vitae per humilitatem reduceret, in Semetipsâ dignata est, quod *nos admonet*, demonstrare, dicens : « *Discite a Me, quia mitis sum et humilis corde* » (*Matth.* 11, 29). *Ad hoc* namque *Unigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostrae suscepit;* ad hoc invisibilis, non solum visibilis sed etiam despectus apparuit; ad hoc contumeliarum ludibria, illusionum probra, passionum tormenta toleravit, *ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus.* Quanta igitur humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, Is, qui sine aestimatione magnus est, usque ad passionem mortis factus est parvus! Quia enim originem perditionis nostrae se praebuit *superbia diaboli*, instrumentum redemptionis nostrae inventa est *humilitas Dei.* Hostis quippe noster inter omnia conditus, videri

Digitized by Google

super omnia voluit elatus. Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus... Ecce novimus, Creatorem nostrum de suae celsitudinis culmine, ut humano generi daret gloriam, descendisse; et nos de infimis creati... gloriamur! Humiliavit se usque ad nostrum pulverem Deus, et « *in coelo os suum ponit* et *super terram linguâ pertransit* » pulvis humanus, et non erubescit, non metuit extolli homo putredo et filius hominis vermis! (*Job.* 25)... *Humiliemur* ergo *in mente*, si ad solidam conamur venire celsitudinem. Nequaquam per *elationis fumum* oculi cordis obscurentur, qui quanto magis excreverit, tanto celerius evanescit (*L.* 5. *epist.* 18. *P. L.* 77, 741).

Vae monachis superbis, non Christum secutis!

S. Bernardus : Vae semel et *vae* iterum, *monachis, portantibus crucem Christi* et non sequentibus Christum ; qui nimirum, cujus passionibus participant, *humilitatem sectari negligunt!* Duplici quippe contritione conteruntur, qui hujusmodi sunt ; quando et hic pro temporali gloriâ temporaliter se affligunt et in futuro pro internâ superbiâ ad aeterna supplicia pertrahuntur. *Laborant cum Christo*, sed *cum Christo non regnant ;* sequuntur Christum in paupertate sua, sed in gloriâ non consequuntur, « *de torrente in viâ* » bibunt, sed non exaltabunt caput in patriâ ; lugent nunc, sed tunc non consolabuntur. Et merito ; quid enim facit *superbia sub pannis humilitatis* JESU ? Numquid non habet quo se palliet humana malitia, nisi unde involuta est infantia Salvatoris ? Et quomodo intra praesepium Domini simulatrix arrogantia se coarctat? (*Apolog. ad Guillelm. Abb. c.* 1. *n.* 2. *P. L.* 182, 899).

S. Bonaventura : Ecce habes *in Christo humilitatis exemplum*, superbiae medicamentum ! Princeps tuus humilis et tu superbus ? caput est humile,et membrum superbum ? monstrum est contra naturam, si coelum terrae subjicias, et sub pedibus caput ponas (*Serm.* 4. *de uno Mart. et ordin.*).

Christus humilitatis exemplar.

S. Augustinus : *Erubescat homo* esse *superbus*, propter quem *factus est humilis Deus* (*Enarr.* 2. *sup. Ps.* 18. *n.* 15. *P. L.* 37, 163). — Unde *Christus humiliatus*, inde glorificatus,

Digitized by Google

inde erexit humiles, quo humiliatus Ipse descendit (*Tract.* 3. *sup. Joan. n.* 2. *P. L.* 35, 1396). — Perierat homo superbiam defectoris secutus ; ergo *humilitatem Redemptoris* sequatur inventus (*Tract.* 55. *n.* 7. *ibid.* 1787). — Superbia perverse imitatur Deum ; odit namque cum sociis aequalitatem sub Illo, sed imponere vult sociis dominationem suam pro Illo, (*L.* 19. *ae civit. Dei c.* 12. *P. L.* 41, 639.) — « *Discite a me,* » non mundum fabricare, non cuncta visibilia et invisibilia creare, non in ipso mundo miracula facere, mortuos suscitare ; sed « *quoniam mitis sum, humilis corde.* » Cogitas magnam constituere fabricam celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis (*Serm.* 69. *c.* 1. *n.* 2. *P. L.* 38, 441). — *O sancta venerabilisque humilitas !* Tu *Dei Filium descendere fecisti* in uterum S. Mariae Virginis ! Tu Eum fecisti involvi vilibus pannis, ut nos indueret virtutum ornamentis ! Tu Eum circumcidisti in carne, ut nos circumcideret in mente ! Tu Eum corporaliter flagellasti, ut nos a flagello peccati liberaret ! Tu Eum coronasti spinis, ut nos coronaret suis aeternis rosis ! Tu Eum infirmare fecisti, qui medicus cunctorum erat, solo verbo sanans omnia et universa, ut infirmos sanaret ! (*In serm. ad Fratres in erem.* 12. *de superb. in append. P. L.* 40, 1255).

S. Antonius de Padua : Nihil sic humiliat superbum peccatorem, sicut *humilitas humanitatis Christi.* (*Serm. Dom. Quinq.*)

Joan. Trithemius : *Humilitas Filium Dei hominem fecit ;* humilitas servum Christi sancto Angelo comparabit (*L. I. hom.* 19 *ad Monach.*).

S. Hieronymus : Quantumcunque te dejeceris, humilior *Christo* non eris (*Ep.* 66. *n.* 13. *P. L.* 22, 646).

S. Leo. M : Frustra appellamur Christiani, si *imitatores* non fuerimus *Christi*, qui ideo viam se esse dixit, ut conversatio magistri fieret forma discipuli. Et illam humilitatem eligat servus, quam secutus est Dominus ejus, qui fuit Christus (*Serm.* 25. *c.* 6. *P. L.* 54, 212).

S. Hilarius, Episc. Pictaviens. (*Poitiers*) et Doct. Eccl.

Digitized by Google

(✝ 367): *Humilitas Christi* nostra nobilitas est ; *contumelia Christi* noster honor est (*De Trinit. l. 2. n. 25. P. L. 10, 67*).

S. Laurentius Justinianus : *Dominus* noster *omnem exercuit humilitatis formam*, in victu, in peregrinatione, in discipulorum electione, in necessitatibus, in angustiis, in persecutionibus, in opprobriis, in passione et in morte (*De ligno vitae tract. 12*).

Humilitas B. Mariae ejusque virginitas.

S. Bernardus : In civitatem Nazareth *missus est Angelus Gabriel a Deo ad Virginem* desponsatam viro, cui nomen erat Joseph. Quae est haec Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo ; tam humilis, ut desponsata sit fabro ? *Pulchra permixtio virginitatis et humilitatis*, nec mediocriter placet Deo illa anima, in quâ et humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem. — Audis *virginem*, audis *humilem* ; si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem virginis. Laudabilis virtus *virginitas*, sed magis necessaria *humilitas*. Illa consulitur, ista praecipitur. Ad illam invitaris, ad istam cogeris. De illâ dicitur : « *Qui potest capere, capiat* » (*Matth. 19, 12*) ; de ista dicitur : « *Nisi quis efficiatur sicut parvulus iste, non intrabit in regnum coelorum* » (*Matth. 18, 3*). Illa ergo remuneratur, ista exigitur. Potes denique sine virginitate salvari ; sine humilitate non potes. — Sine humilitate autem nec virginitas Mariae placuisset. « *Super quem*, inquit, *requiescet Spiritus meus, nisi super humilem et quietum ?* » (*Is. 66, 2*) Super humilem dixit, non super virginem. Si igitur *Maria* humilis non esset, super eam Spiritus S. non requievisset. — Patet itaque, quia, ut de Spiritu S. conciperet, sicut ipsa perhibet, « *respexit humilitatem ancillae suae* » (*Luc. 1, 48*) Deus potius, quam virginitatem. Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitat concepit. Unde constat, quia etiam, ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit (*Hom. 1 sup. " Missus est. " n. 5. P. L. 183, 58*).

S. Bernardinus Senens. O. S. Fr. (✝ 1444) : Sicut nulla post Filium Dei creatura tantam ascendit in gratiae dignitatem, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis,

Digitized by Google

quantum *B. Maria V.* — Virgo continue habebat actualem relationem ad divinam Majestatem et ad suam nihilitatem (*Serm.* 4. *in Fest. V. M. a.* 1. *et a.* 3. *c.* 2).

S. Birgittam *Mater Dei* sic allocuta est: Ut quid enim ego me tantum humiliabam, aut unde promerui tantam gratiam, nisi quia cogitavi et scivi, *me nihil a me esse vel habere?* Ideo nolui laudem meam, sed solius Datoris et Creatoris. — Quid contemptibilius, quam vocari fatua, omnibus indigere, omnibus se credere indigniorem? Talis, o filia, erat *humilitas* mea, hoc gaudium meum, haec voluntas tota, quâ nulli, nisi Filio meo, placere cogitabam (*Revel. l.* 2. *c.* 23).

S. Augustinus: O vere *beata humilitas Mariae*, quae Deum hominibus peperit, paradisum aperuit, et animas ab inferis liberavit! (*Serm.* 208. *n.* 10. *in app. P. L.* 39, 2133).

S. Odilo, Abb. Cluniac. († 1049): *Virgo sanctissima* interrogando et potius cunctando coepit inquirere, quomodo fieri posset, quod Angelus insolitam et inauditam rem tantâ auctoritate nuntiare praesumeret... O *inauditum* et *admirabile singularis humilitatis exemplum!* Ea, quae se Dominum et Creatorem suum concepisse gaudebat et de se nasciturum non dubitabat, cum posset se agnoscere sine dispendio suae sincerissimae humilitatis omnium fidelium dominam, non distulit se vocare Domini sui ancillam dicens: « *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum!* » Videte, fratres, humilitatem Virginis, Verbum Dei concipientis! (*Serm.* 4. *P. L.* 142, 1003).

Humilitatis fructus.

S. Augustinus: *O humilitatem, medicinam* omnibus consulendam, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia depravata corrigentem!... Quae *superbia* sanari potest, si *humilitate filii Dei* non *sanatur?* Quae avaritia sanari potest, si *paupertate filii Dei* non sanatur? Quae iracundia sanari potest, si sapientiâ filii Dei non sanatur? (*De agone christiano c.* 11 *n.* 12. *P. L.* 40, 298. 297). — Humilitas dissimilis est superbiae; nam ipsa *superbia Luciferum* de coelo dejecit, sed

Digitized by Google

humilitas Dei Filium incarnavit. Superbia *Adam* de Paradiso expulit, sed humilitas *latronem* in Paradisum introduxit. Superbia *Nabuchodonosor* in bestiam transmutavit, sed humilitas *Joseph* principem Israël constituit. Superbia *Pharaonem* submersit, sed humilitas *Moysen* exaltavit (*Serm.* 12. *ad fratres in Erem. in append. P. L.* 50, 1255). — Potentior est et utilior est solidissima humilitas, quam ventosissima celsitudo (*Lib.* 8. *de Trinit. c.* 7. *n.* 11. *P. L.* 42, 957).

Hugo a S. Charo, Cardin.: Humilitas est *custos omnium virtutum*, et *restitutrix omnium bonorum.* Nam humilitas de tepiditate aliarum virtutum inflammescit, de paupertate ditescit, de defectu abundat, de luctu gaudet, de morte reviviscit (*Sup. Proverb. c.* 26, *v.* 12).

S. Antonius de Padua: B. *Antonius* (Eremita) videns in oratione mundum laqueis plenum, connectentibus se invicem, exclamavit: « *O quis istos evadet laqueos periculorum ?* » Responsum fuit: « *Sola humilitas* » (*Part.* 1. *Tit.* 5. *c.* 4. § 1).

S. Gregorius M.: Quid *humilitate* sublimius, quae, dum se in ima deprimit, Auctori manenti super summa conjungitur ? (*Part.* 3. *Regul. Pastoral. c.* 17. *P. L.* 77, 78).

S. Bernardus: Humilitas *custos pudicitiae* et *mater patientiae* est (*De ord. vitae c.* 6. *n.* 20. *P. L.* 184, 573). — Sola virtus humilitatis est laesae *reparatio caritatis* (*Serm.* 2 *de Nativ. n.* 6. *P. L.* 183, 122). — Cum te *humiliari* videris, habeto id *signum in bonum*, omnino argumentum gratiae propinquantis (*Serm.* 34. *sup. Cant. n.* 1. *ibid.* 960).

S. Laurentius Justinianus: Quemadmodum ignorantia praesumptionem ac praesumptio inducit casum, ita scientia humilitatem, ac *humilitas* augmentum parit gratiae, additamentum luminis, perseverantiam boni, spei delectabile gaudium, desiderium proficiendi, gustum sapientiae, fidei constantiam, amorem patiendi, exsultationem spiritus, mentis rectitudinem, justitiae zelum sitimque virtutum (*De inst. et regim. peccat. c.* 9).

Digitized by Google

S. Bernardus : Arbor fuit *B. Benedictus* grandis atque fructifera tanquam « *lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* » Ubi sunt decursus aquarum? Profecto *in vallibus;* quia « *inter medium montium pertransibunt aquae.* » Quis enim non videat, etiam torrentes montium ardua declinare et mediam ad *humilitatem* semper divertere vallis? Sic profecto Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam... Propterea *vallem magis elige* ad ambulandum, vallem elige ad plantandum... *In vallibus pinguedo* est; ibi proficiunt plantae, ibi plena spica, ibi centesimus oritur fructus, juxta illud (*Ps.* 64) : « *Et valles abundabant frumento.* » Audis, quia ubique vallis laudatur, ubique humilitas praedicatur. Ibi ergo plantare, ubi *decursus aquarum* » (*In natali SS. Patris. n.* 4. *P. L.* 183, 377). — *Quid humilitate ditius,* quid *pretiosius* invenitur, quâ nimirum *regnum coelorum* emitur et divina gratia acquiritur, sicut scriptum est: « *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum* » (*Serm* 4. *in Vigil. Nativ. Dom. n.* 6, *P. L.* 183, 103).

S. Augustinus : *Excelsa est patria, humilis est via.* Ergo qui quaerit patriam, quid recusat viam? (*Tract.* 28. *in Jo. n.* 5. *P. L.* 35, 1024).

Beati pauperes et humiles

S. Joan. Chrysostomus : (Apud *monachos*) una est mensa, et ministerium suscipientibus et exhibentibus, eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita... *Non est ibi Meum et Tuum,* sed hoc verbum, infinitorum causa bellorum, eliminatum est. Et quid miraris, quod una sit omnibus diaeta, vestis et mensa, quippe quum *omnibus* sit *una anima,* non tantum *quoad substantiam* (hoc enim et omnibus), verum et *quoad caritatem?* Qualiter igitur haec unquam contra seipsam insurgeret? Apud monachos non est paupertas et divitiae, gloria et ignobilitas; *qualiter* igitur *aditum inveniret arrogantia* vel *superbia?* (*Hom.* 72 *in Matth. n.* 3 *et* 4. *P. Gr.* 58, 671).

Digitized by Google

Quartum Elementum.

Monastica mortificationis disciplina.

Religiosa castitas — Monachus sponsa Christi — Castitatis claritas, honor, fructus, conservatio — Ejus patroni — Castitas conditio vitae monasticae — Eam mortificatio sustinet — Mortificatio monachi professio — Mystica mors — Monastica disciplina refectorii — Jejunium et abstinentia — Disciplina capituli — Culpa, satisfactio, conscientiae manifestatio — Disciplina cellae — Corporis animique mortificatio — Habitus corporis — Sensuum custodia — Qualis debeat esse mortificatio — Ejus fructus — Pax — Gaudium — Patientia et Spes.

Declaratio.

Religiosa castitas.

Monachi, quoniam Dei familia sunt, e multitudine fidelium selecta, prae hisce debent sanctissimi purissimique Dei speciem prae se ferre. Quamobrem, sicut "*Spiritus est Deus,*" ita monachum virum plane spiritualem esse decet, "*corpore et spiritu sanctum,*" atque virginalem amplecti **castitatem**, ut quam maxime "*conformis fiat imaginis Filii*" (Rom. 8, 29), qui omnium filiorum Patris primogenitus est et caput. Proinde et tu, frater, cum B. Petro dicis: "*Reliqui omnia,*" spiritu pauper, "*et,*" sanctam colens virginitatem, "*sequor Te,*"

Digitized by Google

Sponsa Christi

Agnum immaculatum. Ipse enim JESUS CHRISTUS te Sibi sponsavit in sempiternum (Os. 2, 19 sq.), ut integerrimam servans castimoniam "*facultatem*" habeas, "*sine impedimento Dominum obsecrandi*" (1 Cor. 7, 35).

Vita monachi angelica.

O te fortunatum! Minuit te Dominus "*paulo minus ab Angelis*" (Ps. 8, 6), imo coelestibus te aequavit principibus, quia, ut in carne coeli ratione vivas, amantissime te et elegit et gratiis auxit. Tua igitur vita, in angelicae puritatis claritatem transfigurata, suavissimum exstat aeternae vitae praeludium, referens praedestinationis signum. Etenim Dei Verbum quum carnem assumeret, paupertatem a terrâ accepit eique pro compensatione coelestem dedit virginitatem. "*O quam pulchra est casta generatio*
Castitatis pulchritudo et claritas.
"*cum claritate! Immortalis est enim memo-*
"*ria illius; quoniam et apud Deum nota est*
"*et apud homines!*" (Sap. 4, 1) Instaurat quodam modo paradisum, hominem in pristinum restituens honoris ac dignitatis locum; porro Ecclesiam splendidâ exornat coronâ, fulgentibus gemmis mirifice illuminatâ; totam denique terram dulcissimo quodam replet suavitatis odore in conspectu Domini; quum e contra *impuritas* corpus animamque perdat, foedet, depravet, funditus divinum evertat ordinem, ac Dei imaginem turpissime deformet, hominem ornamentis honoribusque

Pestis impudicitiae.

Digitized by Google

omnibus spolians atque in aeternam detrudens et ignominiam et poenam. — Jam vero inclita castitatis virtus in animâ tanquam in suo sedet solio, ex quo suaviter fortiterque omnibus animi motibus, cupiditatibus, desideriis imperat sancteque regit corpus, ita ut rationi ac divinae voluntati obtemperet. In sacro animae recessu omnibus horis coelestem Sponsum pretioso ungit nardo, "*et domus*," i. e. corpus, "*impleta est ex odore unguenti*" (Joan. 12, 3). Apostolicum enim in memoriâ nostrâ haeret eloquium: "*An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro*" (1 Cor. 6, 19 sq.).

Anima castitatis solium.

Corpus membrum Christi et templum Deitatis.

Unde, quantus castitati honos tribuendus sit, plane apparet. Ipsa dirum abs te removet jugum amplissimaque tibi affert gratiarum dona, una cum sapientiâ et sanctitate. Nam innumeris, quibus jactantur homines, curis te liberans, non modo expeditam tibi illustremque ad perfectionem viam sternit, verum etiam animum purissimis ac paene coelestibus perfundit gaudiis. Quid vero de aeternâ, quâ tandem cumulatur, mercede dicam? Cor mundum optimus ille ager est, qui centesimum reddit fructum. "*Virgines enim*," ad sublimem evecti

Castitatis honor et fructus.

Ejus praerogativa in cœlis.

Digitized by Google

coelestis gloriae gradum, " *sequuntur Agnum, quocunque ierit,* " et cantant " *canticum* " quod " *nemo potest dicere, nisi* " ipsi. " *Sine maculâ enim sunt ante thronum Dei* " (Apoc. 14, 3 sq.). Monachus igitur castus et virgo, inter angelicos summi Regis milites aulicosque in terrâ adscitus, aliquando in aeternum triumphabit proximus immortali Duci candidumque sequens vexillum praeclarissimae virginum Reginae.

Monachus castus et virgo.

Agedum, frater, quam tutissimâ custodiâ ac fide serva, tuere, propugna gloriosam s. castitatis praerogativam, summo praecavens studio, ne quam, licet tenuissimam, jacturam subeat ullumve incurrat discrimen. Summâ cautione omnes devita, quaecunque amabilissimam delicatamque hanc virtutem in periculum possint adducere, causas atque occasiones. Nam " *qui amat periculum, in illo peribit* " (Eccli. 3, 27). Virgini spes tota salutis in secessu, sola victoria in fugâ est collocanda atque in humillimâ sui ipsiùs diffidentiâ. " *Custodiens parvulos Dominus; humiliatus sum, et liberavit me* " (Ps. 114, 6). Carnis enim stimulus appellatur " *angelus satanae,* " spiritus istius, quem de coelo superbia praecipitavit. Ideo saeculum fuge maximeque mulierem, saeculi quasi summam atque insidiosissimum pudicitiae scopulum. " *Fugite, salvate animas vestras, et eritis quasi myricae in deserto* " (Jer. 48, 6). Homo

Castitas studiosissime servanda.

Minime periclitanda.

Tota spes in fugâ et humilitate.

Fuge saeculum, mulierem, otium.

Digitized by Google

sis continuati laboris, " *mittens servum tuum malevolum in operationem, ne vacet* " (Eccli. 33,28).

Vigilandum et orandum.

Ita extrinsecus vigilans atque intrinsecus (" *de corde enim exeunt cogitationes malae* " Matth. 15, 19), ora assidue, pro certo habens, " *quoniam aliter non possis esse continens, nisi Deus det* " (Sap. 8, 21). Praecipue omnia de praesidio spera *Eucharistici Sponsi*, sanctae et *immaculatae Virginis* ejusque Sponsi *S. Josephi* ac beatissimi nostri *Patriarchae*, heroici castitatis patroni. Tu, benedictus S. Benedicti filius, constanti dexterâ *tene virginitatis lampadem*, aeternas exspectans nuptias, ac die noctuque tanquam eleemosynam petens coelestem gratiam, quâ, velut oleo, pura castitatis flamma nutritur.

Praesidium SS. Eucharistiae, B. Mariae V., S. Joseph et S. P. Benedicti.

At, de angelicâ hâc coelestis odoris virtute, unde monacho tantum gaudium, tantaque gloria et spes manat, *cur nulla fere mentio* illata est *in lege monasticâ?* Respondeo: S. castitas adeo est lex fundans sive conditio, sine quâ ne cogitari quidem ulla potest vita claustralis, vix ut commemoratione opus sit. *Tegitur silentio, sicuti* domus *fundamenta* solent in profundo poni oculisque auferri. Universum enim S. Regulae opus super castitatem sic constructum videtur, ut huic aeque innitatur ac tutamento sit. Nam ad puritatem potissimum corporis et animi juvandam tuendamque institutam

S. Castitas monasticae legis fundamentum.

Eam monastica mortificationis disciplina servat et juvat.

Digitized by Google

esse monasticam **mortificationis disciplinam**, quis est, qui non videat? Nimirum omnia s. legis praecepta id fere spectant, ut pura cordis et corporis castimonia incolumis servetur ejusque studium ad altiorem in dies ascendat caritatis et contemplationis gradum. Itaque *monachus*, si quidem castâ animi et sensuum sanctitate enitet, *arcae foederis comparandus* est interius exteriusque auratae, quae legem servabat et in quâ divina sedebat Majestas.

Lilium inter spinas.

Tam manifesto autem sanctae puritatis "*lilium inter spinas*" solummodo mortificationis floret, ut, *quo quis castigatior, eo sit castior*, et quo sanctior est coenobii disciplina, eo illustrior appareat puritas monachorum. Corporis enim afflictatio et sapiens quaedam vitae asperitas, sicut via sunt ad castitatem, ita sepes, quâ tuto cincta custoditur. Quinetiam mortificatio quasi universa lex est, quâ vita constituitur christiana. Nam quamdiu in hâc viatoris conditione versamur, "*spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*" (Matth. 26,41); quoniam homo, ex quo summum Dei imperium impie detrectavit, sui ipsius imperium amisit. *Caro enim concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversus carnem; haec enim sibi invicem adversantur*" (Gal. 5, 17). Exoptata illa pax et concordia, quâ anima et corpus velut domina et ancilla inter se concinebant, prorsus dis-

Mortificatio lex vitae christianae.

Pax animam inter et corpus dirempta.

Digitized by Google

soluta est, ita quidem ut gratuitum hoc integritatis donum nec baptismate nec professione restituatur. Jam Apostolum audi conquerentem: " *Video aliam legem in membris meis* " (Rom. 7, 23). Quare idem hortatur: " *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*, (ita) *ut obediatis concupiscentiis ejus* " (Rom. 6, 12). Est igitur " *militia vita hominis super terram* " (Job. 7, 1), et, si effugere peccatum vult, sine intermissione pugnandum ei contra perniciosas carnis cupiditates. " *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* " (Matth. 11, 12).

Monastica praecipue lex est mortificatio et poenitentia.

Quae quidem se mortificandi lex quum cunctos complectatur Evae filios, tamen praecipue pertinet ad monachum. *Mortificatione* enim ac *poenitentiâ* omnis *nititur vita monastica.* Perpetuo ut naturae vim inferas, carnis reprimas desideria, inordinatos animi affectus motusque compescas, vitiosas passiones frangas ac vincas; ne multa dicam, ut quotidie " *spiritu facta carnis mortifices* " et huic saeculo, rebus omnibus tibique ipsi moriaris, ecce, cur ingressus sis claustrum votaque emiseris. " *In hoc* " *enim vocati estis, quia et Christus passus* " *est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut* " *sequamini vestigia Ejus* " (1 Petr. 2, 21).

Eadem est monachi officium, professio, crux.

Continua haec tui ipsius mortificatio proprium est officium tuum, munus et pensum,

Digitized by Google

tua militia ac professio, vera "*crux tua*" secundum verbum Domini: "*Si quis vult me sequi, "deneget semetipsum: et tollat crucem suam, et sequatur Me*" (Marc. 8, 34). Cum Psalmistâ igitur concinis: "*Quoniam propter Te morti- "ficamur totâ die, aestimati sumus sicut oves occisionis*" (Ps. 43, 22; Rom. 8, 36). Equidem "*propter Te,*" Domine! Hostia enim sum, holocaustum piaculare et sacra victima, agnus Te Agnum sequens. "*Non est discipulus super Magistrum nec servus super Dominum suum*" (Matth. 10, 24). Perpetuum mortificationis studium mystica est illa, quam professus sum, mors pretiosa in conspectu Tuo, tributum Tibi debitum, imitatio Tui, Tua in me vita. Etenim "*exaltatus a terrâ,*" omnia trahis ad Te! Profecto "*caritas Christi urget*" me, ut qui vivo, jam non mihi vivam, sed Ei, qui pro me mortuus est (2 Cor. 5, 14). Ecquid, quaeso, hâc morte, quae vere est vita in Deo abscondita, honoratius, dignius, felicius? "*Ecce,*" ait SS. Pater noster, "*pietate Suâ demonstrat nobis Dominus viam vitae*"! (Prol. s. Reg.) Exemplum dedit, et in carne Ipsius clarificatâ in aeternum relucent gloriosa Passionis Mortisque Ejus signa. Proinde macte virtute, frater! Tu, qui Christianus vocaris, i. e. alter Christus, "*indue Dominum* JESUM CHRISTUM"! Disce "*eminentem*" Crucifixi "*scientiam! Stigmata Domini*

Mystica monachi mors imitatio Christi.

Digitized by Google

JESU *porta in corpore*" tuo ! In omni cogitatu et actu, opere et sermone "*vivat in te Christus*," deliciae tuae et documentum ad imitandum tibi propositum ! Pedetentim persequere "*vestigia Ejus*," pretioso sanguine respersa ! Nonne crudelissimâ morte, quam pro te tulit, "*Sponsus sanguinum*" (Ex. 4, 25) meretur, ut pro Ipso saltem mortificeris ?

Disciplina monastica est utilis,

Unde singulari existimatione et amore prosequere **monasticam disciplinam,** quae mortificationis exercitia non solum sanctâ dirigit normâ, verum etiam eo, quod communiter fiunt, faciliora reddit meritisque mirifice auget.

Operatur conversionem morum et caritatis martyrium.

Ipsa enim operatur *conversionem morum* sive sanctam illam animi puritatem, quae arctissime cum Deo jungit. Cui quidem disciplinae qui totum se exhibens sedulo inservit, vere *martyrium* subit *caritatis*, quoniam omni horâ veterem in se hominem mortis supplicio tradit judicans : " *Tolle eum, crucifigatur*" ! Contra, monachus non mortificatus merito nihil nisi dealbatum censetur sepulcrum.

Disciplina refectorii.

Quae quum sic se habeant, dilecte frater, confirmato magnoque animo *apprehende* juratam a te **disciplinam** refectorii, capituli, cellae, totius vitae ! Primum quidem **refectorii.** Haud immemor eloquii : " *Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus* "(Rom. 8, 12), S. Legifer noster *jejunii* et *abstinentiae*

Jejunium et abstinentia.

Digitized by Google

disciplinam instituit, quam, licet, approbante Sede Apostolicâ, mitigatam sequamur, tamen adeo negligere atque relaxare monacho nefas est, ut ad mera praecepta cunctis fidelibus injuncta redigatur. Praesertim solemnis *Quadragesimae* observantia digna prorsus videtur, quam religiosissime coenobia retineant. In tuâ haereat memoriâ laus et commendatio, quâ apud Sanctos abundat jejunii abstinentiaeque disciplina. Siccat quodammodo fontem concupiscentiae carnis, sanguinem attenuans, quem ardentem appellant fornacem libidinum. "*Nabuzardan*," cujus nominis interpretatio est: *princeps coquorum*, "*muros Jerusalem in circuitu destruxit*" (4 Reg. 25, 10). Perinde *edacitas* atque *crapula* funditus perdunt tolluntque Religionem. Immundus enim spiritus, qui "*oratione et jejunio ejicitur*", a monacho, gutturis voluptati dedito, quasi allectus intromittitur. Ergo tu "*sobrius esto*" et frugi, non modo abdicans abs te lautitias omnes suavitatesque refectionum, sed prorsus inexpiabile *gulae* bellum indicens. Inutile est enim arma tentare in exteriores salutis hostes, quamdiu dolosus intra ipsos muros proditor insidias instruit. Ideo de quâvis refectione tuâ restricte sit dictum: "*Unusquisque super mensuram aliquid propriâ voluntate cum gaudio S. Spiritus offerat Deo, i. e. subtrahat corpori suo*"

Quadragesima.

Laus jejunii.

Edacitas et crapula.

Gulae vitium et voracitas.

Digitized by Google

(S. Reg. c. 49). Quod quidem vel munusculum sit, Jesu et Mariae oblatum, vel suffragium pro defunctis. Praeterea "*noli avidus esse... et non te effundas super omnem escam*" (Eccli. 37, 32), sed interius exteriusque observa omnino temperantiam, modestiam, continentiam, tibi semper imperans *lectionique* intentus, quae suaviter animum a sensibus avocans refectionem sancte condit, quare nunquam deesse debet. Ceterum in timore Dei et s. obedientiâ, cum simplicitate et gratiarum actione, "*manduca, quae apponuntur tibi*," sine ullo delectu aut querelâ. Coenobitica refectio speciem tibi refert coenae Domini ipsiusque aeterni coelorum convivii. Utrobique coelestis Paterfamilias panem filiis benedicit, frangit atque dispensat, Ipsemet dulcissimus hospes, procurator mensae ac praeses. Propterea sit "*semper laus Ejus in ore*" tuo ! Neque enim refectionis tuae finis est alius, quam *laus Dei*, ut scilicet corpus cibo potuque firmatum animae operam praestet ad divinum perficiendum officium laetiusque Deo serviendum.

Lectio ad mensam.

Refectorium imago coenaculi et coeli.

Jam pauca dicamus de **disciplinâ capituli**. Praeter *sacramentalem confessionem*, saltem octavo quoque die, sicut sancta hortatur Ecclesia, in monasteriis factam, quae "auget piis justitiam reisque donat veniam", nihil fere est, quod ad disciplinam monasticam spiritumque

Disciplina capituli.

Digitized by Google

Culpa.

mortificationis fovendum tantum conferat, quantum publica, quae in capitulo fit, *culparum patefactio*. Haud injuriâ capitulum purgatorium nuncupatur claustri, utpote in quo maculae ex neglectu contractae piaculari paternae correptionis flammâ deleantur. Quamobrem evocatus a Superiore, humillime atque ingenue, quae contra regularem observantiam coenobiique disciplinam admiseris, confiteare, dolenter te incusans gratulansque tibi, quod in tam paternum adducaris judicium, delictaque tam levi humiliationis mortificationisve poenâ, sive palam in refectorio sive secus luenda est, expiare tibi licet. Idem dicendum de omnibus, quaecunque in choro vel ubivis suscipiuntur,

Satisfactiones.

satisfactionibus, quas quidem maximâ cum humilitate et in spiritu poenitentiae persolvas.

Conscientiae manifestatio.

Neque omittendus hic est perquam salutaris, qui in monasteriis inveteravit, mos, interiorem animae statum Patri spirituali detegendi. Divinitus enim is tibi constitutus est et medicus et magister. Quare magno simplicique animo et cum fiduciâ plane filiali tuum aperi cor, nihil omnino reticens, unde sanctum benigni Patris consilium redundare tibi possit. Quod quidem monasticae vitae institutum, quam uberes sanctitatis fructus quantumque emolumenti afferat ad mores convertendos feliciterque decertandas daemonum impugna-

Digitized by Google

tiones, plane mirum est, quum e contra, qui se ipsum regere praesumpserit, in maximo salutis discrimine versetur.

Disciplina cellae.

Transeamus ad **disciplinam cellae**. Sicut Dei, ita Abbatis, qui Dei vices gerit, oculis paternis tua patent omnia. Ex quo vetus in coenobiis consuetudo invaluit, cellarum portas foraminibus, quas "*visituras*" vocant, perfringendi. Quae quum praeter spiritualem Patrem nemini liceat recludere, in memoriam tibi revocant Ejus intuitum, qui corda et renes scrutatur omniaque inspicit mentis arcana. Quidquid igitur dies noctesque in sacro cellae recessu agis, sub oculis fac Altissimi dilectique Sponsi, cujus non desines pudicissimis frui amplexibus, modo ne sancta mortificationis devotionisque exercitia dimiseris. Noli unquam amori Ejus deesse, imo egregie potius Ipsi respondeas omni officiorum sacrificiorumque genere. Ita cella tua testis sit laeta non solum assiduae orationis tuae et operae, sed non intermissi etiam mortificationis studii. Spectatrix sit voluntariae, quam ex piâ traditione, dato signo, monachi suscipiunt, *disciplinae*, quâ in poenitentem Dominicae flagellationis recordationem castigari humiliarique corpus solet. Discretas porro conspiciat *vigilias* tuas et, si opus sit, frigoris, aestus malaeque valetudinis tolerantiam, quibus

Cellae foramen sive "visitura."

Divini oculus Sponsi.

Disciplinae exercitium.

Digitized by Google

exsultans tuo inservis Amori crucifixo, monitum sequens Apostoli: " *Mortificate membra vestra, quae sunt super terram* " (Col. 3, 5).

Totius corporis animique mortificatio.

Postremo hactenus dicta coronet *mortificatus*, qui monachum potissimum decet, *totius* **corporis animique habitus.** Ad integram enim te oportet sanctimoniam severioremve revocare disciplinam tam motus corporis, quam animi mores, ideoque penitus rescindere, quidquid a religiosâ claustri gravitate declinat. Corpus igitur, quum sit templum Spiritus Sancti animaeque organum, aequum omnino est, ut pro divini reverentiâ hospitis sit sanctum utque animi virtus ex omnibus quodammodo motibus membrisque effulgeat. Ergo sic sit verecunde, modeste graviterque compositum, ut omni ex parte Deum glorificet aedificetque proximum. Te quidem pauperem honestâ im-

Corporis habitus.

Munditia.

primis commendet *munditia*, quae purum mundumque animum prodit. Deinde *caput* religiosâ sic regas disciplinâ, ut rectum teneatur, tantillum quidem ante inclinatum, sed nec ultro citroque leviter concussum nec deflexum molliter. In *vultu* autem resplendeat dignitas sanctâ hilaritate illustrata, quae cordis laetitiam testatam faciat, neque in dissolutos se cachinnos neque in scurrilitates effundat, quoniam " *sicut sonitus spinarum ardentium sub ollâ, sic risus stulti* " (Eccl. 7, 7). Subinde frons,

Caput.

Vultus.

Risus.

Digitized by Google

quae est quaedam animi janua, non rugas exhibeat, sed sanctus in eâ resideat pudor serenitasque, sicut etiam in labiis moderate tantum clausis. Nam "*in facie prudentis lucet sapientia*" (Prov. 17, 24). Omnium dein sensuum portis custos praeficiatur spiritus mortificationis, qui a noxiis eos perceptionibus avocet caveatque, ne curiosius modum excedant monasticae disciplinae. Apprime diligentissimâ jugiter sepiantur custodiâ *oculi*, lucernae illae, fenestrae (Jer. 9, 21) ac specula animae. Etenim "*ex visu cognoscitur vir*" (Eccli. 19, 26). Sursum igitur cor, visum autem deorsum dirigas tegasque caputii velo. Sint oculi tui pudore ornati, simplices atque ita modeste haud nihil demissi, eos ut solutius nec circumvertas nec in alterius faciem defigas. Quod si neglexeris, "*eris sicut dormiens in medio mari et quasi sopitus gubernator, amisso clavo*" (Prov. 23, 34). Nam "*nequius oculo, quid creatum est?*" (Eccli. 31, 15) Simili ratione *linguam*, *aures*, *odoratum* custodias nullumque tibi permittas fratrum *tangere*, excepto sancto pacis amplexu. *Manus* sub scapulari teneantur cunctique corporis *gestus* perinde omni careant motu inordinato, ac si corpus tuum divino coelestis Sponsi spiritu animatum sit. Spiritus enim Domini est sanctae disciplinae spiritus, et "*domum*" membrumque "*Dei decet sanctitudo*" (Ps. 92, 5). Quo

Quinque sensus,

Oculi,

Gestus et incessus.

Digitized by Google

accedat, ut, nisi instet necessitas, semper monasticâ cum maturitate ac moderatione incedas, ab omni levitate, fastu vel mollitie abhorrens, tanquam si Angelus e coelo descenderit.

Mortificatio debet esse humilis et discreta,

En, mi frater, immensus, qui tibi in claustro apertus est, exterioris interiorisque mortificationis campus! Quem ut sancte percurras, summam da operam et humilitati et discretioni, nihil omnino tuo relinquens arbitratui, sed unumquodque mortificationis exercitium sanctae obedientiae subjiciens. Secundo loco nihil agas cum animi vel tristitiâ vel inconstantiâ, quum multum praestet, leviora alacriter atque in paucis fideliter persequi, quam majora incipere et post ex animi mobilitate deserere. Utique perseverandum est in sancto mortificationis proposito, quantumvis aut tentator aut ignavum tui ipsius cor vocitet: " *Descende de cruce!* " Ne cesses respondere: " *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* " (Joan. 18, 11) Quibus si addas quum *poenitentiae spiritum*, monacho peculiariter proprium, tum ardens studium, omnia tua cum meritis acerbissimisque cruciatibus Jesu Christi et cum doloribus amantissimae martyrum Reginae conjungendi, gloriari tibi cum Apostolo licet: " *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferimus, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris* " (2 Cor. 4, 10). Enimvero

Alacris et constans,

Juncta cum spiritu poenitentiae et Passione D. N.

Digitized by Google

positum tunc est Sponsi " *signaculum super cor tuum et super brachium tuum,*" et " *fasciculus myrrhae dilectus* " tuus tibi (Cant. 8, 6; 1, 12). Ita praecinctus cingulo puritatis peccatricem perdis animam tuam, ut sanctificatam invenias. Atque navicula tua reapse est ad crucem alligata, ut beatum laetabunda portum contingat.

Fructus s. mortificationis:

Fructus denique s. mortificationis, quam praeclari sint quamque benedicti, sedulo animo revolvas. Eo, quod corpus ejusque cupidines in regalem spiritus dominationem redigit, peccato mortem, animae autem veram affert divinamque vitam. Deinde futuram corporis redemptionem gloriamque inchoat quodammodo et informat, quia caro sub victricis gratiae imperium nutumque subjecta, in altiorem ascendit ordinem. Omni porro appetitu cum ratione composito fieri nequit, quin placidissima quaedam in animâ pax dominetur et floreat. E concupiscentiis enim oriuntur prope omnes perturbationes, aegritudines, angustiae, lites, ita ut, cohibitis illis ac sedatis, gratissima constituatur cum semetipso ac proximo concordia. Revera igitur mortificatio te reddit placatum, pacificum, amabilem ac gratiosum, teque a saeculi desideriis abstractum in perfectiorem semper libertatem filiorum Dei attollit et tantâ complet spirituali unctione, gaudio, consola-

Animi in corpus imperium,

Pax sancta,

Libertas filiorum Dei et gaudium spirituale,

Digitized by Google

tione totque coelestibus perfundit fidei ac sanctae contemplationis luminibus, ut intelligas, quam vera sit vox illa divina: "*Beati, qui lugent*" (Matth. 5, 5). "*Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra*" (2 Cor. 1, 5).

Studium orationis et caritas,

Jam mirum sane in modum vigebit in te studium orationis, gratiae triumphus, ardor zeli et amor consumens. Lampades tuae "*lampades ignis atque flammarum*" (Cant. 8, 6). Sanctâ crucis sapientiâ imbutus mortificationem quasi quendam Cherub, flammeo instructum gladio, collocabis ante paradisum casti cordis tui et animo confidenti dulcissimum exspectabis Sponsum. Doloris denique, tentationis, calamitatis quidquid tibi accidit, omne cooperabitur in bonum. Sicut aurum in fornace probaberis, e quâvis tribulatione purior, castior, nitidior procedens. Nimirum mortificatio pretiosissimâ te ornabit s. patientiae virtute. "*Patientia autem operatur probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit*" in aeternum, "*quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*" (Rom. 5, 4 sq.).

S. Patientia et spes secura.

Digitized by Google

Testimonia

I. ex S. Regula, II. ex decretis et documentis S. Ecclesiae, III. ex Sanctorum et Doctorum scriptis deprompta.

S. Regula.

Castitas religiosa.

INSTRUMENTA artis spiritualis sunt: *Castitatem amare.* — Nihil *amori Christi* praeponere. — In primis Dominum Deum *diligere ex toto corde*, tota anima, totâ virtute (*C.* 4. *instr.* 64, 21, 1).

Ejus conservatio.

Instrumenta artis spiritualis sunt: *Desideria carnis* non perficere. — Non concupiscere. — *Cogitationes malas* cordi suo advenientes mox ad Christum allidere (*C.* 4. *instr.* 59, 61, 50). — Monachus *desideria carnis* amputare festinet... Ut *sollicitus* sit *circa cogitationes perversas*, dicat semper humilis frater in corde suo: « *Tunc ero immaculatus coram Eo, si observavero me ab iniquitate mea* » (*Ps.* 17, 24). — Dicit sancta Scriptura: « *Sunt viae, quae videntur hominibus rectae, quarum finis usque ad profundum inferni demergit* » (*Prov.* 16, 25). — Cavemus illud, quod de negligentibus dictum est: « *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in voluptatibus suis* » (*Ps.* 52, 2). In *desideriis* vero *carnis* nobis Deum credamus esse praesentem semper, quum dicit Propheta Domino: « *Domine, ante Te est omne desiderium meum* » (*Ps.* 37, 10). — Cavendum ergo ideo *malum desiderium*, quia mors secus introitum delectationis posita est. Unde Scriptura praecipit dicens: « *Post concupiscentias tuas non eas* » (*Eccli.* 18, 30. *c.* 7. *gr.* 1). (Habitabit in tabernaculo Domini), Qui malignum *diabolum aliqua suadentem* sibi cum ipsâ suasione suâ *a conspectibus cordis* sui *respuens* deduxit ad nihilum et *parvulos cogitatus* ejus tenuit et allisit ad Christum (*Prolog.*). *Non detur occasio diabolo* maligno (*C.* 54, 43, 38).

Digitized by Google

S. P. Benedicti castitas.

Vita S. Benedicti : Vir sanctus (cum malignus spiritus carnis tentationem excitasset) supernâ gratiâ ad semetipsum reversus est atque urticarum et veprium juxta densa succrescere fruteta conspiciens, exutus indumento nudum se in illis spinarum aculeis et urticarum incendiis projecit, ibique diu volutatus toto ex eis corpore vulneratus exiit : et per cutis vulnera eduxit a corpore vulnus mentis; quia voluptatem traxit in dolorem. Cumque bene poenaliter foris arderet, exstinxit quod intus illicite ardebat. Vicit itaque peccatum, quia mutavit incendium. Ex quo videlicet tempore (sicut post discipulis ipse perhibebat) ita in illo est tentatio voluptatis edomita, ut tale aliquid in se minime sentiret. Coeperunt postmodum multi jam mundum relinquere atque ad ejus magisterium festinare. Liber quippe a tentationis vitio, jure jam factus est virtutum magister. (*C.* 2).

Mortificatio.

Instrumenta artis spiritualis sunt : *Abnegare semetipsum sibi*, ut sequatur Christum. — *Corpus castigare.* — A *saeculi actibus* se facere alienum (*cap.* 4, *instr.* 10, 11, 20). — Non illico perterritus refugias *viam salutis*, quae non est nisi *angusto initio* incipienda (*Prolog.*).

(Monachi) *Angustam viam arripiunt*, unde Dominus dicit : « *Angusta via est, quae ducit ad vitam* » (*Matth.* 7, 14), ut non suo arbitrio viventes vel desideriis suis et voluptatibus obedientes, sed... Abbatem sibi praeesse desiderant (*C.* 5).

Noviter venienti praedicentur omnia *dura et aspera*, per quae itur ad Deum (*C.* 58).

Monachorum genus primum est *Coenobitarum*, h. e. monasteriale, *militans* sub Regulâ vel Abbate... Anachoretae didicerunt *contra diabolum pugnare* et bene instructi *fraternâ ex acie* (procedunt) (*C.* 1).

Sub uno Domino aequalem *servitutis militiam* bajulamus (*C.* 2).

Ecce lex (*S. Regula*), sub quâ *militare* vis (*C.* 58).

Vita S. Benedicti : Nulli animum voluptati dedit (*Prol.*).

Digitized by Google

Disciplina refectorii.

Simul omnes dicant versum et *orent*, et sub uno *simul omnes* accedant *ad mensam*... Similiter autem post cibum (*C.* 43).

Unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius vero sic (1 *Cor.* 7, 7). Et ideo cum aliquâ scrupulositate a nobis *mensura victus* aliorum constituitur (*C.* 40).

Qui *minus indiget*, agat Deo gratias et non contristetur; qui vero *plus indiget*, humilietur pro infirmitate (*C.* 34).

Jejunium et abstinentia.

Instrumentum artis spiritualis est : *Jejunium amare* (*C.* 4. *instr.* 13).

Omni tempore *vita monachi Quadragesimae* deberet observationem habere (*C.* 49).

Quadragesima.

Suademus diebus *Quadragesimae* omni puritate vitam suam custodire, omnes pariter *negligentias* aliorum temporum *his diebus sanctis diluere.* Quod tunc *digne* fit, si... compunctioni cordis atque *abstinentiae* operam damus. Ergo his diebus *augeamus nobis aliquid* ad solitum pensum *servitutis nostrae*, orationes peculiares, *ciborum et potus abstinentiam.* Unusquisque *super mensuram* sibi indictam *aliquid* propriâ voluntate cum gaudio S. Spiritus *offerat Deo* i. e. *subtrahat corpori suo* de cibo, de potu... et cum spiritualis desiderii gaudio sanctum Pascha exspectet (*C.* 49).

Sobrietas in cibo et potu.

Instrumenta artis spiritualis sunt : *Delicias non amplecti.* — *Non* esse *vinolentum.* — Non multum *edacem* (*C.* 4. *instr.* 12, 35, 36).

Quae *necessaria* sunt *comedentibus et bibentibus*, sic sibi invicem ministrent fratres, ut nullus indigeat petere aliquid (*C.* 38).

Sufficere credimus ad *refectionem... duo cocta pulmentaria* propter diversorum infirmitates, ut forte, qui ex uno non poterit edere, ex aliis reficiatur. Ergo *duo pulmentaria* cocta fratribus sufficiant, et si fuerint inde poma aut nascentia leguminum, *addatur et tertium. Panis libra una* propensa sufficiat in die... Quodsi labor forte factus fuerit major, *in arbitrio et potestate Abbatis* erit, *si expediat, aliquid augere, remotâ prae omnibus crapulâ*, ut nunquam surripiat Monacho *indigeries ;* quia nihil sic contrarium est omni Christiano, quomodo

Digitized by Google

crapula, sicut ait Dominus noster: « *Videte, ne graventur corda vestra in crapulâ et ebrietate!* » (*Luc.* 21, 34; *c.* 39).

Infirmorum contuentes imbecillitatem credimus *heminam vini* per singulos sufficere per diem. Quibus autem *donat Deus tolerantiam abstinentiae*, propriam se habituros mercedem sciant. Quodsi aut loci necessitas vel labor aut ardor aestatis amplius poposcerit, in arbitrio Prioris consistat, *considerans in omnibus, ne subrepat satietas aut ebrietas...* Hoc consentiamus, ut *non usque ad satietatem* bibamus, sed parcius, quia: « *Vinum apostatare facit etiam sapientes* » (*Eccli.* 19, 2). Ubi autem loci necessitas exposcit, ut nec suprascripta mensura inveniri possit, sed multo minus aut ex toto nihil, *benedicant Deum et non murmurent* (*C.* 40).

Lectio ad mensam.

Mensis fratrum edentium *lectio deesse non debet...* (Hebdomadarius lector) acceptâ benedictione ingrediatur ad legendum; *summumque fiat silentium ad mensam*, ut nullius mussitatio vel vox, nisi solius legentis ibi audiatur (*C.* 38).

Extra mensam aut foris non manducandum.

Ne quisquam praesumat *ante* statutam horam *vel postea* quidquam cibi vel potus percipere (*C.* 43).

Fratres *non praesumant foris manducare*, etiamsi a quovis rogentur, nisi forte eis ab Abbate suo praecipiatur (*C.* 51).

Vita S. Benedicti: Mos cellae fuit, ut quoties ad responsum aliquod egrederentur fratres, *cibum potumque extra cellam* minime sumerent. Quumque hoc *de usu Regulae sollicite servaretur*, quadam die ad responsum fratres egressi sunt et... sumpserunt cibum. (Quos cum venerabilis Pater, re divinitus cognitâ, increpasset) *ad ejus pedes tremefacti cecidérunt* et se deliquisse confessi sunt. Ipse autem protinus culpam pepercit, perpendens, quod ultra non facerent (*C.* 12).

Disciplina capituli.

Si quis... aliquid *deliquerit* aut *fregerit* quippiam aut *perdiderit* vel aliud *quid excesserit*,... ante Abbatem vel Congregationem ultro *satisfaciat et prodat delictum* suum... (et) subjaceat emendationi. Si animae vero peccati causa latens fuerit, tantum Abbati aut spiritualibus Senioribus

Digitized by Google

patefaciat, qui sciant curare sua, et aliena vulnera non detegere aut publicare (*C.* 46).

Abbas non permittat nutriri vitia, sed prudenter et cum caritate ea amputet, prout viderit cuique expedire (*C.* 64).

Apostolicam debet illam semper formam servare, in qua dicitur: « *Argue, obsecra, increpa* » (1. *Timoth.* 4, 2). Id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta : dirum magistri, pium patris ostendat affectum : i. e. indisciplinatos et inquietos debet durius arguere; obedientes autem, et mites et patientes, ut melius proficiant, obsecrare; negligentes autem et contemnentes ut increpet et corripiat, admonemus. Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox, ut coeperint oriri, radicitus ea, ut praevalet, amputet : memor periculi Heli sacerdotis de Silo (*C.* 2. — *cf. c.* 27 *et* 28).

Vita S. Benedicti : Collectis fratribus inobedientem monachum de infidelitate suâ coram omnibus increpavit (*C.* 28; *cf. c.* 4, 19, 20).

Satisfactio.

Si quis (in opere Dei) fallitur, nisi *per satisfactionem* ibi coram omnibus *humiliatus* fuerit, majori vindictae subjaceat, quippe qui noluit *humilitate corrigere, quod negligentiâ* deliquit (*C.* 45).

Conscientiae manifestatio.

Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes vel mala a se absconse commissa per humilem confessionem Abbati non celaverit suo. Hortatur nos de hac re Scriptura, dicens : « Revela Domino viam tuam, et spera in eo » (*Ps.* 36, 5). Et item dicit: « Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus » (*Ps.* 105, 1). Et item Propheta : « Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitias meas non operui. « Dixi, pronuntiabo adversum me injustitias meas Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei » (*Ps.* 31, 5, *c.* 7. *gr.* 5).

Instrumentum artis spiritualis est : *Cogitationes malas* cordi suo advenientes Seniori spirituali patefacere (*C.* 4. *instr.* 51).

Disciplina cellae.

Instrumenta artis spiritualis sunt : Non esse *somnolentum* — Non *pigrum.* — *Actus* vitae suae *omni horâ custodire.* —

Digitized by Google

In omni loco *Deum se respicere* pro certo scire (*C.* 4. *instr.* 37, 48).

Parati sint monachi semper, facto signo *absque morâ surgentes* (C. 22).

Corporis habitus.

Duodecimus humilitatis gradus est, si non solum corde Monachus, sed etiam ipso corpore humilitatem videntibus se semper indicet, i. e. in opere, in oratorio, in monasterio, in horto, in viâ, in agro vel ubicumque sedens, ambulans, vel stans, inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus, reum se omni horâ de peccatis suis existimans, jam se tremendo Dei judicio praesentari existimet : dicens sibi in corde semper illud, quod publicanus ille evangelicus, fixis in terram oculis dixit : « Domine, non sum dignus ego peccator, levare oculos meos ad coelum » (*Luc.* 18, 13). Et item cum Propheta : « Incurvatus et humiliatus sum usquequaque » (*Ps.* 118, 107). (*c.* 7. *gr.* 12).

Instrumentum artis spiritualis : *Honorare omnes homines* (*C.* 4, *instr.* 8).

In pauperibus et peregrinis *Christus* magis *suscipitur* (*C.* 53).

Sermo *responsionis* porrigatur bonus, quia scriptum est : *Sermo bonus super datum optimum* » (*Eccli.* 18, 17) (*C.* 31.).

Risus.

Instrumentum artis spiritualis est : *Risum* multum aut *excussum* non amare (*C.* 4, 55).

Decimus humilitatis gradus est, si non sit facilis ac promptus in risu, quia scriptum est : « *Stultus in risu exaltat vocem suam* » (*Eccli.* 21, 23) (*C.* 7).

Scurrilitates... aeternâ clausurâ in omnibus locis damnamus (*C.* 6).

Sensus.

Fratres in via directi omnium orationi se commendent... Revertentes prostrati solo Oratorii ab omnibus petant orationem propter excessus, *ne quid forte subripuerit* in viâ *visus* aut *auditus* malae rei aut *otiosi sermonis* (*C.* 67).

Mortificationis disciplina sit humilis.

Quod unusquisque offert, Abbati suo suggerat et cum ejus fiat oratione et voluntate ; quia, quod sine permissione Patris

Digitized by Google

spiritualis fit, *praesumptioni* deputabitur et *vanae gloriae*, non mercedi (*C.* 49).

Monachus (abstinentiam) *cum gaudio S. Spiritus* offerat Deo (*C.* 49). *Alacris et discreta.*

(Abbas) testimonia *discretionis* matris virtutis sumens sic omnia *temperet*, ut sit, quod et fortes cupiant, et *infirmi non refugiant* (*C.* 64).

« Perseverantes *passionibus Christi* per patientiam *participemus*, ut regni Ejus mereamur esse consortes » (*II. Cor.* 1, 7). (*Prolog.*) *S. Patientia.*

Instrumenta artis spiritualis : Persecutiones pro justitiâ sustinere. — Malum pro malo non reddere. — Injuriam non facere, sed factam patienter sufferre. — Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere (*C.* 4. *instr.* 33, 29, 30, 32).

Quartus humilitatis gradus est, si (Monachus)... tacitâ conscientiâ *patientiam amplectatur*, et sustinens non lassescat vel discedat, dicente Scripturâ : « *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* » (*Matth.* 24, 13). Item : « *Confortetur cor tuum et sustine Dominum* » (*Ps.* 26, 14). Et ostendens, fidelem pro Domino universa etiam contraria sustinere debere, dicit ex persona sufferentium : « Propter te morte afficimur totâ die ; aestimati sumus sicut oves occisionis » (*Ps.* 43, 22). Et securi de spe retributionis divinae, subsequuntur gaudentes, et dicentes : « Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos » (*Rom.* 8, 37). Et item alio loco Scriptura : « Probasti nos, (inquit), Deus, igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum : induxisti nos in laqueum ; posuisti tribulationes in dorso nostro » (*Ps.* 65, 10, 11). Et ut ostendat sub Priore debere nos esse, subsequitur dicens : « Imposuisti homines super capita nostra » (*Ib.* 12). Sed, et praeceptum Domini in adversis et injuriis, per patientiam adimplentes, percussi in maxillam, praebent et alteram ; auferenti tunicam, dimittunt et pallium, angariati milliario, vadunt et duo (*Matth.* 5, 39-41), cum Paulo Apostolo falsos fratres sustinent et persecutionem, et maledicentes se benedicunt (*C.* 7. *gr.* 4).

Digitized by Google

Vita S. Benedicti. Cf. c. 3. de vase pestifero, et c. 8 de infecto per venenum pane.

Spes.

Instrumenta artis spiritualis sunt: *Spem* suam Deo committere. — Et de Dei misericordiâ *nunquam desperare* (*C.* 4. *inst.* 41, 72).

« *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam: et non confundas me ab exspectatione mea* » (*Ps.* 118, 116). (*C.* 58).

S. Ecclesia.

S. Castitas religiose servanda.

Clemens XIV. (✝ 1764): « *Castitas Angelos facit; qui eam servavit, Angelus est; qui eam perdidit, diabolus.* » Aurea sunt beati patris *Ambrosii* verba, quae plurimum, frequenterque a religiosis viris pensanda sunt, ut tam praeclara virtus intemerata servetur. Cum enim in terris *Angelorum* personam referre quodammodo debeatis, fratres dilectissimi, utpote qui in ministerium salutis animarum missi estis, eam prae ceteris colatis virtutem oportet; sine quâ neque Angeli esse, neque Angelorum ministerium exercere poteritis. Quamobrem cuilibet vestrum maximo studio enitendum est, ut ea omnia, tanquam *a facie colubri, fugiatis*, quae candidissimum hunc virtutum omnium florem vel minimum quidem obscurare queant. « *Cum ceteris enim vitiis*, inquit divus Hieronymus, *quis posset resistere, huic tamen non potest nisi per fugam.* » Quae pugnae ratio, si in aliis ad turpe vitium incitamentis omnino servanda est, potissimum vero in vitandis mulieribus. « *Homo et mulier*, ait idem eximius doctor, *ignis et palea; et diabolus numquam sufflare cessat, ut accendatur.* » Accenditur autem potissimum per colloquia, ex quibus mutuus primum facile excitatur affectus, tum vehementis amoris flamma succenditur; unde idem pater hortabatur: « *Dum parvus est hostis, interfice; scilicet statim exsecanda radix, neque de tuâ aut alienâ sanctitate fidendum; neque enim aut Davide sanctior, aut Samsone fortior, aut Salomone potes esse sapientior.* » Colloquia, inquies, spiritualia sunt, et piae de rebus coelestibus colla-

Digitized by Google

tiones. At sufflat diabolus, et vorax ignis, non quidem divinae caritatis, sed carnalis amoris tandem accendetur. » *Spiritualis enim*, inquit divus Basilius, *primo caritatis quâdam specie illectos, postea in voraginem praecipites deturbavit.* » At mulieres et puellae ex iis sunt, quae crucis mortificationem jugiter portant in corpore suo, et Christum toto corde sequuntur. « *Nihil refert*, ait angelicus Doctor ; *nec quia sanctiores fuerint, ideo minus cavendae ; quo enim sanctiores, eo magis alliciunt ; uno verbo, nisi fugam arripias, periisti...* » Absit, ut religiosus quisque colloquia unquam solus misceat cum mulieribus in cellâ seu mansione ad ecclesiam, quo ipsae ingredi possunt, ostiis clausis et clavi firmatis. Aut testem habeat, aut, apertis ostiis, inter portam et portam sic colloquatur, ut a transeuntibus conspici queat. (*Const.* " *In vinea Domini* " *a.* 1772. §. 7.)

Diligenter et caute custodienda.

Congregatio Bursfeldens. (*fundata a.* 1433): *Castitas* cum sit praecipuum Ordinis ornamentum, ideo vi voti Deo facti omnibus viribus enitendum, ut *cor corpusque* nostrum *Deo illibatum servemus*, et omnia ea vitemus, quae puritati et castitati adversantur. *Remediis* itaque *spiritualibus et corporalibus utendum*, quorum aliqua (*cap.* 4. *et* 7.) S. Pater praescribit, ut sunt divinae opis imploratio, quotidiana proposita, annua votorum renovatio, lectio et amor Scripturarum, mortificatio carnis, labor corporalis, fuga occasionum, pravorum hominum turpiumque sermonum declinatio aliaque quae SS. Patres et ascetae ut salutaria media agnoverunt et praescripserunt. — *Feminarum* alloquia, quantum possibile, declinabunt, vel si ratio exegerit, omni verecundiae in verbis et factis studeant (*Stat. dist.* 8. *c.* 4. 7 *et* 9).— Severissime mandatur, ne quis nostrorum Fratrum ulli alterius sexus, sine justâ causâ et licentiâ et sine teste, loquatur, quod breviter loco et horâ minime suspectis fiat. Nemo ulli personae scribere, quid mittere aut ab eâ accipere sine expressâ licentiâ praesumat. Et ut praecaveamus, quantum in nobis est, ne quis incontinentiae famam suo vitio incurrat aut Monasterio et Ordini labem aspergat, nemo se ullis, etiam

Digitized by Google

quantumcunque devotis feminis familiarem reddat, aut ullatenus ad secretiora loca inducat aut alio quocunque titulo fundato se suspectum reddat ; tunc enim ex circumstantiis et rationibus pro convicto haberi posset. Sicut vero circumspecta cum timore Dei debet esse conversatio nostra, ita prudens certumque de eâ cum timore Dei judicium formari debet, ne ulli innocenti immaculatoque detrahatur (*Dist.* 5. *c.* 1. §. 1).

Quinque praeclara subsidia.

Congregatio Suevica (*fundata a.* 1725) : *Conservandae tuendaeque castitatis*, ad cujus curam solemni voto obstricti sumus, *S. P. N.* in *Regulâ* suâ *quinque praeclara* nobis suggerit *subsidia: primum* est praepropera minimeque dilata propulsatio malarum cogitationum; *alterum* est frequens memoria praesentiae divinae ; *tertium* est timor Dei, severissimi peccatorum vindicis ; *quartum* est otii fuga ; *quintum* denique moderata et discreta corporis castigatio sensuumque mortificatio. Ut inoffenso pede feliciter tot tantaque pericula evadamus, implorandum imprimis quotidie est intentissimis precibus divinae gratiae subsidium, seduloque observanda haec, quae S. P. N. conservandae castitatis praescripsit media, quibus adhibitis non vane sperare possumus, nos opitulante divinâ gratiâ, omnia tela nequissimi ignea, quibus in dies infestamur, feliciter exstincturos et, quem Deo devovimus, *illibatae castitatis thesaurum salvum, integrum* et *intemeratum conservaturos* esse. Quodsi necesse sit quandoque cum *mulieribus* loqui, fiat id quam brevissime, modeste, nec nisi in locis publicis ac aliorum praesentiâ (*Const. p.* 2. *c.* 2. *pct.* 4).

Alia remedia salutaria.

Concilium Provinc. Strigoniens. (*Gran, a.* 1858) : Cum hanc *angelicam virtutem in vasis fictilibus* multum fragilibus deferamus, omni sollicitudine tuenda, et contra pericula mediis opportunis munienda est. Inter quae referri debet quotidianum *examen conscientiae* tam generale quam particulare; frequens *sacramentalis confessio;* missae *sacrificii celebratio.* Porro *oratio* et *meditatio* quotidiana, *horarum*

Digitized by Google

canonicarum attenta, devota et *simultanea in choro voce altiori persolutio*, media sunt ad angelicam virtutem hanc illaesam servandam custodiendamque (*Decr. tit.* 7).

S. Castitatis praestantia.

Concil. Provinc. Viennens. (1858): Praeclara et quasi *cœlestis virtus* est *castitas*, quae mundum de immundo, de hoste domesticum, Angelum de homine facit, quae sola in hoc mortalitatis loco et tempore statum quemdam immortalis gloriae repraesentat, moremque beatae illius vindicat regionis, in quâ « *neque nubent neque nubentur.* » Attamen, quo magis illibata castitatis puritas virum ecclesiasticum exornat, eo miserius, eâ violatâ, corruit (*Decr. tit.* 5. *c.* 6).

Concil. Provinc. Pragense (*a.* 1860): Cum *Castitas* pulchritudinem et claritatem hujus sanctae generationis (sc. religiosorum) efficit, Patres in Synodo congregati intimis visceribus rogant et hortantur regulares, ut tam *pretiosam virtutem religiosae abstinentiae* summâ dilectione foveant colantque (*Tit.* 7. *c.* 3). — Quum vitae caelibis et virginalis castimoniae professio proprium et angelicum sit *ordinis sacerdotalis ornamentum*, sed onus quoque humanis humeris valde formidandum, primum ac praecipuum clericorum studium in eo versetur oportet, ut coelesti dono meritoque castitatis conspicui, *candidum*, ut ait S. Cyprianus, *Ecclesiae senatum* efficiant, et ab omni illecebrâ carnis, auxiliante Domino, alieni, splendido pudoris exemplo eloquium Christi comprobent dicentis: « *Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum* » (*Luc.* 18, 27). Ad cujus exempli praeconium divinorum ministri, dolendâ praesertim nostri saeculi perversitate, eo magis provocantur, quo major in dies accrescit tum incredulorum turba, qui carnalibus ipsi desideriis mancipati, nullius alterius castimoniae fidunt, tum male blandientium copia, qui clericos terrenis concupiscentiis implicare satagunt, ut perfidos mox tanto vehementius impugnare et contemnere queant (*Tit.* 1. *c.* 7).

Praedilecta JESU *et Ecclesiae.*

Concil. Provinc. Colocens. (*Colocza a.* 1863): Auctor nostrae religionis JESUS tum *Matrem* tum *Nutricium elegit*

Digitized by Google

virgines, et *discipulum castitatis praerogativâ conspicuum* prae ceteris dilexit. Universim religio Christiana magnam dignitatem et singularem beatitatem, in cordis puritate repositam, docet. Exinde mox inter primos christianos *singularis pro vitae castimoniâ veneratio* invalescere coepit, quam virtutem ab eis vel maxime requirebant, quos omnium virtutum genere praeclaros esse desideraverunt, Dominico dicto conformiter : « *Vos estis sal terrae; vos estis lux mundi.* » — Cum vero virtus haec difficultate haud careat, cuncti ad sanctuarium Domini vocati, eandem ardentibus a Deo efflagitent precibus, *praesidia fovendae castitatis* diligenter adhibeant, *sacramentis* semet solerter muniant, a *promiscuis conversationibus* caveant ; *otium*, continentiae maximum hostem, fugiant ; *divinae praesentiae* memoriâ cor suum firment, Beatissimam *Virginem* filiali cum fiduciâ colant, praecipuos sanctae *virginitatis patronos* in veneratione habeant, atque omnem vitae rationem ita instituant, ne in eâ quidquam admittatur, quod castae pudicitiae laqueo esse posset. (*Tit.* 4. *c.* 12).

Ejus praesidia.

S. Castitas monachorum et sacerdotum gloria.

Synod. Provinc. Ultrajectens. (*Utrecht a.* 1865) : Angelica *virginalis castitatis* virtus, quae *nobilissima gloria* est *eorum, qui se totos Christo consecrarunt*, fideliter sancteque est custodienda, et contra pericula omnia sollicite munienda (*Tit.* 7. *c.* 1). — Virginalis castimoniae virtus maxima *sacerdotalis ordinis gloria* est atque ornamentum. Non tantum ergo florere in clericis praeclara haec et angelica virtus ita debet, ut suum longe lateque diffundat odorem, sed et absit etiam ab eis oportet id omne, ex quo vel levissima exoriri posset sinistrae suspicionis vel obloquii occasio. *Fugiant* clerici *mulierum conversationem* et familiaritatem, non earum modo, quae famâ forte non bonâ notantur, sed et earum, quae pietatis ac modestiae laude merito potiuntur. Omnis enim inutilis cum eisdem consuetudo non potest non scandalo esse aut etiam periculo. Quoties vero cum mulieribus ratione officii agere obligantur, meminerint S. Bonaventurae regulam, *brevem* et *rigidum cum eisdem habendum esse ser-*

Digitized by Google

monem (*De purit. consc. c.* 14). — Continentiae ac *pudicitiae sociae, temperantia, mortificatio, modestia*, et ipsae splendere et elucescere in clerico debent, ac ne tenui quidem maculâ obscurari... Etenim nisi haec serventur, fieri nequit quin clericalis honestas pessumdetur. « *Temperantia* temperantem facit abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum. Haec virtus si in animo habitat, libidines frenat, affectus temperat, desideria sana multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes pravas removet, inserit sanctas, ignem libidinosae voluptatis exstinguit, animi teporem desiderio futurae remunerationis accendit, mentem placidâ tranquillitate componit et totam semper ab omni vitiorum tempestate defendit » (*Jul. Pomer. de Vit. Contempl. l.* 3. *c.* 19). « *Si sobrietas desit, sacerdos spiritum sanctitatis exstinguit* » (*S. Petr. Chrysol. serm.* 26). (*Tit.* 8. *c.* 4).

Sociae ejus virtutes servandae.

Temperantia,

Sobrietas.

Pontificale Romanum : Agnovit auctorem suum *beata virginitas* et *aemula integritatis angelicae;* Illius thalamo, Illius cubiculo se devovit, qui sic perpetuae *virginitatis* est *Sponsus*, quemadmodum perpetuae *virginitatis* est *Filius.*— Benedicat vos conditor coeli et terrae, Deus Pater omnipotens, qui vos eligere dignatus est ad *B. Mariae* Matris Domini nostri JESU CHRISTI consortium, ut integram et immaculatam virginitatem, quam professae estis coram Deo et Angelis ejus conservetis, propositum teneatis, castitatem diligatis, patientiam custodiatis. Sit in eis casta virginitas; sint ornatae pariter et armatae fide integrâ, spe certâ, caritate sincerâ; ut, praeparato animo ad continentiam, virtus tanta praestetur, quae superet diaboli universa figmenta et, contemnendo praesentia, futura sectentur; jejunia epulis carnalibus praeferant, lectiones sacras et orationes conviviis et potationibus anteponant; ut orationibus pastae et eruditionibus expletae, illuminatae vigiliis, opus gratiae virginalis exerceant. His igitur virtutum armis has tuas famulas interius

Animae Christo desponsatae virtutes.

Digitized by Google

exteriusque communiens, praesta, inoffensum cursum virginitatis explere (*De benedict. et consecrat. virginum*).

Firmissimum s. Eucharistiae praesidium.

Missale Romanum: *Sacramenta*, quae sumpsimus Domine Deus noster, illius in nobis culpae vulnera reparent; a qua Immaculatam beatae Mariae Conceptionem singulariter praeservasti (*Postcom. in f. Imm. Conc. B. M. V.*). — *Hostia immaculata*, quâ illud Domini nostri JESU CHRISTI immensae caritatis opus renovamus... sit contra omnes corporis et animae infirmitates salutare remedium (*Secr. in festo S. Camilli de Lellis*). — *Coelesti convivio fac nos*, Domine, *nuptiali veste indutos accumbere;* quam B. Aloysii pia praeparatio et juges lacrymae inaestimabilibus ornabant margaritis (*Secr.*). — *Angelorum escâ* nutritos angelicis etiam, Domine, da moribus vivere (*Postcom. in festo S. Aloysii de Gonz.*).

JESUS *corona virginum.*

Breviarium Monast.: JESU *Corona Virginum*, — Quem Mater illa concipit, — Quae sola virgo parturit, — Haec vota clemens accipe. — Qui pascis inter lilia, — Septus choreis Virginum, — Sponsus decorus gloriâ, — Sponsisque reddens praemia. — Quocumque pergis, Virgines — Sequuntur, atque laudibus — Post te canentes cursitant, — Hymnosque dulces personant. — Te deprecamur largius: — Nostris adauge sensibus, — Nescire prorsus omnia — Corruptionis vulnera (*Hymn. in Vesp. de Com. Virg.*).

B. Maria Virgo.

Breviarium Romanum: *Virgo singularis*, — Inter omnes mitis, — Nos culpis solutos — *Mites fac et castos* (*Hymn. in Vesp. B. M. V.*).

S. Gertrudis.

Breviarium Monast.: *Gertrudis* arca Numinis — Sponsoque juncta Virginum, — Da nuptiali pangere, — Castos amores foederis. — Candentis instar lilii — Odore mulces sidera, — Et virginali coelitum — Regem decore pertrahis (*Hymn. in fest. S. Gertrudis Magnae*).

Abnegatio sui.

Concil. Provinc. Viennens. (*a.* 1858): *Intima sui abnegatio* vitae religiosae ad instar animae corpus animantis et regentis est, ac omnis, quo pollet, decoris meritique fons

Digitized by Google

et origo. Haec hominis *de se mundoque victoria* mirabilis est Spiritus Sancti operatio, mirabilior *poenitentiae operibus*, quae ad ipsam conservandam et perficiendam ordinantur et ideo, quia fructus ejus, sacrificium sunt acceptabile coram oculis Domini (*Tit.* 4. *c.* 13).

Mortificatio mundo odiosa.

Concil. Provinc. Ultrajectense (*a.* 1865): Homines, qui aliud nihil propositum habent, nisi scopum comparandi cumulandique opes nullamque aliam in suis actionibus legem sequuntur nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis, nostris praesertim temporibus acerbo sane odio insectantur *religiosas familias*, quamvis de re christianâ, civili ac litterariâ summopere meritas, et blaterant, easdem nullam habere legitimam existendi rationem, atque ita haereticorum commentis plaudunt (*Cf. Encycl.* " *Quanta cura*" 8 *Dec.* 1864).

Jejunium a Deo praescriptum.

Concil. Provinc. Colocense (*a.* 1863): Cum Dominus primos homines in proprietatem *Paradisi* induceret, *legem* eis *de non comedendo vetitae arboris fructu*, intentatâ mortis sententiâ munitam, dedit. Cujus mandati transgressio continuarum ac etiamnum perseverantium calamitatum fontem aperuit. Idem Dominus *per prophetas jejunium* velut opus sibi acceptum annuntiaverat. *Salvator* vero noster, licet nullis poenitentiae subsidiis egeret, tamen ante inceptum munus publice docendi *quadraginta diebus jejunavit*, simulque praedixit, suos quoque discipulos, dum auferretur Sponsus, jejunaturos esse. Quapropter in *Ecclesiâ catholicâ* usus invaluit, ut fideles dies quosdam jejunio sacrarent, eodemque semet ad festa celebranda praepararent, et carnis illecebras frangendo facilius vacarent, atque egentioribus stipem liberalius largirentur. Praeierunt exemplo *Apostoli*, quos unâ cum ceteris christianis jejunio vacasse sacrarum litterarum testimonium perhibet; *SS. Patres* in laudem jejunii integros libros conscripserunt; *Ecclesia* catholica vero jejunium ex Apostolica traditione subin in *seriem canonicae disciplinae* retulit, et cunctis fidelibus ante Pascha quadraginta dierum jejunium praescripsit. Quantopere

Jesu exemplum,

Apostolica traditio,

S. Ecclesiae disciplina.

Digitized by Google

Fructus jejunii.

jejunandi praxis Deo semper placuerit, singularia Dei dona manifeste probant. Ad preces etenim jejunantium Deus urbes obsidione liberavit, civitates, ad interitum destinatas, in gratiam recepit, animabus jejunio humiliatis peccata remisit. Unde etiam Ecclesia canit, quod jejunio Deus vitia comprimat, mentem elevet, virtutem largiatur et praemia (*Decr. Tit.* 7. *c.* 2).

Concil. Provinc. Coloniens. (*a.* 1860) : Non potest non placere Deo et salutare esse hominibus illud, quod Scripturae sacrae toties commendant, quod nullo non tempore Sancti frequentarunt, quod Christus Ipse exemplo suo sanxit. *Ecclesia*, quae *Christi his in terris vitam continuat*, quomodo magistrum suum imitandum non existimet, praesertim cum ipse dixerit: « *Venient... dies, quum auferetur ab eis Sponsus, et tunc jejunabunt ?* » (*Matth.* 9, 15) Quum porro Ecclesia sancta sit suosque ad sanctitatem provehere quam ardentissime cupiat, quomodo *efficacissimum sanctitatis subsidium* non continuo commendet, imo et praecipiat ? Novit enim, jejunio hominis corpus Dei effici victimam ; cupiditatibus imponi frenum ; hominem, dum jejunio infirmitatis suae sibi sit conscius, humiliari ; pro peccatis commissis satisfacere, futura facilius praecavere ; eumque terrenis desideriis compressis, rebus coelestibus contemplandis et desiderandis fieri aptiorem ; denique magnos meritorum sibi comparare thesauros. Unde merito Ecclesia gratias agit Deo, qui « *corporali jejunio vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur et praemia* » (*Praef. Quadrag.*). Sed illud etiam, nostro potissimum tempore, in memoriam frequenter revocandum est fidelibus, illam, quam *S. Matri Ecclesiae debent obedientiam*, omnino exigere, ut ejus de jejunio et abstinentia praeceptum sancte observent, et quidem animo tanto promptiore, quanto faciliorem suis filiis pia mater, abstinentiae praeceptum temperando, obedientiam hanc reddidit. Unde commonendi etiam sunt, ut, quum ob causas aliquas magis etiam sibi indulgendum aliqui existiment, saltem dispensationem et jejunii in aliud pium opus, veluti precati-

Est sanctitatis subsidium,

Et actus obedientiae.

Digitized by Google

ones et eleemosynas, commutationem ab illis petant, quibus dispensandi et commutandi facultas competit ; opera autem injuncta diligenter persolvant. Omnes demum hortandi sunt ut illam *catholici nominis palam profitendi occasionem*, quae cum hujus praecepti observatione conjuncta saepe est, avide arripiant, memores illius sententiae: « *Omnis... qui confitebitur Me coram hominibus, confitebor et Ego eum coram Patre Meo, qui in coelis est* » (*Matth.* 10, 32) (*P.* 2. *Tit.* 2, *c.* 22).

Concil. Provinc. Viennens. (*a.* 1858) : Dominus praedixit, fore, ut discipuli Ejus, postquam Sponsus ablatus sit, jejunarent. Ut magistri verba opere implerentur, Apostoli et qui Apostolis praedicantibus crediderunt, sanctis studiis egerunt. Ne fervor remitteret, legis ecclesiasticae sanctio accessit. Nostris temporibus, dispensationibus indulgenter concessis, *antiquior jejuniorum rigor* ita *temperatus* est, ut ex piâ corporis afflictione parum remaneat. Attamen vel in minimis jucundi aut commodi quidpiam Dei intuitu sibi negare, animum confirmat et ad patriam, quam in coelis habemus, erigit ; nihil tam exile haberi, a quo Dei intuitu abstinere nimium non videatur, fidei emortuae documentum est. Igitur praecepto Ecclesiae *meritum obedientiae ac sui abnegationis* populo christiano lucrandum proponitur. Attamen majorem quoque dignitatem temporum ratio jejunii ecclesiastici observantiae addit ; *fidei catholicae professio* est, cui se subducere nemo tutum censeat, memor Domini dicentis : « *Qui negaverit Me coram hominibus, negabo et Ego eum coram Patre Meo, qui in coelis est* » (*Matth.* 10, 32). Haec parochi et confessarii fidelibus opportunis commonitionibus ante oculos ponant, ut eos pudeat, escam corruptibilem animae suae saluti et Dei honori anteponere (*Tit.* 4. *c.* 11).

Concil. Provinc. Pragens. (*a.* 1860) : Non erit aequus rerum aestimator, qui ambigat, fideles, dum ex praecepto Ecclesiae jejunant, *opus bonum* operari *ipsâ Lege antiquius*, naturae humanae per Adae peccatum sauciatae maxime consentaneum (*S. Basil. Hom.* 1. *de jej. num.* 3. *et* 4), et Deo miseranti pergratum, quippe qui corporali jejunio *vitia*

Est lex antiquissima et universalis,

Digitized by Google

comprimit, mentem elevat, virtutem largitur et praemia per Christum Dominum nostrum (*Praef. Quadrag.*). Hinc religiosum jejunii exercitium *nec ipsis gentibus* fuit *ignotum, filiis* autem *Abrahae* ex institutione divinâ, et *Christi fidelibus* ex augustissimo Salvatoris exemplo et mandato numquam non solitum, imo piae humilitati gratissimum. Dolemus propterea, non paucos hisce diebus inveniri tum « *crucis Christi inimicos, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum* » (*Phil.* 3, 18-19) tum ipsius Ecclesiae filios, professione tamen catholicâ haud dignos, qui nonnisi terrena sapientes et « *quaecumque ignorant, blasphemantes* » (*Jud.* 10), saluberrimam jejuniorum disciplinam ludibrio habere non verentur...

Satisfactorium opus.

Instanter tandem suademus, potissimum clericis et sacerdotibus, ut totum proprii *jejunii exercitium* et *abnegationis cujuslibet sacrificium* Deo simul *offerant in satisfactionem* pro plurimis peccatis et omissionibus, quibus jejunii osores et legis ecclesiasticae contemptores Majestatem divinam offendere solent. Faxit Deus, ut hujusmodi satisfactionis sacrificium omnibus, pro quibus pie offeretur, fiat propitiabile per Christum Dominum nostrum (*Tit.* 3. *c.* 9).

S. P. Benedicti institutio.

Benedict. XII. (*de a.* 1336) : Quia ad salutis profectum tenditur si moderationis sobrietas et modestia observentur, volentes ea, quae circa esum et abstinentiam *B. Benedicti regularis institutio* tradidit, et in constitutione piae memoriae *Innocentii III.* praedecessoris nostri sunt statuta, firmiter servari, statuimus et ordinamus, quod per totum annum feria quarta et die Sabbati, et a prima Dominica de Adventu usque ad diem Natalis Domini, et a Dominica Septuagesimae usque ad diem Paschae omnes regulares (Monachorum) Ordinis ab esu carnium ubique abstineant, nisi necessitas infirmitatis non fictae forte suadeat cum aliquo dispensandum (*Constit.* " *Summi Magistri*" *a.* 1336. *cap.* 26).

Sabbati abstinentia.

Gregor. VII. In (Syn. Rom. 1078) : Quia *dies sabbati* apud sanctos patres nostros *in abstinentiâ celebris* est habitus, nos, eorumdem auctoritatem sequentes, salubriter admonemus, ut quicumque se christianae religionis partici-

Digitized by Google

pem esse desiderat, ab esu carnium eâdem die, nisi majori festivitate interveniente, vel infirmitate impediente, abstineat (*Cap.* 7. *P. L.* 148, 801).

Carnium parcitas.

Concil. Londinens. (*a.* 1268): Quoniam *regularis observantia*, quae per arctam viam ducit ad vitam, per carnis superbiam, laxatis habenis, multipliciter impugnatur, merito SS. Patrescarnem soliti sunt ab usu carnium cohibere, ut ejus superbiam cohiberet parcitas, et per mundi abstinentiam, carne devictâ, spiritus gratiam Domino decantaret (*C.* 45).

Monachus non sit delicatus in victu.

Constitut. Congreg. Argentinens. (*fund.* 1624): *Meminerint fratres*, dicente Hypocrate: tantum cibi et potionis adhibendum, quanto reficiantur vires, non opprimantur; insuper se monachos esse, non medicos, nec de complexione judicantes, sed de professione, et non sint nimis delicati in selectione ciborum et super eorumdem praeparatione non murmurent; quam detestanda enim perversitas sit in monasterio, ut, ubi fiunt divites laboriosi, sint pauperes delicati, qui in saeculo pauperiores vixerunt, quam nunc in Claustro vivunt, et nunc in monasterio quaerunt, quae foris habere non poterant. Recogitent etiam, cibos a fratribus coqui praescribere SS. PP., qui certe artem coquendi ignorabant: ideoque *cibos sumendos* esse *ad necessitatem* et *non ad delicias* seu gustum excitandum. Oleum enim adjicimus, si ardenti corpusculo ignium fomenta ministramus, ut ait S. Hieronymus Epist. 22. (*Declarat. ad c.* 39 *S. Regulae*).

Abstinentia in itinere.

Consuetudines Hirsaugienses: Si Prior iter agens eodem die ad claustrum revertitur, absque licentiâ non debet in viâ prandere. Eandem licentiam ipse nulli potest dare, domno Abbate in monasterio consistente, nec etiam, eo absente, nisi pro magnâ necessitate. — Monachus iter faciens regulare jejunium foris observat, nisi exiens prandendi licentiam acceperit (*L.* 2. *c.* 16 *et* 18. *P. L.* 250, 1057).

Monachi est temperantia,

Congregatio Bursfeldensis: *Monachi debent* solam famem arcere, *non carnem pascere* aut *sensualitati servire*, sed Regulae memores abstinentiam et temperantiam

Digitized by Google

observare. — In *jejunii moderatione* hoc sancte observetur, ne aut nimius sit Abbatum nostrorum rigor aut nimia indulgentia, quae hoc Regulae statutum et ejus *discretionem* elidat. — Cum S. Pater (*Cap.* 17, 48 et 49) in *Quadragesima* specialem a nobis et devotionem et carnis mortificationem exigat, ideo ea omnia, quae S. Pater in dicto capite praescripsit, omnes exacte servare contendant. Lectioni, compunctioni, aliisque piis operibus studeant, Christo patienti se conforment, soli Deo in silentio vivant, *ut S. Matris Ecclesiae Ordinisque filii* praecepto ecclesiastico et statuto regulari plene obediant. — Infirmitati, imo et necessitati suorum condolens sacra Congregatio, longâ experientiâ maturâque deliberatione praehabitâ, discretioni S. Patris innitens, potestate sibi etiam a *S. Benedicto* factâ, ita omnia temperandi, ut et fortes sint, qui appetant, et infirmi non refugiant, non temere, ut monet S. Pater, sed *auctoritate Apostolicâ*, quam humiliter requisivit, suffulta, cum suis *ad tres in septimanâ dies*, Dominicam scilicet, feriam tertiam et quintam dispensat, ut cum gratiarum actione carnes edere possint. — Quo indulgentior est sacra Congregatio, eo major sit fratrum nostrorum agnitio, ut *omni vilitate et extremitate contenti animam suam nullo murmure turbent aut querelâ foedent*, si secundum Regulam pulmentaria aut legumina, apponantur. Debent enim Monachi iis esse contenti, quae obvia et vulgaria sunt, non peregrina et quae oblectant magis, quam satiant, appetere. — Si foris monasterium laborent fratres, illic exigente laboris sive ardoris nimietate, *bibere* possunt, quoties annuerit Prior. Intra vero monasterium numquam bibendi habeant licentiam, nisi in loco communi ad hoc deputato ab Abbate (*Statut. distinct.* 5..*c.* 6, 4; *c.* 7, 3; *c.* 9, 1; *c.* 6, 2; *c.* 6, 4; *c.* 2, 8).

Sit discreta.

Quadragesimae observantia.

Regularis observantia a s. Sede mitigata.

Monachi ne murmurent.

Mitigatio abstinentiae.

Congregatio Suevica : Considerantes plurimorum imbecillitatem nostrosque continuos nec leves labores... in literariis exercitiis aliisque functionibus regularibus subeundis... carnium esum indulgemus, ita tamen, ut *in septimanâ* non nisi *tribus diebus* nempe Dominicâ et feriis tertiâ

Digitized by Google

et quintâ carnibus vesci liceat, reliquis vero diebus ab illis abstinendum sit a quâ tamen lege infirmos et sub medicorum curâ viventes eximimus. — *Sobrietati omnes summopere studeant* caveantque modis omnibus, ne ullus unquam contra temperantiae virtutem admittatur excessus. Nemo igitur *extra tempus* ordinarium quidquam cibi ac potus impune sumere ausit. Quodsi quis ratione infirmitatis aut aestivi temporis aliquo cibo vel potu indigeret, ipse a Superioribus licentiam petat, sumatque in loco sibi assignato cum silentio et debitâ gratiarum actione, quid quantumve ipsi fuerit concessum. — *Sub totâ mensâ religiosam modestiam* observent, in *silentio* et demissione oculorum, capite non nimium inclinato, cubitis a mensâ omnino solutis ac liberis; ipsa vero comestio fiat cum moderatâ, non cum nimiâ festinatione aut tarditate. — Si quis ad mensam *tarde venerit*, genuflectat in medio refectorii, donec, signo a Superiore dato, jussus fuerit surgere. — *Saeculares*, ut in multis locis necessitas, sic etiam aedificatio ad mensam regularem admittendos suadet, sic tamen, ut nulla cum illis habeatur conversatio *nec colloquendi aut a lectione cessandi fiat dispensatio* (*Punct.* 3 *de refectione fratrum*).

Sobrietati studendum.

Disciplina in refectorio.

Hospitum introductio.

Pius VI. : Volumus, ut omnes monachi in uno eodemque loco reficiantur, *apposita cuilibet suâ portione* et *sub silentio;* nullusque ante et post refectionem communem sine licentiâ Superioris comedat vel bibat (*Constit.* "*Apostolatus officium*" *pro conf. statut. Ord. Cluniac. a.* 1789. *c.* 20. §. 203).

Disciplina refectorii.

Missale Romanum : Da quaesumus omnipotens Deus : ut *sacro nos purificante jejunio* sinceris mentibus ad Sancta ventura facias pervenire (*f.* 6. *p. Dom. II. Quadr.*). — Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut familia tua, quae se, *affligendo carnem*, ab alimentis abstinet, *sectando justitiam, a culpâ jejunet* (*f.* 2. *p. Dom. II. Quadr.*). — Vere dignum et justum est nos Tibi gratias agere, qui « *corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et praemia* (*Praef. Quadr.*).

Sacer jejunii usus.

Breviarium Monast. : Jam lucis orto sidere— Deum

Mortificationis exercitium.

Digitized by Google

precemur supplices, — Ut in diurnis actibus — Nos servet a nocentibus. — *Linguam* refrenans temperet, — Ne litis horror insonet, — *Visum* fovendo contegat, — Ne vanitates hauriat. — Sint pura *cordis* intima ,— Absistat et vecordia,— Carnis terat superbiam— *Potus cibique parcitas*; — Ut cum dies abscesserit — Noctemque sors reduxerit, — *Mundi* per *abstinentiam*— Ipsi canamus gloriam. (*Hymnus ad Primam*).— *Tunsionibus, pressuris* — *Expoliti lapides* — Suis coaptantur locis — Per manus artificis — Disponuntur permansuri — Sacris aedificiis (*Hymn. in Vesp. Dedic. Eccl.*).

Disciplina capituli,

Concilium Basileense (1431): Cum omnis virtus et *disciplina* cito per negligentiam deseratur et deficiat, si non fuerint per bonum exemplum Seniorum et correctiones majorum diligenti curâ manutenta, quia non solum propria, sed et aliena culpa de manibus requiritur Praelatorum, propterea studiose ipse Dominus Abbas per se majores *transgressiones* aut per Priorem suum *minores excessus* aliorum, tam *in Officio divino*, quam *ceteris observantiis regularibus* commissos, in quotidiano *capitulo* corrigere atque juxta culparum modum absque personarum acceptione poenam infligere teneatur condignam, ut metus poenae fiat eis meta transgressionis et culpae (*Statuta et ordinationes ad Congr. Mellicens.*).

Culpa.

Capitulum Aquisgranense (817) : Cum a quocunque Priore suo increpatus quis monachorum fuerit, « *mea culpa* » primo dicat, dehinc prosternens se illius pedibus cum cappâ, si habuerit, veniam petat. Et tunc, jubente Priore, surgat, et unde interrogatus fuerit, rationem humiliter reddat. — Si quis negligenter sonitum fecerit, aut aliud quid excesserit in Refectorio, mox a Priore *veniam* petat (*Regul. Monach. n.* 13. *et* 41. *P. L.* 97, 382).

Satisfactio.

Capitulum regulare nervus disciplinae.

Benedictus XII. : Quia per ordinatam factionem *Capituli regularis* fortificatur et durat *nervus monasticae disciplinae*, statuimus et ordinamus, ut in cunctis et singulis Ecclesiis Cathedralibus, Monasteriis et aliis locis Ordinis seu Religionis in quibus erunt sex Monachi, Capitulum

Digitized by Google

regulare hujusmodi fiat. In quo, priusquam ad quaevis alia procedatur, plene, secundum Regulam monasticam et consuetudines approbatas, Monachorum seu Fratrum *excessus, transgressiones et negligentiae corrigantur : ac de disciplina et reformatione regulari agatur.* Ubi nullus Monachus seu Frater clamose aut irreverenter alterum defendere vel sustinere praesumat. Et quoties *Regula pronuntiata* fuerit a lectore, per Praesidentem ipsi Capitulo vel alium, cui hoc ipse injunxerit, Regulae sententia vulgariter exponatur (*Constit.* "*Summi Magistri*" *a.* 1336. *c.* 5).

Congregatio Bursfeldensis: *Capitulum* ad hoc institutum est, ut illic stabiliatur firmamentum Religionis, renovetur studium divinae servitutis, vitia corrigantur et virtutes instituantur (*Statut. dist.* 6. *c.* 3). *Cur capitulum sit institutum.*

Congregatio Argentinensis : Cum in *Capitulis culparum* non minimus conservandae et propagandae disciplinae monasticae vigor exsistat, talia capitula a Prioribus, nisi obstante gravi impedimento, *omitti non debent.* Ideoque statuimus, ut omnibus *feriis VI.* per annum, nisi eodem die festum I vel II classis celebrari contingat, habeatur capitulum culparum a Priore (*Decl. ad Cap.* 16. §. 2).

Congregatio Suevica : *Locus publicae correctionis* est capitulum culparum, ita dictum a culpis fatendis et expiandis, in quo occurrentes defectus statim corriguntur, ut quo frequentior fuerit minimorum etiam defectuum correctio, eo minus ad majores prolabendi periculum existat.— Cum autem capitulum culparum *ad hoc institutum* sit, ut illic stabiliatur firmamentum Religionis, renovetur studium divinae servitutis, vitia corrigantur, virtutes inserantur, magna *cum reverentiâ* et *timore* veraeque *emendationis et spiritualis profectûs desiderio* adeundum erit celebrandumque. — Et hi quidem, qui se alicujus culpae reos fecerunt, non merâ acti consuetudine aut majoris poenae metu inducti, sed *ex verâ animi demissione*, serioque emendationis proposito, *culpas suas volentes* et *lubentes fateantur*, et aequo ac patienti ferant et suscipiant animo *poenitentias* qualescunque, etiam *Sit humilis et prompta sui incusatio;*

Digitized by Google

Ejus merita.

propter defectus non adeo culpabiles sibi impositas, certi, se unico hoc regularis disciplinae actu, plurimarum earumque insignium virtutum *merita* et *praemia, humilitatis* scilicet in spontaneâ sui accusatione, *patientiae* in sui confusione, *obedientiae* denique in poenitentiae injunctae exsecutione, a Deo bonorum omnium remuneratore reportaturos esse. Superiores vero transgressiones, defectus et delicta suorum subditorum correcturi, non aliud quam S. Regulae et nostrarum constitutionum observantiam, atque ipsius delinquentis spiritualem profectum et emendationem prae oculis habeant, quaerant et intendant. — *Poenae delinquentibus infligendae* sint commensuratae delictis et erroribus commissis, leviores scilicet vel graviores pro qualitate et conditione culparum. — Qui extra capitulum a Superiore corrigitur, *flexis genibus* vel etiam *prostrato in terram corpore* veniam humiliter petat, cumque hic humilitatis actus aptissimus sit ad devinciendos sibi mutuo Superiorum et subditorum animos et singulariter etiam a S. P. N. praescriptus, omnes in Domino monemus et hortamur, ut eum tunc etiam, cum Superioris animum erga se viderint commotum, exercere non intermittant. (*Constit. p.* 2. *c.* 4. *p.* 3).

Poenae infligendae.

Venia humiliter petenda.

Disciplina cellae.

Clemens XII. (✝ 1740): Monachus non debet fratris *cellam* citra ipsius annutum ingredi. Si quempiam ad eum venire contigerit, illo in cellâ praesente, *janua pateat* nec concludatur, donec ille abierit. Monachi *cella* ita clausa maneat, ut communi, quâ reliquae fratrum cellae, clave reserari valeat. *Cellae* munditiem et ordinem curet (*Constit.*: "*Misericordiarum Pater*" *prov confirm. Constit. Monach. Maronit. p.* 1. *c.* 8. *a.* 1740).

Congregatio Argentin.: Ut fratres liberius se exercere possint in orationibus et aliis exercitiis spiritualibus, dormitorium divisum est per diversas *cellas*, ideoque assignamus cuilibet fratrum cellam unam, ita ut *singuli in singulis cellis* dormiant. — Frater fratris cellam minime ingrediatur, ipso in eâ existente et similiter absente fratre,

Digitized by Google

cujus est cella, sine ejus licentiâ aut nisi de licentiâ Praelati; et quamdiu cum debitâ licentiâ simul in cellâ sunt, *ostium semiapertum* teneatur. — Nec possit frater quamcumque ecclesiasticam vel laicam personam, cujuscunque conditionis sit, in cellam introducere sine licentiâ Superiorum. — Nec audeat frater quispiam sine praefatâ licentiâ aliquo tempore cellam claudere ita, ut a foris non possit aperiri clave communi. —Singulis hebdomadis *dormitorium* propter immunditias *scopetur a fratribus* (*Decl. ad c. 22. s. Reg.*).

Congreg. Suevica : Ex recepta jam et aliquot saeculis in nostrâ quoque religione rationabilibus de causis usitatâ consuetudine *singulis singulae* assignantur *cellae*... quo minus ab aliis turbentur aut impediantur, quando vacant debitis legendi, orandi ac studendi exercitiis, aut etiam pro reparandis viribus nocturnam quietem capiunt. Singulae *cellae habeant* suum *Patronum tutelarem*. Nullo unquam tempore occludantur, obducto intus pessulo, sed *semper liber* relinquatur *Superioribus ingressus*, praeter quos nemini liceat, alterius cellam ingredi. Qui secus fecerit, graviori poenae subjiciatur. Quodsi quid cuipiam ex aliquâ causâ *loquendum* foret, id parum ad modum et submisse ad cellae januam expediatur. Similiter si Superior alicui licentiam dederit, personam aliquam religiosam aut laicam in cellam suam introducendi, id non fiat, nisi *cellae ostio aperto* relicto, dum talis hospes in eâ fuerit. Maxime curetur, ut singulae *cellae* fratrum sint *conformes*, quoad apparatum, supellectilem, imagines, cistas, mensas, lectisternia, vela, pulpita, sedilia, genuflexoria, ne ullus altero locupletior esse videatur; quisque potius contendat in simplicitate, humilitate, taciturnitate, devotione, diligentiâ et s. constitutionum observatione, quae vera sunt cellarum monasticarum ornamenta, piâ quâdam aemulatione alterum superare... Nulli fas sit, si quis forte ad cellam aliam transmigraverit, quidpiam secum asportare, sed quae cuique cellae deputata sunt, semper in eâ manere debent, ideoque Superiores saepius singulorum cellas visitent, et emendent, si quae reperient emendanda (*P. 2 c. 3. dct. 7, n. 1-4*).

Digitized by Google

Congreg. Bursfeld. : Ut Fratres liberius se in oratione et lectione spirituali exercere possint, *dormitoria in diversas cellas dividi* debent. — Cellae sint *uniformes*, sed et lecto mensâque humilibus uniformique supellectili instructae, itaque quoad omnia dispositae, ut *meditationi* et *dormitioni* ita conveniant, ut unus ab altero non facile inquietetur, et lectisternia statui nostro conveniant. *Januae* cellarum sint mediocriter *cancellatae*, ut a transeuntibus, maxime Superiore, notari possint, quomodo se occupent. — Januae ita seris claudantur, ut clave superioris communi aperiri possint. Existens vero in cellâ clavem relinquat, ut et ejus praesentia notari, et a Superiore, si voluerit, facile aperiri (*Dist.* 6. *c.* 7. § 1).

Mortificata monachi vita.

Breviarium Monast. : Avete solitudinis — Claustrique mites incolae, — Qui pertulistis impios — Coetus furentis tartari. — Gemmas et *auri pondera*, — Et *dignitatum culmina* — *Calcastis*, et foedissima, — *Quae mundus offert, gaudia.* — Vobis olus *cibaria* — Fuere vel legumina, — *Potumque* lympha praebuit, — Humusque dura *lectulum.* — Vixistis inter aspides, — Saevisque cum draconibus ; — Portenta nec teterrima, — Vos terruere daemonum. — *Rebus procul mortalibus* — Mens avolabat fervida, — Divûmque juncta coetui, — Haerebat inter sidera. (*In fest. omn. SS. Monach. O. N. Hymnus ad Vesp.*).

Sancti et Doctores.

Sanctae castitatis ratio et finis.

S. Basilius M., Archiep. Caesar. et Doct. Eccl. (✠ 379) : Qui cupit *a mundi vinculis liber* esse, nuptias quasi pedicas quasdam fugit. His autem vitatis, suam *Deo vitam consecrat* profiteturque *castitatem*, ut jam sibi non liceat recurrere ad nuptias, sed adversus naturam ejusque vehementiores impetus decertans, initis pro castitate certaminibus prorsus incumbet. Nam quisquis est ejusmodi, is *Dei* factus *amator*, Ejusque apathiam paululum saltem consequi cupiens, atque spiritualem sanctimoniam tranquillitatemque

Digitized by Google

et quietem ac mansuetudinem et, quae ex his nascuntur, laetitiam et gaudium degustare desiderans, in eo elaborat, ut procul ab omni terreno ac corporali affectu animum perturbante, cogitationes suas abducat : imo etiam *animi obtutu puro*, nullisque tenebris obvoluto, *contemplatur divina*, et lumine hinc emanante insatiabiliter perfunditur. Ubi autem animum exercuit ad habitum statumque hujusmodi, tum demum *Deo, quantum fas est, fit similis*, efficiturque dilectissimus Ei atque carissimus; ut qui, magno et arduo certamine exantlato, invitâ etiam materiae admixtione, animo a corporalium affectionum mixturâ expurgato ac semoto, potuerit in Dei colloquium venire (*Constit. monast. Proœmium n.* 2. *P. Gr.* 31, 1323).

S. Joan. Climac., mon. (✠ 580) : *Initium castitatis* est, cogitationibus sordidis non acquiescere ; *medium* vero, naturalibus motibus non inquietari ; *finis* autem, mortificare corpus... Castitas est incorporeae *familiaritas mentis :* castitas est *Christi jucundum diversorium*, coelestisque *clypeus cordis* (*Scala parad. grad.* 15. *P. Gr.* 88, 882. 879).

S. Gregorius M., Doct. Eccl. (✠ 604) : Nulla sunt cetera bona, si occulti judicis oculis *castitatis* testimonio non approbantur (*Moral. l.* 21. *c.* 3. *n.* 6. *P. L.* 76, 192).

S. Joan. Chrysostomus, Archiep. Constantinop. et Doct. Eccl. (✠ 407) : Castitas sine comitibus suis, *jejunio* videlicet et *temperantia* cito lassescit. — Castitas discordiae non convenit, ebrietati, impudicitiae, iracundiae, malitiae, adulationi, subdolae menti, laudibus humanis inhaerenti, voluptatibus insistenti, cupiditati, avaritiae, dissensioni, zelo, livori, invidiae, contentioni : his vitiis non conjungitur castitas (*Homil. sup. illud Zachar.* 6. "*Ecce vir oriens*" *int. apocr.*).

Castitatis comitatus.

S. Petrus Damianus, Abb. Fontisavell. Card. et Doct. Eccl. (✠ 1072) : Quid prodest castitas corporis, si desit *puritas cordis?* (*L.* 8. *epist.* 14. *P. L.* 144, 491). — Illa virginitas perfecta est, quae *reliquis virtutibus cingitur*, quae vera *mentis humilitate* conditur (*Serm.* 46 *de Nativ. B. M. V. ibid.* 759).

Castitas ut corporis ita cordis.

S. Bonaventura, Card. et Doct. Eccl. (✠ 1274) : Illi

Digitized by Google

non sunt dicendi casti, qui ab opere carnis abstinent, nisi *voluntate castus* sit animus, *castus affectus* et casti sint *omnes sensus* (*Serm.* 1 *de S. Ambros.*).

Christus castitatis tons.

S. Gregorius Nyssen., Ep. (✠ 403) : *Christus* virginitatis germen. (*Homil.* 13 *in Cant. P. Gr.* 44, 1055).

S. Augustinus, Ep. Hippon. et Doct. Eccl. (✠ 430) : *Christus* magister castitatis (*Serm.* 125. *n.* 4 *in app. P. L.* 39, 1994).

S. Joan. Damascenus, mon. (✠ *c.* 760) : *Christus* virginitatis decus atque ornamentum (*L.* 4 *de fide orthod. c.* 24. *P. Gr.* 94, 1210).

S. Leo M., Doct. Eccl. (✠ 440) : Nihil in omnium virtutum dignitate praestantius, quam puritas castitatis (*Serm.* 55. *n.* 5. *P. L.* 54, 325).

Angelica virtus et coelestis.

S. Hieronymus, Doct. Eccl. (✠ 420) : Statim ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit, ut qui ab *Angelis* adorabatur in coelo, haberet *Angelos* et in terra (*Ep.* 22. *n.* 21. *P. L.* 22, 408). — In carne *angelicam vitam* acquirere, majus est meritum quam habere. Esse Angelum felicitatis est, esse vero virginem virtutis. Profecto in carne praeter carnem vivere, non terrena vita est, sed coelestis... Habetis virgines *Sponsum* virginem, virginitatis et castitatis amatorem, qui matrem virginem ideo elegit, ut ipsa omnibus esset exemplum castitatis (*Epist. de Assumpt. B. M. V. n.* 5 *int. apocryph. P. L.* 30, 131).

Christus virginum Sponsus.

Hugo a S. Charo, Card. (✠ 1260) : Maxime inter lilia virginitatis satiatur et delectatur *Sponsus Christus*, et aspectu pulchritudinis et odore suavitatis (*Sup. Cant. c.* 2. *v.* 16).

S. Basilius M. : Magnum revera quiddam ac praeclarum *virginitas* est, quae, ut totum simul explicem, hominem incorruptibili *Deo simillimum facit.* Haec autem profecto non a corporibus ad animas manat, sed cum incorporalis animae propria et praecipua sit, ejus pretiosissimâ integritate corpora quoque incorrupta servantur. — Cum inter cetera magnum quiddam et splendidissimum virginitas intelligatur, regenerationis etiam atque incorruptibilis vitae

Anima castitatis solium.

Digitized by Google

semen esse quoddam purissimum cernitur. Si enim in resurrectione neque nubent neque nubentur, sed sunt sicut Angeli, efficiuntur filii Dei, et hi profecto, qui virginitatem servant, *Angeli* sunt, in carnibus incorruptibilem vitam circumferentes; *Angelique* sunt, non obscuri aliqui, sed sane illustres atque nobilissimi (*L. de virginit. c. 2 et 51. inter dub. P. Gr.* 30, 671, 771).

Virgines angeli sunt.

S. Cyprianus, Ep. Carthagus. et Mart. († 258): Virginitas se aequat *Angelis;* si vero exquiramus, etiam excedit, dum in carne luctata victoriam etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli (*De discipl. pudicitiae, c. 7. int. dubia. P. L.* 4, 855). — *Castitas* munimen invictum est sanctimoniae et expugnatio fortis infamiae, fortitudinis firmitas et lasciviae petulantis infirmitas, probitatis praesidium et improbitatis excidium, animae victoria et corporis praeda, ubertas gloriarum et sterilitas criminum, pronuba sanctitatis et repudium turpitudinis, sinceritatis indicium et abolitio scandalorum, exercitium continentiae et evacuatio tota luxuriae, pax secura virtutum et debellatio inquieta bellorum, puritatis culmen et libidinis carcer, honestatis portus et ignominiae naufragalis locus, virginitatis mater et hostis immunditiae, lorica pudoris et spolium probrositatis et curruptionis exitium, murus rigoris et destructio vulgaritatis, severitatis gladius, triumphator et occisor dissolutionis, armatura virium et exarmatura fluxorum, integritatis dignitas et fornicationis addictio, claritatis fastigium et dedecoris praecipitium, voluntas bonorum operum et afflictio vitiorum, refrigerium pudicitiae, poena petulantiae, acquisitio triumphorum et facinorum detrimentum, requies salutis et perditionis exilium, vita spiritus et carnis interitus, status qualitatis angelicae, funus humanae substantiae. Hujus retinaculis omnis obscoenitas frenatur, et compedibus ejus calces furentis libidinis statuuntur (*De singularit. cleric. in append. ibid.* 943). — *Pudicitia* est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiae caput. *Pudicitia* sollicita non est, cui placeat, nisi sibi. *Pudicitia* semper verecunda, dum innocentiae mater

Castitatis laus.

Digitized by Google

est. *Pudicitia* semper ornatur solo pudore, bene sibi tunc conscia de pulchritudine, si improbis displicet. *Pudicitia* nihil ornamentorum quaerit, decus suum ipsa est. Haec nos commendat Domino, connectit Christo, beata ipsa et beatos efficiens, apud quoscunque habitare dignatur; quam nunquam accusare possunt nec qui eam non habent; venerabilis etiam hostibus suis, dum illam multo magis mirantur, qui eam expugnare non possunt (*De discipl. pudicitiae. c.* 3. *inter dubia ibid.* 853).

S. Gregorius Nazianz., Ep. et Doct. Eccl. († 389) : Eximia res est virginitas et coelibatus atque in *Angelorum* naturae singularis ordine debet censeri (*Or.* 43. *n.* 62. *P. Gr.* 36, 575).

S. Joan. Chrysostomus : Neque nubunt *Angeli*, neque uxorem ducunt, non etiam carne et sanguine coagmentati sunt; in terris praeterea non habitant; non cupiditatum et libidinum perturbationibus sunt obnoxii; non cibi indigent et potus; non sunt hujusmodi, ut eos dulcis sonus aut mollis cantus aut praeclara species possit allicere; nullâ denique ejus generis illecebrâ capiuntur... At humanum genus cum natura beatis illis mentibus inferior sit, omni vi studioque contendit ut quoad ejus fieri potest, illas assequatur. — Quomodo? non nubunt *Angeli* neque uxorem ducunt; ad neque etiam virgo; assistentes illi semper ad Deum, Eidem inserviunt; et istud ipsum virgo. Quamobrem Paulus ab omnibus curis eas avocat, ut attente et assidue Deo servire neque ullâ inde re distrahi possint. Quodsi virgines, quamdiu corporis onere deprimuntur, quemadmodum Angeli in coelum nequeunt ascendere, illud eo vel maximo solatio compensant, quod modo spiritu et corpore sanctae sint, coeli regem recipiunt... (*L. de virginit. n.* 10 *et* 11. *P. Gr.* 48, 540). Videsne virginitatis praestantiam quomodo terrarum incolas sic afficiat, ut, qui corpore vestiti sunt, eos incorporeis mentibus coaequet ?... Quâ enim, quaeso, re differebant ab *Angelis* Elias, Elisaeus, Joannes, veri virginitatis amatores? Nullâ, nisi quod mortali naturâ constabant.

Digitized by Google

Nam cetera, si quis diligenter inquirat, hi nihilominus affecti reperientur, quam beatae illae mentes; et idipsum, quod inferiore conditione videntur esse, in magnâ est eorum laude ponendum. (*L. de Virgin. n.* 79. *P. Gr.* 48, 591).

S. Bernardus, Abb. Claravall. et Doct. Eccl. (✠ 1153) : Quid *castitate* decorius, quae mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, *Angelum* denique de homine facit? Differunt quidem inter se *homo pudicus* et *Angelus*, sed felicitate, non virtute. Sed etsi hujus castitas felicior, illius tamen fortior cognoscitur. Sola est castitas, quae in hoc mortalitatis et loco et tempore statum quendam immortalis gloriae repraesentat. Sola inter nuptiarum solemnia morem beatae illius vindicat regionis, in quâ neque nubunt neque nubuntur, praebens quodammodo terris coelestis jam illius conversationis experientiam. Vas interim fragile, quod portamus, in quo et crebro periclitamur, tenet castitas, ut monet Apostolus, in sanctificationem et instar odoriferi balsami, quo condita cadavera incorrupta servantur; sensus ipsa et artus continet et constringit, ne dissolvantur otiis, ne corrumpantur desideriis, ne carnis voluptatibus computrescant : quemadmodum legitur de quibusdam, quia « *computruerunt, ut jumenta in stercore suo.* » Hoc itaque tantae pulchritudinis ornamentum digne dixerim *sacerdotium honorare*, quod dilectum Deo et hominibus faciat sacerdotem, cujus quippe memoria non in carnis successione, sed in spirituali benedictione sit, reddatque similem in gloriâ Sanctorum, in hâc licet adhuc regione dissimilitudinis constitutum... — *Castitas sine caritate* lampas est sine oleo; subtrahe oleum, lampas non lucet, tolle caritatem, castitas non placet (*Ep.* 42. *c.* 3. *n.* 8 *et* 9. *P. L.* 182, 816).

Sacerdotium ornat.

Castitas et caritas.

S. Laurent. Justinian., Patriarch. Venet. (✠ 1455) : Virtus continentiae adeo sublimis est, quod hominem quodammodo *similem reddit naturae angelicae.* Supergreditur namque continentia humanae naturae conditionem, per quam homines utcumque Angelis assimilantur. Major tamen in aliquo est victoria continentium, quam Angelorum.

Digitized by Google

Angeli enim sine carne vivunt, *continentes* autem in carne triumphant. Differuntque in hoc homo pudicus et Angelus, quod Angeli virginitas felicior, hominis vero continentia fortior esse cognoscitur. Est continens JESU-CHRISTI *domus* amabilis et pulcherrima. Pulchritudinem enim quis majorem potest aestimare decore pudici, qui amatur a Rege, probatur a judice, dedicatur Domino, consecratur Deo? Haec virtus *homini honorem suum custodit.* Honor hominis est libertas voluntatis, quae apprehensa potest velle et non velle. Nam in brutis et incontinentibus est servitus appetitûs huic libertati opposita. — Est denique *continentia ornamentum* nobilium, *exaltatio* humilium, *nobilitas* ignobilium, *pulchritudo* vilium, *solamen* moerentium, augmentum omnis pulchritudinis, *decus* omnis regionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, Creatoris omnium Dei amica, soror Angelorum, victoria libidinum, schola virtutum et possessio omnium bonorum, quam qui possidebit, habebit pacem in conscientia, lumen in mente, hilaritatem in facie, gaudium in animâ, securitatem in morte et partem in aeternitate (*Lign. vitae tr. de contin. c.* 1).

Castitatis honor;

Deum videbit et contemplatur.

S. Augustinus: Gloriosum et insignem inter ceteras virtutes castitas et munditia locum tenet, quia ipsa sola est, quae mundas mentes hominum praestat videre Deum. Unde ipsa Veritas ait: « *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt;* » ac si e contrario diceret: Illi vero miseri sunt, quorum corda sunt carnali concupiscentiâ polluta, quia aeternas mergentur in poenas (*Serm.* 291. *n.* 1 *in append. P. L.* 39, 2296).

S. Thomas Aquin., Doct. Eccl. (✝ 1274): Si quis abstinet a delectationibus corporalibus, ut liberius vacet contemplationi veritatis, pertinet hoc ad rectitudinem rationis. Ad hoc enim *pia virginitas* ab omni delectatione venereâ abstinet, *ut liberius divinae contemplationi vacet.* — Virginitas ordinatur ad bonum animae secundum vitam contemplativam, quod est cogitare ea, quae Dei sunt (*II. II. q.* 152. *art.* 2 *et* 4).

Digitized by Google

Castitatis jactura horrenda.

S. Ambrosius, Ep. Mediolan. et Doct. Eccl. († 397): *Castitas Angelos facit.* Qui eam servavit, *Angelus* est, qui perdidit, *diabolus* (*L.* 1 *de Virg. c.* 8. *n.* 52. *P. L.* 16, 203). — *Eras virgo* in paradiso Dei; utique inter flores Ecclesiae; eras sponsa Christi; eras templum Dei; eras habitaculum Spiritus sancti. Et cum dico toties *eras*, necesse est toties ingemiscas; quia non es, quod fuisti. Incedebas in Ecclesiâ tanquam columba illa, de quâ scriptum est: « *Pennae columbae deargentatae et posteriora dorsi ejus in specie auri* (*Ps.* 67). » Splendebas ut argentum, fulgebas ut aurum, quando cum sincerâ conscientiâ procedebas. Eras tanquam stella radians in manu Domini; nullum ventum, nullas belli nebulas pertimescebas. Quae ista subitanea conversio? Quae ista repentina mutatio? *De Dei virgine facta es corruptio Satanae*, de sponsâ Christi scortum exsecrabile, de templo Dei fanum immunditiae, de habitaculo Spiritus Sancti tugurium diaboli! Quae incedebas cum fiduciâ ut *columba*, nunc lates in tenebris sicut *stellio.* Quae fulgebas ut *aurum* propter virginitatis honorem, nunc vilior facta es *luto platearum*, ut etiam indignorum pedibus conculceris. Quae fueras *stella* radians in manu Domini, veluti de alto ruens coelo lumen tuum exstinctum est et conversa es in *carbonem.*— Vae tibi, misera, et iterum vae, quae tanta bona propter parvi temporis luxuriam perdidisti! Quam tibi spem apud *Christum* Dominum reliquisti, cujus membra tollens fecisti membra meretricis? (1. *Cor. c.* 6). Quid te *Spiritus S.* visitabit, cum Eum repudiaveris, qui se a cogitationibus quoque sordidis longe facit? — Quomodo tibi in actu ignominioso non veniebat in mentem habitus virginalis, processus in Ecclesiam in virgineos choros? Quomodo oculos tuos non perstringebat lux vigiliarum; aures tuas non penetrabat hymnorum spiritualium cantus; mentem tuam non ventilabat lectionum coelestium virtus; hinc vel maxime ad te clamante Apostolo: « *Fugite fornicationem; quia omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* » (1. *Cor.* 6, 17)? *Et cum dicit:* « *In corpus*

Digitized by Google

suum, » tamen in Christum eum peccare demonstrat. Nam subjungit : « *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, quae habetis a Domino, et non estis vestri, empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro* (*Ibid.* 20). Et iterum dicit : « *Fornicatio autem et omnis immunditia nec nominetur inter vos sicut decet sanctos* (*Ephes.* 5, 3). » Et seposita omni adulatione sententiam figit Apostolus : « *Hoc*, inquit, *scitote intelligentes, quia omnis fornicator, aut immundus, aut avarus non erit haeres in regno Christi et Dei* (*Ephes.* 5, 5). » (*L. de lapsu Virg. consecr. c.* 2. *n.* 6 *et* 7. *c.* 3. *n.* 8, *c.* 6. *n.* 22. *P. L.* 16, 368).

Hugo a S. Charo, Card. (✠ 1260) : Animae, *amisso decore castitatis,* non inveniunt pinguedinem internae caritatis, sed absque fortitudine virtutum vagantur mobiliter ante faciem diaboli (*Sup. Threnos. c.* 1. *v.* 6).

Impudicitiae irreparabilis ruina.

S. Hieronymus : Si illae, quae virgines sunt ob alias culpas virginitate corporum non salvantur, quid fiet illis, quae *prostituerunt membra Christi* et mutaverunt *templum Spiritus S.* in lupanar ?... Et hoc *post Dei Filii thalamos*, post oscula fratruelis et Sponsi!... Rectius fuerat homini subiisse conjugium, ambulasse per plana, quam ad altiora tendentem in profundum inferni cadere. Ne fiat, obsecro, *civitas meretrix*, fidelis *Sion*, ne post Trinitatis hospitium ibi daemones saltent et sirenae nidificent et hericii. Non solvatur fascia pectoralis; sed statim ut libido titillaverit sensum aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem : « *Dominus auxiliator meus; non timebo, quid faciat mihi caro!* (*Epist.* 22. *ad Eustoch. n.* 6. *P. L.* 22, 397). — Illa *virginitas hostia Christi* est, cujus nec *mentem* cogitatio, nec *carnem* libido maculavit. — Grandis fidei est grandisque virtutis, *Dei templum* esse purissimum, totum se *holocaustum* offerre Domino et juxta Apostolum : « *sanctum esse corpore et spiritu* » (*L.* 1. *in Jovin. n.* 13 *et* 12. *P. L.* 23, 231, 228).

Castitas mentis et carnis.

Encomia virginitatis,

S. Athanasius : Magna virtus *continentia,* magna

Digitized by Google

gloria *castitas*, magna encomia virginitatis. *O virginitas*, immensae divitiae! *O virginitas*, corona immarcescibilis! *O virginitas*, templum Dei, et Spiritus Sancti habitaculum! *O virginitas*, margarita pretiosa, multis latens, a paucis inventa! *O continentia*, Dei amica et a Sanctis celebrata! *O continentia*, quae effugis mortem et infernum et ab immortalitate possideris! *O continentia*, gaudium Prophetarum et Apostolorum gloriatio! *O continentia*, Angelorum vita et sanctorum hominum corona! Beatus est qui te tenet, beatus, qui perdurat in tui tolerantiâ; quia post modicum laborem multum in te gaudebit! (*L. de virginit. n.* 24. *int. dub. P. Gr.* 28, 279).

Tertullianus presb. Carthag. (✠ 245): *Flos* morum, *honor* corporum, *decor* sexuum, integritas sanguinis, *fundamentum sanctitatis!* (*De pudicitia. c.* 1. *P. L.* 2, 1031).

S. Joan. Climacus: Tam altum, sublime et nobile *encomium castitatis* est, ut sint ex patribus qui illam audeant beatam ac omni vitio carentem *animi corporisque tranquillitatem* appellare. — *Castitas* est eximia naturae supra naturam negatio, seu victoria, vereque admirandum corporis mortalis cum immortalibus *Angelis* certamen et aemulatio... Castitas est naturae non corporeae vindicatio (*Scala parad. gr.* 15. *P. Gr.* 88, 894. 879).

Castitatis praeconium.

S. Ephrem, Diacon. Edess. (✠ 378): *O castitas*, donum Dei, benignitatis, disciplinae, cognitionis atque scientiae plena! *O castitas*, portus tranquillus in summâ pace ac securitate constitutus! *O castitas*, coelestis prudentia et sancta praedicatio! *O castitas*, quae cor possidentis te laetificas et animae ad coelestia alas adjungis! *O castitas*, quae spirituale gaudium paris et moerorem aufers! *O castitas*, quae malum odio habes et bono adhaeres! *O castitas*, quae passiones minuis et animum perturbationibus liberas! *O castitas*, quae justos illuminas et diabolo tenebras offundis celerique cursu ad bravium supernae vocationis in Christo contendis! *O castitas*, quae pigritiam depellis et patientiam affers! *O castitas*, onus leve, quod in aquis non submergitur,

Digitized by Google

aeternaeque divitiae in animâ hominis Christum amantis reconditae, quas, qui possederit, in tempore necessitatis inveniet! *O castitas*, pulchra possessio, quae a feris non vastatur et ab igne non comburitur! *O castitas*, quae in manibus haud poenitendas contines divitias desidiamque fugas! *O castitas*, currus spiritualis, possessorem suum in sublime evehens! *O castitas*, quae in mansuetorum et humilium animis habitas hominesque divinos efficis! *O castitas*, quae rosae instar in medio animae et corporis flores universamque domum odoris fragrantiâ reples! *O castitas*, praecursor atque cohabitator Spiritus Sancti! *O castitas*, quae Deum placas Ejusque promissa perfers et apud quoscunque homines gratiam invenis! Hanc sancti cuncti amarunt; hanc S. Joannes Evangelista amplexus est amplectendoque super pectus Domini gloriae recumbere meruit. *O castitas*, quae non a virginibus solum, sed et ab iis, qui ad poenitentiam conversi sunt, possideris atque excoleris! Hanc ergo nos quoque servi benedicti Salvatoris toto pectore diligamus complectamurque, ut inhabitantem Spiritum Dei in nobis gaudio perfundamus (*Paraen.* 36 *de castit. tom. II. p.* 132).

S. Cyprianus, Episc. Carthag. et Mart. († 258): Virginum, quo sublimior gloria est, major et cura est. *Flos* est ille ecclesiastici germinis, *decus* atque ornamentum gratiae spiritalis, laeta indoles laudis et honoris, opus integrum atque incorruptum, *Dei imago* respondens ad sanctimoniam Domini, *illustrior portio gregis Christi* (*L. de habit. virg. c.* 3. *P. L.* 4, 455). — *Virginitas* neutrius sexus est; *virginitas* est perseverans; *virginitas* est voluptatum triumphus (*De disciplina pudicit.* 7. *int. dub. ibid.* 855).

Supra naturam est et Angelorum aemula.

S. Basilius: Illud maxime est considerandum, quod qui *vitam Angelorum* elegit, transtulerit se ad incorpoream vitae rationem, cum naturae humanae terminos transgressus sit. Hoc enim proprium est angelicae naturae, a nuptiali societate liberam esse, neque ad ullam aliam contemplandam pulchritudinem distrahi, sed *oculos in divinam faciem assidue intentos* habere (*Serm. ascet. n.* 2. *P. Gr.* 31, 874).

Digitized by Google

S. Augustinus : Castitas *angelica* est vita, castitas hominem *coelo conjungit*, Angelorum facit civem (*Serm.* 291. *in append. P. L.* 39, 2297). — O castitas, ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solamen moerentium, augmentum pulchritudinis, decus sanctae Religionis nostrae, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, Dei amica, Angelorum cognata..... Patriarcharum vita, Prophetarum corona, Apostolorum cingulum, Martyrum auxilium, Confessorum vehiculum, Virginum speculum, Viduarum refugium, cunctorum bonorum gaudium et solamen (*Serm.* 16. *ad Fratr. in Eremo in app. P. L.* 40, 1262). — Castitas hominem perducit ad gloriam, ad coelum sublevat, sanctis Angelis unit (*Serm.* 65. *ad. eosdem. ibid.* 1351).

Ejus fructus.

S. Ambrosius : Habet bonam *militiam* castitas, quae *stipendiis militat sempiternis*(*L.* 2. *de Virg. c.* 4. *n.* 29. *P. L.* 16,215).

S. Isidorus Hispal.: Amanda est pulchritudo castitatis, cujus degustata *delectatio dulcior* invenitur quam carnis. *Castitas* enim fructus suavitatis est et pulchritudo inviolata Sanctorum. *Castitas* securitas mentis, sanitas corporis est (*L.* 2. *sentent. c.* 40 *sent.* 5. *P. L.* 83, 634).

In vitâ Patrum : *Virginitas* est primae virtutis indicium, Deo proximum, similis Angelis, parens vitae, amica sanctitatis, via securitatis, domina gaudii, dux virtutis, fomentum et corona fidei, adminiculum et subsidium caritatis (*L.* 1. *in vit. S. Eugeniae. c.* 23. *P. L.* 73, 617).

Virgines sunt filiae Sion coelestis;

S. Hildegardem Deus alloquens ait: Omnes isti, qui pro *coelesti amore integritatem suam conservaverunt*, in coelesti habitatione, *filiae Sion* dicuntur, quia Filium Meum virginitatis amore imitati sunt. Ideoque et cum eis sunt resonantiae sonorum spiritualium et invocationes omnigenarum melodiarum. Quomodo? Quia hoc habent de Filio Dei, quod de throno sonus exit, cui omnis *chorus virginum* in maximo desiderio concinit, videlicet novum cantum symphonizando, ut Joannes dilectus virgo testatur dicens : " *Et cantabant quasi canticum novum ante sedem et ante quatuor*

Virginum cantus.

Digitized by Google

" *animalia et seniores* " (*Apocal.* 14). Quid hoc? In illis fidelibus, qui bonâ intentione castitatem amplectentes virginitatem suam pro Dei amore illibatam conservant, *bona voluntas* ipsorum *in laudem Creatoris sui mirabiliter erumpit.* Quomodo? Quia in aurorâ Virginitatis, quae Filio Dei semper adhaeret, *fortissima laus* abscondita est, cui nullum terrenum officium nec ulla ligatura legis resistere valent, quin in voce exultationis ad gloriam Dei coeleste carmen decantet. Quomodo? Videlicet, quoniam *velox iter habens, canticum illud in novitate libertatis* mirabiliter promit, quod, antequam Unigenitus Dei (qui verus flos virginitatis est) incarnatus de mundo ad coelos rediens ad dexteram Patris resedit, auditum non est. *Quasi novi mores*, qui prius visi non sunt, cum videntur, in stupore habentur; ita hoc *novum mysterium*, quod prius auditum non est, tunc, in coelestibus resonans, in honore virginitatis cognitum est, ante scilicet majestatem Dei, quia Deus hoc facere potuit, et ante quatuor rotas, quae quatuor partes mundi percurrentes veritatem omnis justitiae et humanitatis Salvatoris velut animalia in novâ lege ferebant, et ante illos antiquos, qui Spiritu Sancto imbuti viam rectitudinis in vetere lege hominibus, suo itinere demonstrabant (*Scivias l. 2. vis. 5. P. L.* 197, 481).

Cor Sponsi thronus et hortus.

Humbertus, Gener. O. Praed. († 1277): Sit cor nostrum per castimoniam *thronus* eburneus, sit *lectus* floridus, sit *fons* clarus, sit *hortus* conclusus, amoenus *paradisus, arca* intrinsecus deaurata, et virtutum delectabilis apotheca. — Absit enim, ut *divina consolatio* infundi debeat vasi inquinato! Hanc *suavitatem et dulcedinem cordis* praeparat castitas; quoniam ad coelestium rerum contemplationem divinosque hauriendos radios disponit (*Ep. de 3 votis c. 21 et 23*).

S. Castitatis corona et repromissio.

S. Bernardus: Quod si tibi exprobraverint filiae Belial, illae, quae extento collo, fractis incedunt gressibus, compositae et circumornatae ut similitudo templi (*Ps.* 143, 15), responde: « *Tempus meum nondum advenit; tempus autem vestrum semper est paratum!* » Responde: « *Gloria mea abscondita est cum Christo in Deo; cum autem Christus appa-*

Digitized by Google

ruerit vita mea, tunc et ego apparebo cum Ipso in gloriâ » (*Coloss.* 3, 3 *et* 4). Quamquam « *si gloriari oportet,* » potes tu quoque ingenue, potes secure, « *tantum in Domino* ». Omitto sane *coronam*, quam tibi Dominus præparavit in aeternum. Sileo *repromissiones*, quae te in posterum manent; quod felix sponsa admittenda es, revelatâ facie, speculari gloriam Sponsi tui; quod te Sibi exhibiturus est gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi; quod aeternis excepturus amplexibus; ponet laevam sub capite tuo, et dextera Illius amplexabitur te. Praetereo locum nominatum, quem *virginitatis praerogativâ* singularem a filiis et filiabus in regno es proculdubio sortitura. Sileo et *canticum illud novum*, quod virgo cum virginibus singulari dulcique modulamine canitura, laetaberis in Ipso, et laetificabis civitatem Dei, cantans et cursitans, et sequens « *Agnum, quocumque ierit* ». Illud siquidem « *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit,* » quod tibi praeparatum est et cui te praeparari oportet. Haec ergo praetermitto, quae in futuro reposita sunt tibi : praesentia tantum loquor; ea loquor, quae de *primitiis spiritûs jam tenes*, Sponsi xenia, arrhas, sponsalitias, benedictiones dulcedinis, in quibus te praevenit, quem et subsecuturum, atque quod deest, completurum exspectas. Ille, ille in medium veniat summo decore spectabilis, ipsis quoque Angelis admirandus ornatus. Et proferant si quid simile habent *filiae Babylonis*, quarum vere gloria in confusione; induuntur purpurâ et bysso, et conscientia pannosa jacet; fulgent monilibus, moribus sordent. Econtra tu foris pannosa, intus speciosa resplendes, sed divinis aspectibus, non humanis. Intus est, quod delectat, quia intus est, quem delectat. Nisi forte tu dubitas, habitare Christum per fidem in corde tuo. « *Omnis gloria ejus filiae regis ab intus* » (*Ps.* 44, 18)... Tu ergo « *noli aemulari in malignantibus* » et mendicantibus pulchritudinem alienam, ubi perdiderint suam... Ille est verus propriusque cujusque rei decor, qui, nullâ interjacente materiâ, per se inest. O quam decenti rubore genas suffundit virgineas

Jam in terra primitiae praemii et gloriae.

Splendida pudoris gemma.

Digitized by Google

ingeniti *gemma pudoris!* Quae inaures reginarum huic comparabuntur? O quam compositum reddit omnem corporis statum, nedum et mentis habitum disciplina! Cervicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram sedat, format incessum. Talibus decet pudicitiae vestem distingui *margaritis.* Istiusmodi *circumdata varietate* virginitas, cui gloriae merito non praefertur? Angelicae? *Angelus* habet virginitatem, sed non carnem: sane felicior, quam fortior in hâc parte! (*Ep.* 113. *n.* 2-5. *P. L.* 182, 257).

Castitatis thesaurus.

S. Bonaventura: Castitas habet *pretium super gemmas* et tenet *solium super stellas.* — Castitas est *thesaurus* in vase fragilissimo, ideo summe conservandus est *thesaurus* cum malignissimo hoste, et ideo summe timendus (*Rit.* 4. *Dietae c.* 4). — Castitas corpus mundificat, mentem liberam facit, conscientiam laetificat, tam *hominibus* quam *Angelis amabilem* reddit et spectabilem... Castitas est virtus *origine coelestis* (*L.* 2 *de perf. Relig. c.* 52).

Omnibus amabilis.

S. Hieronymus: Centesimum fructum *virginibus*, sexagesimum *viduis* et continentibus, trigesimum *casto matrimonio* deputamus (*In c.* 13. *Matth. n.* 23. *P. L.* 26, 89).

Castitas sanctificatio.

S. Joan. Cassianus: « *Haec est*, inquit Apostolus, *voluntas Dei sanctificatio vestra.* » Et ne forte dubium nobis relinqueret vel obscurum, quidnam sanctificationem voluerit appellare. « *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos*, inquit, *a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes, quae ignorant Deum.* » Vides, quibus eam laudibus prosequatur: honorem vasis, id est, corporis nostri, et sanctificationem appellans eam. (*De Cœnob. Instit. l.* 6. *c.* 15. *P. L.* 49, 286).

Monachus castus et virgo.

S. Joan. Climacus: *Monachus* est qui in terrestri et inquinato corpore tanquam extra corpus, coelestium statum et vitam aemulatur (*Grad.* 1. *P. Gr.* 88, 634).

S. Augustinus: Omnibus castitas pernecessaria est.

Digitized by Google

sed maxime *ministris Christi* altaris, quorum vita aliorum debet esse eruditio et assidua salutis praedicatio. Tales decet Dominum habere ministros, qui nullâ contagione carnis corrumpantur, sed potius continentiâ castitatis splendeant (*Serm.* 291. *n.* 3 *in app. P. L.* 39, 2297).

In fuga spes victoriae.

S. Hieronymus : Fateor imbecillitatem meam. Nolo spe pugnare victoriae, ne perdam aliquando victoriam. *Si fugero, gladium declinavi;* si stetero, aut vincendum mihi est, aut cadendum. Quid autem necesse est certa dimittere, et incerta sectari ? Aut scuto aut pedibus mors vitanda est. Tu qui pugnas, et superari potes et vincere. Ego cum fugero, non vinco in eo quod fugio; sed ideo *fugio, ne vincar.* Nulla securitas est, vicino serpente dormire. Potest fieri, ut me non mordeat; tamen potest fieri, ut aliquando me mordeat (*L. adv. Vigilant. n.* 16. *P. L.* 23, 252).

Humilitas castitatis custos.

S. Augustinus : Contra libidinis impetum *apprehende fugam,* si vis invenire victoriam; nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere (*Serm.* 293. *n.* 1 *in app. P. L.* 39, 2301). — Quis est hominum, qui suam cogitans infirmitatem, audet viribus suis tribuere castitatem suam (*L.* 2 *confess. c.* 7 *n.* 15). — Hoc bonum quanto magnum video, tanto ei ne pereat furem *superbiam pertimesco.* Non enim custodit bonum virginale, nisi Deus Ipse, qui dedit (*L. de Virg. c.* 51. *P. L.* 40, 426).

S. Joan. Cassianus : Quantum sublime coelesteque est praemium castitatis, tanto gravioribus *adversariorum insidiis lacessitur* (*Instit. l.* 6. *c.* 17. *P. L.* 49, 287). — Non sufficit solum jejunium corporale ad conquirendam et possidendam perfectae castimoniae puritatem... nisi ante omnia fundata fuerit *humilitas* vera, sine quâ nullius penitus vitii unquam triumphus acquiri poterit (*Instit. l.* 6. *c.* 1. *P. L.* 49, 268).

S. Athanasius : *Ne confidas in tuâ castitate,* ne cadas; sed metuas (*De Virgin. c.* 22. *int. dub. P. Gr.* 28. 278).

S. Gregorius : Si castitatem *humilitas* deserat, vel humilitatem castitas relinquat, apud auctorem humilitatis et

Digitized by Google

munditiae prodesse quid praevalet vel superba castitas vel humilitas inquinata? (*Moral. l.* 21. *c.* 3. *n.* 6. *P. L.* 76, 192). — Omnis fortitudo in *humilitate*, quia fragilis omnis superbia. — Per *humilitatis* custodiam servanda est munditia castitatis (*Moral. l.* 26. *c.* 17. *n.* 28. *ibid.* 364).

S. Beda Ven., mon. († 730) : *Custos castitatis* est *virtus humilitatis* (*Lib. Proverb. in append. P. L.* 90, 1094).

Periculosa familiaritas fugienda.

S. Augustinus : Fratres carissimi, ab omnibus Christianis, praecipue tamen *clericis* et *monachis*, indigna et inhonesta *familiaritas fugienda* est ; quia sine ullâ dubitatione, qui familiaritatem non vult vitare suspectam, cito labitur in ruinam (*Serm.* 293. *n.* 1 *in app. P. L.* 39, 2301).

Possidius, Ep. Calamens. († *c.* 440) : S. Augustinus si forte ab aliquibus *feminis*, ut videretur vel salutaretur, rogabatur, nunquam sine clericis testibus ad eum intrabant, vel solus cum solis nunquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset (*In vit. S. Aug. c.* 26. *P. L.* 32, 55).

Fuge mulierem,

S. Hieronymus : Omnes puellas et virgines Christi aut aequaliter ignora aut aequaliter dilige ; *nec in praeteritâ castitate confidas. Neque* enim *sanctior David*, neque *Salomone* potes esse *sapientior*. Memento semper, quod Paradisi colonum de possessione suâ *mulier* ejecerit. — Si propter officium clericatus aut vidua a te visitatur aut virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris... Solus cum solâ, secreto et absque arbitro vel teste non sedeas (*Ep.* 52. *n.* 5. *P. L.* 22, 531).

S. Isidorus Pelus. : *Mulierum congressus*, vir optime, quantum fieri potest, *fuge !* Quodsi etiam, ut cum ipsis congrediaris, necessitas aliqua te obstringat, *oculos humi dejectos habe*. Cumque pauca, quae ipsarum animos adstringere atque illustrare queant, locutus fueris, *statim avola ;* ne forte diuturna consuetudo vires tuas emolliat et infringat (*Lib.* 2. *ep.* 284. *P. Gr.* 78, 714).

S. Basilius M. : Fugiendae in primis cum *mulieribus* nobis congressiones sunt collocutionesque, neque ad eas

Digitized by Google

unquam accedendum, nisi cum gravissima nos aliqua ad eas necessitas impellat et aliter facere non possimus. Quod si devenerimus ad hoc necessitatis, ab his *tanquam ab igne cavendum* est, et ab ipsis ocissime et celerrime secedendum. Considera autem quid eâ de re Sapientia ipsa dicat: « *Alligabit quis ignem in sinu, vestes autem non comburet? Aut ambulabit quis super carbones ignis et pedes non comburet?* » (*Prov.* 6. 27 *et* 28). (*Contit. Monast. c.* 3. *n.* 1. *P. Gr.* 31, 1343).

Humbertus : O. Pr. Gen. (✠ 1277) : Cavendi sunt contactus, non lascivarum, sed *etiam bonarum feminarum*. Quamvis bona sit *terra*, bona quoque sit *pluvia*, tamen ex illarum commixtione *lutum efficitur*. Eodem modo licet bona sit manus viri et bona manus feminae, ex contactu tamen illarum nunquam non lutosa cogitatio vel affectio generatur. Etenim « *picem si quis tetigerit,* » (*Eccli.* 13, 1), manum utique sordidabit (*Ep. de* 3 *vot. c.* 21).

S. Bonaventura : Quasi transeunter *feminis* exhibenda est accessio quodammodo fugitiva. Tutius est, non posse perire, quam juxta periculum non periisse. Illum autem nec castum dixerim nec honestum, qui mulierem aut tangere aut tactum ejus admittere non abhorret. Quomodo tangere licet, quibus intueri non licet? (*Spec. disc. p.* 1. *c.* 30).

S. Antoninus, Archiep. Florent. O. Pr. (✠ 1459) : Aspectus *mulierum*, frequens cum eis colloquium seu contubernium et munerum hinc inde susceptio, destruunt castitatem (*P.* 4. *tit.* 4. § 2 *de temperantiâ*).

Joan. Trithemius, Abb. Spanheimens. (✠ 1516) : Audite haec, fratres, et mente percipite, qui *thesaurum* magnum *in fragili corpusculo* portatis. *Otium fugite!* Semper aliquid boni facite, ut quoties tentator diabolus accesserit, utiliter vos inveniat occupatos. Enimvero, qui otiosus est, insidiis patet tentantis ; qui autem occupatur in opere bono, aditum clausit omnem insidiis. Continuâ igitur exercitatione occupandus est animus, ut numquam inveniatur otiosus. *Beatus ille monachus*, qui mentem suam omni

Fuge otium et malas cogitationes.

Digitized by Google

tempore in bonis exercitiis occupat et numquam in somno torporis et ignaviae dormitat! *Beatus* est miles Christi spiritualis, *qui semper in timore Domini vigilat* et omnes inordinatos motus carnis statim a principio refrenat! Veram enim castitatem illaesam custodire non sufficit, quisquis cum immundis *cogitationibus* quasi deliberans ludit. Primis motibus iniquarum cogitationum reluctandum est, quoniam ubi mora generat periculum, statim fortiter est pugnandum.

Vigilandum contra daemones.

Semper est vigilandum contra salutis nostrae adversarium, qui nunquam citius vincitur, quam si mox a principio suffocetur. Continuâ exercitatione opus est, fratres, quia *mens in sanctis studiis semper occupata, est quasi turris* altissima fortitudinis, in quâ constitutus miles JESU-CHRISTI vigilantissimus, nullas metuit insidias hostilitatis. Obsecro vos igitur, fratres mei carissimi, ne otio tempus consumatis, ne materiam in vobis vitiorum auxeritis, qui maligni spiritus astutias non ignoratis (*De continentiâ et verâ castitate hom. XXI*).

S. Isidor. Hispal.: *Daemones* scientes pulchritudinem esse animae castitatem, et per hanc hominem Angelicis meritis, e quibus illi lapsi sunt, coaequari: livore percussi invidiae, injiciunt per sensus corporis opus desideriumque libidinis, ut secum, quos vicerint, gloriantes ad tartara ducant (*L. 2. Sentent. c. 39. sent. 22. P. L.* 83, 643).

Castitas donum a Deo petendum.

Joan. Cassianus: Revera cum in omnibus virtutum profectibus et cunctorum expugnatione vitiorum *Domini opus* sit *gratiâ* atque *victoriâ*, in hoc sc. in servandâ castitate praecipue peculiare *beneficium Dei ac speciale donum*, et Patrum sententiâ et experimento purgationis sui ipsius manifestissime declaratur his, qui eam meruerint possidere. Quodammodo enim *exire de carne est* in corpore commorantem; et *ultra naturam est*, fragili carne circumdatum carnis aculeos non sentire. Et idcirco impossibile est, hominem suis, ut ita dixerim, pennis ad tam praecelsum coelesteque praemium subvolare, nisi eum gratia Domini de terrae coeno munere eduxerit castitatis. Nullâ enim virtute tam proprie carnales homines spiritalibus *Angelis* imitatione

Digitized by Google

conversationis *aequantur*, quam merito et gratiâ castitatis, per quam, adhuc in terrâ degentes, habent, secundum Apostolum (*Philipp.* 3) municipatum in coelis; quod, depositâ corruptelâ carnali, habituros sanctos promittitur in futurum, hic jam in carne fragili possidentes (*L.* 6 *de coenob. instit. c.* 6. *P. L.* 49, 271).

Assidua oratio et memoria Passionis,

Joan. Trithemius : Nemo castus viribus suis, quoniam *naturam vincere homo fragilis non sufficit*, nisi dederit ille, qui naturam et omnia creavit. Nam quoties natura per castitatem vincitur, *Deus homini manifeste cooperatur.* Quotiescunque ergo animus luxuriae motibus tangitur, *divinum sine morâ auxilium invocetur.* Semper sit in ore monachi *oratio;* et *memoria passionis* et mortis Domini JESU CHRISTI nunquam ab ejus meditatione recedat! Nihil enim sic mentem adversus daemonem fornicationis confortat et animam, sicut devota meditatio passionis D. N. J. Chr. (*De continentia et vera castit. hom.* 21).

Praesidium S. Eucharistiae.

S. Joan. Chrysostomus : Hic *mysticus sanguis daemones procul pellit*, Angelos et Angelorum Dominum ad nos allicit. Daemones enim, cum Dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, Angeli autem concurrunt. — Tamquam *leones* igitur *ignem spirantes* ab illâ mensâ surgamus, diabolo formidabiles. (*Hom.* 45 *in Joan. n.* 3. *P. Gr.* 59, 261, 260).

S. Cyrillus, Ep. Alexandr. : *Sedat*, cum in nobis manet Christus, saevientem membrorum nostrorum legem, pietatem *corroborat*, perturbationes animi *exstinguit* (*In Joan. l.* 4. *c.* 2 *P. G.* 73, 586).

S. Bernardus : Si quis vestrum non tam saepe modo, non tam acerbos sentit iracundiae motus, invidiae, *luxuriae*, aut ceterorum hujusmodi, gratias agat *corpori et sanguini Domini;* quoniam *virtus sacramenti* operatur in eo (*Serm. in coenâ Dom. n.* 3. *P. L.* 183, 272).

S. Thomas Aquin. : Licet hoc *sacramentum* non directe ordinatur *ad diminutionem fomitis*, diminuit tamen fomitem ex quâdam consequentiâ, in quantum *auget cari-*

Digitized by Google

tatem (*III. qu.* 79 *art.* 6. *ad.* 3). — Haec *communio*... sit concupiscentiae et *libidinis exterminatio*... motuum meorum carnalium... perfecta quietatio. (*Grat. act. post. Miss. in Miss. Rom.*).

S. Castitas monasticae legis fundamentum.

S. Ambrosius : Panis sancte, panis vive, *panis munde*... veni in cor meum, et *munda me* ab omni iniquitate carnis et spiritûs. (*Praep.* 1 *ad Miss. n.* 8. *in append. P. L.* 17, 754).

S. Basilius: Qui seipsos *monachorum ordini* addixerunt, tacite videntur *coelibatum* admisisse (*L. 2. ep.* 199. *n.* 19. *P. Gr.* 32, 719).

S. Joan. Chrysostomus: Nihil in te, (*o monache*) penitus tui juris est, quippe qui tanto imperatori militare coepisti. Nam si mulier proprii corporis non habet potestatem, sed vir; multo magis hi, *qui Christo* potius, quam sibi, *vivunt, conditionem corporis sui habere non possunt* (*Adhort.* 2 *ad Theodor. mon. n.* 3. *P. Gr.* 47, 312).

Joan. Trithemius: *Castitas*, virtus pulcherrima, *praecipue decet claustrales*, per quam sub jugo rationis impetus omnis refrenatur libidinis et, furiâ exstinctâ vitiorum, habitudo corporis servetur totius honestatis. *Tria* sunt, sine quorum observatione perpetuâ nemo *inter monachos* censetur nominandus. Horum primum est *humilis obedientia*, secundum *abdicatio proprietatis*, tertium perpetuae continentiae et *castitatis inviolatae custodia*. Castitas monachorum ornamentum est maximum, quâ decorati ad consortium introducentur Angelorum. — *Monachi* estis, in ministerium D. N. Jesu Christi voluntariâ promissione *segregati de mundo*, unde oportet sub necessitate salutis altiorem et sanctiorem vos ceteris conchristianis ducere vitam et omnem carnis et animae devincere pravitatem. Oportet vos mente simul et corpore semper esse *castissimos* et nullâ corruptibilis carnis spurcitiâ maculatos. *Monachus incontinens apostata* est, et cum daemonibus, qui recesserunt a Domino, computatur (*Hom.* 21 *de cont. et verâ castit.*).

Castitatis lilium inter spinas mortificationis,

S. Hieronymus: Habet servata *pudicitia martyrium* suum (*Ep.* 130. *n.* 5 *P. L.* 22, 1110). — *Grandis labor*, sed grande

Digitized by Google

praemium, esse quod Martyres, esse quod Apostoli, esse quod Christus est, *virgo*:.... Te ipsam considerans noli in alterius ruinâ, sed in tuo opere gloriari (*Ep.* 22. *n.* 38 *et* 37. *ibid.* 422). — Ardentes *diaboli sagittae* jejuniorum et vigiliarum rigore ***restinguendae*** sunt (*Ep.* 54. *n.* 7. *idid.* 553). — Si quid in me potest esse consilii, si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, ut sponsa Christi *vinum fugiat* pro veneno. Haec adversus adolescentiam prima arma sunt daemonum. Non sic avaritia quatit, superbia inflat, delectat ambitio.... *Vinum* et *adolescentia* duplex incendium voluptatis. Quid oleum flammae adjicimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? (*Ep.* 22 *n.* 8 *ibid.* 399).

S. Ambrosius: Non ideo laudabilis virginitas, quia in martyribus reperitur, sed quia ipsa *martyres* facit (*De Virgin. l.* 1. *c.* 3. *n.* 10. *P. L.* 16, 191). Praeclara est *militia*, quae regno coelorum militat (*De virginit. c.* 6. *n.* 28 *ibid.* 273). *Abstinentia* disciplina est castimoniae; discimus enim resecare luxuriam, cupiditates vincere, excludere concupiscentias, delectationidus corporis obviare (*L.* 2 *de Jacob c.* 10. *n.* 43 *P. L.* 14, 632).

Castitas martyrium est et militia.

Abstinentia disciplina castimoniae.

S. Augustinus: Dominica virgo ob exstinguendas libidinis vel omnis lasciviae flammas, *jejuniis* et *abstinentiae* debet operam dare, *orationibus* diu noctuque insistere, si cupit et laqueos et insidias diaboli insidiantis evadere et ad promissa virginitatis praemia pervenire. Dominica virgo ab omnibus illecebris gulae abstinens esse debet et honestâ *taciturnitate* semper ornata (*De sobriet. c.* 2. *in append. P. L.* 40, 1108).

S. Basilius M.: *Gustum virgo vincat* ante omnia, fontes voluptatum ac inde ad intemperantiam fluentium irritamentorum, e superiori parte sapienter regens. ... Virginis enim et gustum esse oportet virginis, ita ut nullâ rerum gulam oblectantium illecebrâ ad voluptatem corrumpatur (*De vera virginit. in append. P. Gr.* 30, 683).

S. Gregorius M.: Tunc castimonia ad perfectum munditiae candorem ducitur, cum per *abstinentiam* caro fatigatur (*P.* 2. *Reg. Pastoral. c.* 3. *P. L.* 77, 30). Si corpus *abstinentiae*

Digitized by Google

afflictione non atteritur, contra mentem libidinis flamma se excitat (*L.* 13. *Moral. c.* 16. *n.* 19. *P. L.* 72, 1026).

Caro domesticus hostis.

S. Bernardus: *Genus martyrii* est spiritu facta carnis mortificare (*Serm.* 30 *in Cant. n.* 11 *P. L.* 183, 939). Primus *continentiae nostrae hostis caro* est adversus spiritum concupiscens. Quam *domesticus hostis*, quam periculosa lucta, quam intestinum bellum! *Hostem* hunc *crudelissimum* nec fugere possumus, o anima mea, nec fugare; circumferre illum necesse est; quoniam alligatus est nobis, imo quod periculosius est et miserabilius *hostem nostrum ipsi cogimur sustentare*, perimere eum non licet. Vide ergo, quam sollicite *custodire* necesse sit ab eo, qui *dormit in sinu tuo.* Verumtamen non est hic solus adversarius mihi, alium adhuc habeo, qui circumcinxit et obsedit me undique; et si ignoratis hostis iste est praesens *saeculum nequam.* Conclusit inimicus vias meas et *per quinque portas*, quinque videlicet corporis *sensus*, jaculis suis vulnerat me, et mors intrat per fenestras meas. Sufficere nimis poterant isti duo; sed, heu me! ecce video ventum validum venientem ab aquilone, a quo panditur omne malum. Et nunc quid superest aliud? *Domine, salva nos, perimus!* (*Matth.* 8, 25). Ecce enim malleus universae terrae; ecce *serpens* callidior cunctis animantibus; ecce inimicus ille, quem nec videre possum, quanto minus cavere? Non enim est colluctatio servare volentibus continentiam (continentiam autem dico non a solâ luxuriâ, sed a ceteris quoque, sicut necesse est, vitiis et peccatis), *non est* « illis » *colluctatio adversus carnem et sanguinem tantum, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus* ..... Credo, jam vobis aliquatenus innotescit continentiae difficultas, ut juxta Apostolum sciatis, quae a Deo donata sunt vobis (1 *Cor.* 2, 12). Omnino enim in Domino facimus hanc virtutem et Ipse ad nihilum deducit tribulantes nos (*Serm.* 3 *in Dom.* 6. *p. Pentec. n.* 5. *P. L.* 183, 343).

Alter hostis saeculum.

Tertius serpens antiquus.

B. Ogerius, Abb. Cist. Ord. (*c. saec. XII*): Ut castitas vigeat in mente, *caro mactetur abstinentiae falce* (*Serm.* 8. *de verb. Dom. in coen. n.* 4. *P. L.* 184, 912).

Digitized by Google

S. Bonaventura : Sicut subtrahendo ligna, vel ignem de sub ollâ, cesset ejus bullitio ; sic corpori *subtrahendo cibaria* cessat tentatio carnis (*Tit. 2. diaetae*).

Joan. Trithemius : Quanto vobis familiarior est infirmitas carnis, tanto sunt duriora *proelia castitatis*. Hinc vobis maxime vigilandum est, quando *hostem familiarem circumferimus* et quasi domesticum impulsorem mali sustinemus. Quousque igitur in hâc mortalitate vivimus, *corruptorem castitatis* semper timeamus! Caveamus omnia, quae libidinem excitant, et, quantum possumus, *acediam* et *otium* fugiamus! Armate vos *loricâ perfectae fidei* JESU-CHRISTI. Omnes *in fraternâ caritate* semper estote unanimes et in regularis disciplinae observantiâ sine fictione concordes. *Jejunium* et *continentiam* diligite, sine intermissione *semper orate !* Amate *silentium*, et *solitudinem* monasticam nolite fugere, si veram mentis et corporis munditiam cupitis obtinere! *Oculorum, aurium* et *sermonum* continuam habete *custodiam*, ne per fenestras mors ingrediatur ad animam! (*Hom. 21. de contin. et verâ castit.*). — Contende *per angustam viam* ad vitam ingredi : hoc est carnis desideria non perficere, mundum odire, spiritu vivere. Ad *militandum Deo* contra vitia carnis vocatus es ; noli ante victoriam quiescere, noli a pugnâ desistere, quia nemo coronabitur nisi victor. In hâc autem vitâ non est certa victoria, sed *continua pugna*..... «*Militia est vita hominis super terram.*» Miles summi Regis es ; non licet tibi agonem illius deserere..... Labora *sicut bonus miles* JESU-CHRISTI : nulla carneae voluptatis mentem illecebra tangat! (*Instit. vit. sacerd. c. 7*).

Proelia castitatis.

S. Ambrosius : Quid est *mors* seu *mortificatio*, nisi sepultura vitiorum, virtutum suscitatio? (*De bono mortis. c. 4. n. 15. P. L. 14, 547*). — Castigare corpus, est jejuniis illud angere et illa ei dare, *quae ad vitam proficiant*, non ad luxum (*Sup. 1. Cor. c. 1. v. 26 in app. P. L. 17, 253*). — Quid excelsius et magnificentius, quam exercere mentem, *affligere carnem et in servitutem redigere*, ut obediat imperio, consiliis

Mortificatio lex vitae christianae.

Digitized by Google

obtemperet, et in adeundis laboribus impigre exsequatur propositum animi ac voluntatem? (*De offic. l.* 1. *c.* 36. *n.* 180. *P. L.* 16, 76). — *Moriatur caro* nostra *cupiditatibus*, sit captiva, sit subdita, nec legi mentis nostrae repugnet, sed *bonae servituti subjecta* moriatur... Quod nocet corpori, juvat spiritum (*De poenit. l.* 1. *c.* 13. *n.* 61 *et* 65. *ibid.* 485). — *Mortificatio* est remissio peccatorum, absolutio criminum; erroris oblivio, assumptio gratiarum (*De bono mortis c.* 4. *n.* 15. *P. L.* 14, 547).

Carnis mors vita spiritûs.

Mori saeculo est vivere Deo.

S. Augustinus : *Morere, ut vivas;* sepelire ut resurgas! (*De verb. apostoli serm.* 169. *c.* 13. *n.* 16. *P. L.* 38, 924). — Cujus animus non *moritur huic saeculo*, in graviorem mortem morte corporis trahitur (*De doct. Christ. l.* 1. *c.* 20. *P. L.* 34, 26). — Ut spiritu nostro opera carnis mortificemus, *Spiritu Dei agimur* (*De continent. c.* 5. *n.* 12. *P. L.* 40, 357). — Nemo in coelo moritur, quo nemo pervenit, nisi huic saeculo moriatur (*Sup. Joan. tract.* 65. *n.* 1. *P. L.* 35, 1808). — Hic *exstinguamus mortem*, moriendo peccatis (*Serm.* 252. *n.* 3. *in app. P. L.* 39, 2212). — Hoc est opus nostrum in hac vitâ, *actiones carnis spiritu mortificare* quotidie, affligere, minuere, frenare, interimere (*Serm.* 13, 156. *c.* 9. *P. L.* 38, 855 *de verb. Dom.*). — Duo sunt, quae in hâc vitâ veluti laboriosa praecipiuntur a Domino, *continere* et *sustinere*. Jubemur enim *continere* ab his, quae in mundo dicuntur bona, et *sustinere* ea, quae in hoc mundo abundant mala. Illa *continentia*, ista *sustinentia*, vocantur *duae virtutes*, quae mundant animam et capaces faciunt divinitatis (*Serm.* 38. *c.* 1. *P. L.* 38, 235). — Caro tua, conjux tua, famula tua, quodlibet deputa, *opus est, ut subjicias;* et si pugnas, ut prosit pugna. Hoc enim *expedit, inferius subjici superiori;* ut et ille, qui sibi subjici vult, quod est inferius se, subjiciatur Superiori se. Agnosce *ordinem*, quaere *pacem* (*Enarr. in Ps.* 143. *n.* 6. *P. F.* 37, 1860). — Accepit homo *corpus tanquam in famulatum*, Deum autem Dominum habens, servum corpus, habens supra se conditorem; infra se quod sub illo conditum est; in medio quodam loco rationalis anima constituta, legem accepit haerere superiori, regere inferiorem (*Enarr. in Ps.* 145.

Contine et sustine.

Caro subjecta menti, mens Deo.

Digitized by Google

n. 5. *ibid.* 1887). — *Tota vita christiani* hominis, si secundum Evangelium vivat, *crux* est atque *martyrium* (*Serm.* 297, *n.* 3). — Si perit homo amando se, profecto invenitur negando se (*Serm.* 96. *n.* 1. *P. L.* 38, 585). — Per cupiditatem regnat in homine diabolus et cor ejus tenet; tales sunt omnes, qui diligunt istum mundum. Mittitur autem foras diabolus, quando ex toto corde huic mundo renuntiatur; sic enim *renuntiatur diabolo, qui princeps est hujus mundi*, cum renuntiatur corruptelis et pompis et angelis ejus (*De agone christ. c.* 1. *P. L.* 40, 291).

Mittitur diabolus foras.

S. Hieronymus : *Via Domini*, quâ ad homines ingreditur, *poenitentia* est; per quam Deus ad nos descendit et nos ad illum ascendimus (*Sup. Marc. c.* 1. *v.* 3 *in append. P. L.* 30, 611).

Via Domini poenitentia.

S. Leo M.: Afflicto paululum exteriore homine reficiatur interior; et subtractâ carni saturitate corporeâ, spiritualibus mens deliciis roboretur (*Serm.* 39. *c.* 5. *P. L.* 54, 266) — Pia *vita Sanctorum* nunquam aliena est *crucis* Christi, dum continentiae clavis desideria carnis configit et corporeas cupiditates virtute Spiritûs in se habitantis interficit. Difficile est enim, quemquam in se non habere, quod perimat, exstinguenda est iracundia, mortificanda superbia, destruenda luxuria (*Serm.* 45. *c.* 4. *ibid.* 291). — Per voluntarias afflictiones *caro concupiscentiis moritur*, virtutibus *spiritus innovatur* (*Serm.* 13. *ibid.* 172). — *Susceptio crucis* est interfectio cupiditatum, occisio vitiorum, declinatio vanitatis et abdicatio omnis erroris (*Serm.* 72. *c.* 5. *ibid.* 393). — Tanto fit rationalis *anima purgatior*, quanto fuerit substantia carnis afflictior (*Serm.* 78. *c.* 1. *ibid.* 416). — Si nos erigimur, *daemones corruunt*, remedia nostra plagae ipsorum sunt, quia curatione nostrorum vulnerum vulnerantur (*Serm.* 39. *c.* 4. *ibid.* 295).

Vita Sanctorum crux carnis et daemonum.

S. Cyrillus, Episc. Alexandrin.: Necessarium erat nos, qui filii Dei appellandi eramus, *ad imaginem Filii* potius fieri, ut et *filiationis typus* nobis conveniret (*Adv. Anthropom. c.* 6. *P. Gr.* 76, 1090).

Imitatio Christi.

Eusebius, Ep. Emes. (✠ *c.* 360) : Mortificatione praesenti, *futurae mortis sententia praevenitur*. Dum exterior

Mortificatio judicis placatio.

Digitized by Google

afflictio voluntariae districtionis infertur, tremendi judicis offensa sedatur (*Hom.* 10 *ad Mon.*). — Abnegamus nos, cum studemus odisse, quod fuimus, et amare incipimus, quod esse debemus (*Hom. de Trin.*).

Est mentis pax et libertas,

S. Nilus, Erem. (✠ *c.* 450) : Ut hostis sublatus terrorem amplius non affert, sic *corpus mortificatum* animam non perturbat. Abjice, quidquid malitiam spirat, et membra carnis tuae vehementer mortifica! (*Tract. de octo spiritibus c.* 3. *P. Gr.* 79, 1147).

S. Basilius M. : « *Numquid confitebitur Tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* » Quomodo terrestris homo, ac carneus confitebitur Tibi Deo? Quomodo item annuntiabit veritatem is, qui disciplinis nullam dedit operam, et in tantâ carnis mole, suam ipsius mentem oppressam tenet? Jure itaque meam extenuo ac *macero carnem*, nec meo sanguini parco, qui in carnem coalescere solet, ne mihi vel ad confessionem, vel ad veritatis cognitionem sit impedimento (*Hom. in Ps.* 29. *n.* 6. *P. Gr.* 23, 319).

Cum Deo jungit,

S. Gregorius M. : Nisi quis a semetipso deficiat, ad Eum, qui supra ipsum est, non appropinquat. Non valet apprehendere, quod ultra ipsum est, si nescierit mactare, quod est (*Hom.* 32 *in Ev. n.* 2. *P. L.* 76, 1234).

Renuntiat diabolo,

S. Augustinus : Diabolo vos renuntiare professi estis, in quâ professione non hominibus, sed Deo et Angelis Ejus conscribentibus dixistis : « *Renuntio.* » Renuntiate non solum vocibus, sed etiam moribus, non tantum sono linguae, sed actu vitae : nec tantum labiis sonantibus, sed et operibus pronuntiantibus (*Serm.* 4 *de symb. ad Cathech. c.* 1. *int. dub. P. L.* 40, 661). — Vigilet unusquisque, ne non, ex toto renuntians diabolo et pompis ejus, post professionem apud eum diabolus suos recognoscat pannos; et incipiat semper reus detineri, quem Christus voluit suâ gratiâ liberare. (*Serm.* 1. *de Vig. Nat.*).

Est mors mortis.

Thalassius, Abb. Syrus (✠ 650) : Malitiam mortifica, ne *mortuus* non *resurgas*, et a brevi morte in longam transeas (*Hecat.* 4. *sent.* 51. *P. Gr.* 91, 1463).

Digitized by Google

Salvianus, presbyter († *c.* 490) : *Abdica te a te* ipso, ne abdiceris a Christo; *repudia te*, ut recipiaris a Christo; *perde te* ipse, ne pereas; *dilige hanc tuam salubrem perditionem*, ut assequaris veram salutem! (*L.* 5 *de Gubern. Dei n.* 11. *P. L.* 53, 108). *Vera salus est abnegatio sui.*

S. Petrus Damianus : *Abnegator sui sectator est Christi* (*Opusc.* 11. *c.* 19. *P. L.* 145, 251). — *Sicca chorda* clarum harmoniae sonitum, humida reddit obtusum; *tympanum* quoque surdum sonat, si quilibet eum humor humectat. Sic necesse est, ut *mens* humana *a carnis voluptate* sit *arida*, quatenus in Dei omnipotentis auribus ejus oratio sit arguta (*L.* 1. *ep.* 15. *P. L.* 144, 227).

Petrus Venerabilis, Abb. Cluniac. († 1158): Oportet te ita *aequâ lance vitam* tuam *moderari* ut ea carni subtrahas, quae ejus possent militare superbiae, et ea illi tribuas, quae tantum necessitati satisfacere possint naturae. Cui si plus justo concesseris, abundantiâ insolescens super se elevabitur, vel, si justa negaveris, sub seipsum miserrime dejicietur (*L.* 1. *ep.* 20 *P. L.* 198, 99).

S. Bernardus : *Qui vult venire post me abneget semetipsum.* » Ac si dicat: Qui me desiderat, se despiciat; qui vult facere voluntatem Meam, discat frangere suam (*Serm.* 2 *de S. Andreâ n.* 7 *P. L.* 183, 511).

S. Petrus, Comestor presb. Trecens. († 1178): *Caro laeta* traxit nos ad culpam, *afflicta* retrahat ad veniam (*Serm.* 45 *P. L.* 198, 1829). *Caro crucifigenda.*

Hugo a S. Charo, Card. : *Mali* hic *impinguant carnem*, ut lautius a diabolo manducentur; sed *boni* hic *crucifigunt carnem* suam, ut non sit idonea ad manducandum, sed potius ad glorificandum. *Crux praesens scala est ad gloriam;* gloria autem praesens scala est ad crucem aeternam (*Sup. Gen. c.* 40 *v.* 19).— *Carnem mortificare* et *orare*, haec duo cogunt diabolum exire (*Sup.* 1 *Reg. c.* 16 *n.* 23). — *Justitia est*, vindictam de carne propriâ sumere (*Sup. Ps.* 117 *v.* 14). — *Mortificanda est caro*, quia caro viva et petulans signum est leprae. Scimus, quia in Dei oculis *majoris meriti* est, *saepe* *Mortificationis crux scala ad gloriam.*

Digitized by Google

mortificari, quam mori (*Sup. Ps.* 43 *v.* 22). — Carnis mortificatio *terret daemones* et percutit (*Sup. Ps.* 80 *v.* 3). — Crux mortificationis ascensus est, sive scala quâ de lacu miseriae et de luto faecis, et de mundo *ascenditur in coelum* (*Sup. Cant. c.* 3 *v.* 9). — Carnis mortificatio cum exercitio virtutum *consonat in laudem Dei* (*Sup. Isai. c.* 23 *v.* 16). — Non est possibile, qui hanc amat vitam, vitam vivere crucifixam (*Sup. Joan. c.* 5 *v.* 33). — Maceratione *minuuntur concupiscentiae* (*Sup. ep. ad Rom. c.* 8 *v.* 14). — Corpus affligitur, sed *anima gloriatur* (*Sup. ep.* 2 *ad. Cor. c.* 11 *v.* 26). — Illa mortificatio, quae fit in communitate, placet Deo (*Sup. ep. ad Hebr. c.* 2 *v.* 12).

Ne descendas de cruce.

S. Laurentius Justinianus : Congruit statui nostro, ut donec peregrinamur in hâc miseriarum et periculorum valle, reprimendarum *carnalium voluptatum crucem nobis ipsis faciamus.* In hâc cruce per totam istam vitam perpetuo debet pendere Christianus, *non* enim *est tempus evellendi clavos* (*De ligno vitae tract.* 11 *de sobriet. c.* 2).

Monasteria mortificationis loca.

S. Joan. Chrysostomus : Vere domus luctus *monasteria* sunt, ubi *cinis* atque *cilicium*, ubi solitudo, ubi risus nullus, nullus negotiorum saecularium strepitus, ubi jejunia, ubi terrenorum duritia lectulorum, ubi absunt perturbationes, curae, tumultus. — Ibi solitarii *tranquillo in portu navigant*, ac veluti luminaria sunt, sublimi de loco navigantibus fulgore suo iter aperientes, omnes ad quietem suam invitantes ac pertrahentes (*Hom.* 14 *in Ep.* 1 *ad Tim. n.* 3 *P. Gr.* 62, 574).

— Si quis ad *Aegypti* veniat *solitudines*, paradiso quovis omnem illam videbit eremum digniorem, et innumerabiles Angelorum coetus in corporibus fulgere mortalibus, et *populos martyrum, et choros virginum:* et omnem quidem tyrannidem diaboli dissolutam, *Christi* autem *regnum* coruscans.... Est enim cernere totâ illâ regione diffusum *exercitum Christi*, et admirabilem illum regium gregem, virtutumque coelestium conversationem in terris micantem (*Hom.* 8 *in Matth. v.* 4 *P. Gr.* 57,87). — Cum liceat deliciose et optime degere, si eligatur laboriosa vita et amara, mortificans corpus, *holocaustoma* est. Mortifica ergo corpus tuum et crucifige; et accipies

Mortificatio martyrium et holocaustum.

Digitized by Google

et tu *martyrii coronam* (*Hom* 11 *sup. ep. ad Hebr v.* 3 *P. Gr.* 63, 93).

S. Hieronymus: Sicut *martyres* laudant Dominum pure in regione vivorum, ita et *monachi* qui die ac nocte psallunt Domino, debent eandem puritatem habere martyrum, siquidem *ipsi martyres* sunt. Quod enim faciunt Angeli in coelis, hoc Monachi faciunt in terris (*Breviar. In Ps.* 115 *v.* 17 *inter apocr. P. L.* 26, 1183). Huic *mundo mortua* esto, et nihil aliud nisi de coelestibus cogitans, loquere ad sponsum tuum (*Ep.* 65 *n.* 14. *P. L.* 22, 632).

S. Augustinus: Ostendite hominibus, non vos in otio facilem victum, sed «*per angustam et arctam viam*» hujus propositi regnum Dei quaerere (*De op. Monach. c.* 28. *n.* 36. *P. L.* 40, 576).

In vitâ Patrum: *In omnibus sibi* unumquemque *vim facere*, haec est *via Dei, et opus Monachi* (*Aegypt. Monach. sentent.* 92. *in app. P. L.* 74, 392). *Opus monachi.*

Joan. Cassianus: *Finis coenobitae* est, omnes suas mortificare et crucifigere voluntates (*Collat.* 19 *c.* 8 *P. L.* 49, 1138).

S. Ephrem, Diac. Edess. in Syriâ († *c.* 378): Bellum militum breve, sed *monachi pugna*, quoadusque emigret ad Dominum, durat (*Adhort.* 2. *ad piet. tom. II p.* 74). *Monachi pugna.*

S. Antonius, Abb.: Accende lampadem tuam oleo oculorum tuorum, nempe *lacrymis* (*In suâ Regulâ. c.* 25. *P. L.* 103, 426).

S. Basilius M.: *Secessus a mundo* non est, corpore extra ipsum esse, sed animam *ab affectionum cum corpore consensione* avellere (*Ep.* 2. *n.* 2 *P. Gr.* 32, 226). *A saeculo alienus,*

S. Joan. Climacus: *Monachus* est, qui, solum ad Deum acie mentis intentus, Illum *semper orat* in omni tempore, et loco et opere. *Monachus est perpetua naturae violentia*, sensuumque vigilantissima et indefessa custodia. *Monachus est castificatum corpus*, expiatum os, animusque semper divino lumine irradiatus (*Scala par ad. gr.* 1. *art.* 4 *P. Gr.* 88, 634). *Monachus assiduus naturae domitor.*

— Monachorum quidem lux Angeli sunt, cunctorum autem *mortalium lux monastica est disciplina.* Certent ergo summâ *Monastica disciplina lux et norma.*

Digitized by Google

ope per omnia fieri omnibus *optima forma*, neque ullam cuiquam dent offensionem. Nam ex his, quae gerunt, *vivendi normam* omnibus proponunt. Denique *si lux vertatur in tenebras*, tenebrae ipsae, id est homines saeculo addicti, quantum putas, propterea obtenebrabuntur? (*Scala parad. gr.* 26. *art.* 31 *ibid.* 1022).

Peregrinamur in hâc vitâ.

S. Odo: Monachi sic *utuntur temporali subsidio, sicut viator* utitur aut *umbrâ* aut *lecto;* pausat corpore, sed mente ad aliud tendens recedere festinat. Sic et hi gressum cordis transitoriis figere refugiunt ne delectatione itineris sequestrentur a statione *aeternae mansionis.* In propriis enim gaudere desiderant et idcirco in *loco peregrinationis* suae felices esse recusant (*Coll. l.* 1 *n.* 39 *P. L.* 133, 546).

S. Bernardus: *Genus martyrii est, spiritu facta carnis mortificare;* illo nimirum, quo membra caeduntur, ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius (*Serm.* 30 *in Cant. n.* 11 *P. L.* 183, 939). — «*Exsurgat Deus,*» cadat armatus iste, cadat et conteratur inimicus homo, contemptor Dei, amator sui, amicus mundi, servus diaboli! Quid tibi videtur? Certe, si recte sentis, mecum dices: *Reus est mortis; crucifigatur, crucifigatur!* — Quasi *secundo baptizamur,* dum per hoc, quod mortificamus membra nostra, quae sunt super terram, *rursum Christum induimus;* complantati denuo similitudini mortis Ejus. Sed et quomodo in baptismo eruimur de potestate tenebrarum, et *in regnum transferimur claritatis* aeternae; ita et in sancti hujus secundâ quâdam regeneratione propositi, de tenebris aeque, non unius originalis, sed multorum actualium delictorum, in lumen virtutum evadimus (*De praec. et dispens. c.* 17 *n.* 54. *P. L.* 182, 889). — Homo Dei, ne trepides *exuere hominem* illum, *qui de terrâ est*; illum, qui te deprimit usque ad terram, et conatur deprimere usque ad inferos (*Ep.* 266 *n.* 1 *ibid.* 471). — Parum est semel putasse, saepe *putandum est,* imo si fieri possit, *semper;* quia semper, quod putari oporteat, si non dissimulas, invenis, (*Serm.* 58 *sup. Cant. n.* 10 *P. L.* 183, 1060). — Bene *mortuus* es *a corde,* si

Crucifigatur vetus homo.

Mortificatio secundum baptisma,

Assidua sit.

Digitized by Google

jam non tibi vivere studeas, sed Ei, qui pro te mortuus est (*Ep.* 42. *c.* 3. *n.* 11. *P. L.* 182, 818).

Militia regularis.

Petrus Blesensis : *Militia regularis* arma spiritualia exigit, quia sine tentationibus vix horâ dimidiâ claustralis vitae transigitur (*Ep.* 134. *P. L.* 207, 400). — *Pugnemus* contra Chanaan, contra vitia et spirituales nequitias; « *vita enim nostra militia est super terram* » (*Job.* 7), ut possideamus terram cordis nostri. Subjice tibi, Domine, animam meam, ut subjiciam tibi terram cordis mei. « *Nonne Deo subjecta est anima mea* » (*Ps.* 61), ut *in pace possideam corpus* meum, non recalcitrans, non lasciviens, sed rationi obediens, et subjectum? Domine, si non possum omnino exterminare *motus illicitos*, hoc saltem gratiae mihi addas, ut eos *subjiciam servituti!* Nam et Israël *Jebusaeum* delere non potuit, sed eum *tributarium* sibi fecit. Hunc sibi subjiciebat in servum qui dicebat : « *Castigo corpus meum et in servitutem redigo* » (2. *Cor.* 9)... Erit, quando exterminabitur totum semen Chanaan de terrâ nostrâ, quando » *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei* (*Rom.* 8). » (*Serm.* 43 *ibid.* 694).

Perfecta victoria,

Imit. Christi : Ambula, ubi vis; quaere quodcunque volueris; et non invenies altiorem viam supra, nec securiorem viam infra, nisi *viam sanctae crucis.* — *Si libenter crucem portas*, portabit te et ducet te ad desideratum finem; *si invite portas*, onus tibi facis, et te ipsum magis gravas, et tamen oportet, ut sustineas; *si abjicis* unam crucem, aliam procul dubio invenies et forsitan graviorem. — Non est alia *via ad vitam*, nisi via sanctae crucis, et quotidianae mortificationis. — Unum summe spirituali necessarium est, ut *omnibus relictis se relinquat* et a se totaliter exeat. — Fili, non potes perfectam possidere libertatem, nisi *totaliter abneges temetipsum.* — Non est minimum, *etiam in minimis* se ipsum relinquere; verus profectus hominis est abnegatio sui ipsius; et *homo abnegatus valde liber* est. — Fili, relinque te, et invenies me, relinque te et *frueris magnâ internâ pace;* da totum pro toto. — Oportet te saepe agere, quod

Crux portata portat.

Abnegatio libertas est, pax profectus.

Digitized by Google

non vis; et quod vis, oportet relinquere. *Quod aliis placet*, processum habebit; quod tibi placet, ultra non proficiet. — Fili, quantum a te vales exire, tantum in me poteris transire (*L.* 2. *c.* 12; *c.* 11. — *l.* 3. *c.* 32; *c.* 39; *c.* 37; *c.* 49; *c.* 56).

Monachi abnegatio et poenitentia.

Joan. Trithemius: *Crux nostra*, Fratres, propriae voluntatis *abnegatio* est (*De propriet. Monach. c.* 1). — Abnega temetipsum desideriis tuis, ut *discipulus Christi* efficiaris (*De inst. vitae sacerd. c.* 7). — *Semper poenitendum est monacho*, qui non solum pro suis, sed etiam pro delictis aliorum intercessor ad Deum constituitur. Nunquam sine poenitentiâ vivit, qui verus est monachus (*L.* 1. *Hom.* 14). — *Tota vita monachi* debet esse *poenitentialis*, etiamsi culpis videatur esse inanis. Semper justus in hâc vitâ habet unde *lugeat*, qui duram in carne servitutem portat. *Si non habet propria peccata, luget aliena.* De eleemosynis in coenobio vivimus; ergo pro peccatis aliorum debitores sumus. Sic vivamus monachi, ut non timeamus mori; bona enim vita non est morti obnoxia (*De vir. illustr.* 3. *c.* 339).

Monachus in seipsum armatus.

V. Ludovicus Blosius, Abb. Laetiens. († 1566): Monachus diceris; vide, ut vere sis, quod diceris; *opus monachi fac!* Debellandis, inquàm, eliminandisque vitiis sedulo invigila. Adversus animositatem, adversus voluptates carnis et sensualitatis illecebras, semper armatus esto. *Arma te in te!* Certa contra te; et quantum est in te, vince et suppedita te! *Spirituale martyrium* invicto animo perfer (*Specul. monach. c.* 1).

S. Bonaventura: Felix haec servitus, imo gloriosa libertas, quam quis sponte in regiam venditus servitutem, Deum et ejus vicarios, potius quam seipsum, super se regnare constituens, suae prorsus renuntiat voluntati (*Specul. discipl. p.* 1. *c.* 4).

Gerardus Belga: *Monachus* non est, qui mortificationis assidue studiosus non est. Quod Judaeus *incircumcisus*, hoc monachus *immortificatus;* uterque nec Judaeus nec monachus. Et sicut in Circumcisione initium anni, sic in

Digitized by Google

mortificatione initium monachismi (*Cit. apud d'Agaro :* " *Meditationes* ").

Majorum mortificatio.

Imit. Christi : O quam multas et graves tribulationes passi sunt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, et reliqui omnes, qui Christi vestigia voluerunt sequi! Nam animas suas in hoc mundo oderunt, ut in aeternam vitam eas possiderent. O quam strictam et abdicatam vitam sancti Patres in eremo duxerunt! quam longas et graves tentationes pertulerunt! quam frequenter ab inimico vexati sunt! quam crebras et fervidas orationes Deo obtulerunt! quam rigidas abstinentias peregerunt! quam magnum zelum et fervorem ad spiritualem profectum habuerunt! quam forte bellum adversus edomationem vitiorum gesserunt! quam puram et rectam intentionem ad Deum tenuerunt! Per diem laborabant, et noctibus orationi diutinae vacabant: quamquam laborando ab oratione mentali minime cessarent (*Lib.* 1. *c.* 18).

Corporis et animae sacrificium.

S. Augustinus : Ipse homo, Dei nomine consecratus et Deo devotus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, *sacrificium* est... Corpus nostrum dum per temperantiam castigamus, si hoc quemadmodum debemus, propter Deum facimus, *sacrificium* est. Ad quod exhortans Apostolus ait : « *Obsecro itaque vos, Fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum!* » Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo vel tanquam instrumento utitur anima, cum ejus bonus et rectus usus ad Deum refertur, *sacrificium* est, quanto magis anima, cum se refert ad Deum, ut igne amoris Ejus accensa formam concupiscentiae saecularis amittat, Eique tanquam formae incommutabili subdita reformetur, hinc Ei placens, quod ex Ejus pulchritudine acceperit, fit *sacrificium* (*De civit. Dei l.* 10. *c.* 6. *P. L.* 41, 283).

Monachus certator victor.

Joan. Trithemius : *Obedientia* est, quae animam Deo reconciliat et praeter effusionem sanguinis martyres coronat. Monachus, si juxta votum recte vivit, *prolixum certe martyrium* portat (*Hom.* 20 *de ver. obedient.*). — In *meditatione*

Digitized by Google

Contemplator et imitator Passionis Christi.

Passionis Domini et Salvatoris nostri JESU-CHRISTI diligenter exercita mentem tuam. Monachus, qui Passionis Domini non semel quotidie cum gratiarum actione reminiscitur, ingratissimus merito omnium hominum censetur. Nihil est enim illâ oratione potentius, quae Deo Patri offertur in unione ac virtute Dominicae Passionis. Agamus *Christi amore*, quidquid possumus! Perferamus *intuitu Passionis Ejus et Mortis* omne, quod nobis adversitatis in hoc mundo acciderit; quoniam Dominus JESUS, qui pati pro nobis ex caritate voluit, ut Eum toto corde diligamus, veraciter se dignissimum ostendit. *Meditatio Dominicae Passionis* praecellit omnia hujus vitae exercitia, si cum devotionis intimae fervore diutius fuerit continuata. Felix ille monachus, qui dicere veraciter cum sancto martyre Christi *Theophoro* (sc. Ignatius Mart.) potest : « *Amor meus crucifixus est et ideo cor meum nullam hujus mundi recipit consolationem.* » Et illud Christophili Pauli : « *Mihi mundus crucifixus est et ego mundo.* » Dico vobis, quod inter omnia monachorum exercitia nullum potest esse sanctius, nullum Deo acceptabilius, nullum vobis salubrius, quam illud, quod in meditatione Passionis D. N. JESU-CHRISTI quotidianâ sedulitate cum interni amoris compunctione praedicatur. *Passionis Christi devota meditatio* facit omnia hujus mundi oblectamenta contemnere et nulla quantumlibet dura vel contraria formidare. Libidinem exterminat, luxuriam tam mentis quam corporis edomat, gulam refrenat, acediam inflammat. Mentem insuper hominis, quam *Passio Christi* veraciter occupat, nulla rei carnalis passio fatigat. O quam suaviter ardet, quem *Passionis* JESU memoria dulciter inflammavit, et quam feliciter mens aestuat, quae mortis Christi jugem amplectitur meditationem! (*Hom.* 16 *de Quadr. jejun. Monach.*).

Monastica disciplina.

Joan. Cassian. : *Abrenuntiatio* nihil est aliud, quam crucis ac mortificationis indicium. Ideoque *noveris* hodierno die *te huic mundo et actibus ejus ac desideriis esse defunctum*, teque secundum Apostolum mundo huic esse *crucifixum*

Digitized by Google

tibique hunc mundum. Considera ergo conditiones crucis, sub cujus te deinceps sacramento oportet in hâc luce versari; quia jam tu non vivis, sed *Ille vivit in te, qui est crucifixus pro te* (*Galat.* II). Eo ergo habitu ac figurâ, quâ pro nobis in patibulo fuit Ille suspensus, nos quoque necesse est in hâc vitâ degere, ut scilicet, secundum David affigentes de timore Domini carnes nostras, universas voluntates ac desideria non nostrae concupiscentiae servientia, sed mortificationi ejus habeamus affixa. Sic enim *Domini praeceptum* implebimus, dicentis: « *Qui non accipit crucem suam et sequitur Me, non est Me dignus* ». Sed forte dicas: Quomodo potest homo crucem suam jugiter portare, vel quemadmodum vivens quis possit esse crucifixus? Audi rationem breviter: *crux nostra timor Domini* est; sicut ergo *crucifixus* quis jam non pro animi sui motu membra sua quoquam movendi vel convertendi habet potestatem, ita et nos *voluntates nostras ac desideria* non secundum id, quod nobis suave est ac delectat ad praesens, sed secundum legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicare debemus. Et sicut is qui patibulo crucis affigitur, non jam praesentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non pro die crastino sollicitudine curâque distenditur, nullâ possidendi concupiscentiâ permovetur, nullâ superbiâ, nullâ contentione succenditur, non de praesentibus dolet injuriis, non praeteritarum jam recordatur, seque cum adhuc spirat in corpore, cunctis elementis credit esse defunctum, illuc praemittens sui cordis intuitum, quo se non dubitat illico transiturum : ita *nos* quoque *timore Domini crucifixos* oportet his omnibus, id est, non solum carnalibus vitiis, verum etiam ipsis elementis mortuos esse, illuc habentes oculos animae nostrae defixos, quo nos sperare debemus momentis singulis migraturos (*Ioestit. Coenob. l.* 4. *c.* 34 *et* 35. *P. L.* 49, 194). Omnia *caritatis gratiâ* gerenda appetendaque sunt nobis; pro hâc solitudo sectanda est, pro hâc *jejunia, vigilias, labores, corporis nuditatem*, lectionem, ceterasque virtutes debere nos suscipere noverimus; ut scilicet *per illas ab universis passionibus noxiis illaesum parare cor* no-

Disciplina operatur caritatem;

Digitized by Google

strum et conservare possimus et ad perfectionem caritatis istis gradibus innitendo conscendere. Illa enim numerata non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit disciplinae monasticae finis, sed per illa pervenitur ad finem (*Collat.* 1. *c.* 7. *ibid.* 489).

Dionysius Carthus., mon. Roermond. († 1471): *mortificatio* nihil est aliud, quam sui ipsius abnegatio spontanea, fractio conservativa, violentia virtuosa, odium amorosum, ac salutaris perditio (*de mortific. vivif. art.* 1). — *Mortificatio* est privati amoris extinctio, ac divinae caritatis adeptio (*Art.* 2). — Qui *se mortificant*, sunt quippe mortui propriae voluntati, sed vivunt Deo per ardentissimam caritatem (*De profectu spirit. art.* 13).

S. Joan. Chrysost.: *Disciplina* participatio sanctitatis est, negligentiam pellit, cupiditates excludit, animam convertit (*Hom.* 29. *sup. Ep. ad. Hebr. n.* 3. *P. Gr.* 63, 205). — *Disciplina* exercitatio est, quae athletam efficit fortiorem, et insuperabilem reddit in certaminibus et inexpugnabilem declarat in proeliis (*Homil.* 30. *sup. Ep. ad Heb. n.* 1 *ibid.* 209).

Eius praestantia.

S. Augustinus: — Sic vigilet tolerantia, ut non dormiat *disciplina* (*Serm.* 16. *c.* 7. *n.* 11. *P. L.* 38, 900). — Sicut *disciplinam* qui abjicit infelix est; sic *disciplinam* qui negat, crudelis est (*Serm.* 13. *c.* 8. *n.* 9 *ibid.* 111).— Semper vivit, in quo est *disciplina* (*De immortal. animae c.* 1. *P. L.* 32, 1021)

Valerian. Ep. Cemeliens. († *saec. V*): *Disciplina magistra est* religionis, magistra verae pietatis; quae nec ideo increpat, ut laedat, nec ideo castigat, ut noceat. Nihil est, quod non *disciplina* aut emendet, aut salvum faciat. — Omnia sub metu *disciplinae* vitia jacent, ... et nisi constitutus esset ordo vivendi nunquam profecto, finem poneret natura peccandi. — Dulce *disciplinae* onus et leve jugum Domini non gravat, nisi perditos aut perituros. — Ecce dixit Propheta: *Qui spernit* » *disciplinam, odit animam suam* (*Prov.* 25). In omni actu tuo, vitam tuam *disciplina* comitetur. (*Hom.* 1 *de bono discipl. n.* 1, 2, 4 *et* 8. *P. L.* 52, 691).

Digitized by Google

B. Alanus de Rupis, († 1475): *Disciplina* est filia justitiae, soror religionis, amica poenitentiae, domina humilitatis, ducissa fortitudinis, magistra castitatis, fabricatrix devotionis, sponsa Sanctorum, nutrix bonorum, medica omnium (*P.* 5. *c.* 49).

Petrus Blesens.: *Disciplinae austeritas*, sola est clavis innocentiae, religionis anchora; custodia cordis et peremptoria prorsus appetitus illiciti (*In invectivâ contra Depravat. P. L.* 207, 1119).

Hugo a S. Charo, Card.: Tenenda est *disciplina* tanquam *via regia*, quae ducit ad Civitatem Dei (*Sup. Prov. c.* 4. *v.* 13). — *Disciplina* mores informat et vitia destruit (*Ib. c.* 8. *v.* 10). — *Disciplina* in praesenti habet quidem amaritudinem, sed gaudium generat et exultationem mentis etiam in praesenti; in futuro, fructum aeternae remunerationis (*Sup. Ep. ad. Hebr. c.* 12 *v.* 11).

S. Bonaventura: Quando sapientis *disciplinâ* corrigeris, ornaris ornamento pulcherrimo; quando *disciplinam* contemnis, margaritam conculcas (*Serm.* 2 *in Hex*). — *Rigor disciplinae* est crux carnis, cujus quatuor sunt brachia: scilicet vigilia, abstinentia, asperitas vestium et disciplina verborum (*Sup. Luc. c.* 23). — Cum *disciplina* negligitur, insolentiae crescunt (*Ep. ad quemd. Provincial.*). — Religiosus extra *disciplinam* vivens, gravi patet ruinae (*In. Octo. collat.* 7). — *Disciplina* est malorum desideriorum carcer, frenum lasciviae, elationis jugum (*In speculo Disc. Part.* 1. *c.* 7). — *Disciplina* domat intemperantiam, levitatem ligat, inordinatos motus mentis suffocat. — Qui *disciplinam* in novae conversationis initio negligit, ad eam postmodum difficile applicatur, et formam, quam quis recipit, vix deponit (*In speculo Disc. Part.* 1. *c.* 7).

Disciplina monastica est sequela Christi et conversio morum.

Joan. Trithemius: *Ad perfectionem purissimae conversationis monasticae* a Domino *vocatus* es, et tu ut jumentum in stercore vanitatis et negligentiae computrescis. *Ad observantiam mandatorum* Dei vocatus es, et tu voluptatibus carnis deditus, nihil minus, quam Christum, cogitas. *Ad amandum Dominum Jesum* super omnia invitatus es; et tu

Digitized by Google

ambulas post desideria cordis tui mala, ingratum te exhibens Redemptori tuo. Qui *spiritu vivere* debueras, terrena sapis; et omnia spiritualis conversationis sancta exercitia, submersus in superbiâ, contemnis. Et quid *in illa die judicii* responsurus es Judici, qui ingratissimo tibi dicturus est: Ego, qui Dominus sum universorum, propter te humiliavi memetipsum, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo, sanguinem pro te Meum effudi, pro te verbera sustinui, et mortem pro te nimis amaram spontaneâ voluntate subivi. Ego te, o monache, in toto corde Meo dilexi, Ego te in sanguine Meo de morte perpetuâ redemi; Ego te, si mandata custodivisses Mea, ad coeleste regnum ex amore vocavi. Tu autem praeceptis Meis vixisti contrarius, et, quod gravius est, in verba mea juratus cum esses, apostatam et impium te traditorem contra Me, Dominum tuum, exhibere non timuisti. Nunc igitur da rationem villicationis tuae. Quid tunc reponsurus es, o monache piger et deses, qui tempus nunc acceptabile tam infructuose consumis, et *vivere in verâ puritate monasticâ secundum Regulam* contemnis? Quid, inquam, respondebis? — *Crucifigentes pro Christi nomine carnem* in hoc mundo, SS. Confessores et voluntarium et diurnum *martyrium* pertulerunt, qui per abstinentiam et humilitatem gloriosi facti sunt, animo constantes ac patientissimi semper existentes, et ad martyrium corporaliter suscipiendum paratissimi. *Quorum vos, o monachi, pro viribus imitatores* esse curate; quoniam hostes, qui corpus interimant pro Christo, jam desunt, concupiscentiis carnis reluctantes, et adversa patienter pro Dei amore sustinentes, vos *martyres mente et spiritu* exhibeatis. Martyrii genus in pace Sanctorum est optimum, carnem pro Dei nomine per abstinentiam affligere, nihil in hoc mundo concupiscere, in operibus bonis semper proficere, et si quid acciderit mali, cum hilaritate mentis gratanter ac patienter in omnibus tolerare. Ad hanc normam patientiae, fratres carissimi, deinceps vivite, si cum Christo in aeternum cupitis regnare. (*Homil.* 18 *de patient. et mansuet.*).

SS. Confessorum exemplum et martyrium.

Digitized by Google

Necessitas jejunii.

Joan. Cassianus : Oportet nos primum libertatem nostram carnis subjectione monstrare : « *A quo enim quis vincitur, ejus et servus est* » (2. *Petri* 2). Impossibile namque est, *saturum ventrem* pugnas interioris hominis experiri; nec bellis robustioribus attentari dignum est eum, qui potest dejici leviori conflictu (*Instit. Coenob. l.* 5. *c.* 13. *P. L.* 49, 228). — Primum ineundum certamen est adversus *gastrimargiam* seu *gulae concupiscentiam* (*L.* 5. *c.* 3. *ibid.* 205). — Summâ cautione servatur, ne *extra mensam* quidquam cibi penitus ori suo quisquam indulgere praesumat; ut *incedentibus per hortos et pomaria*, cum passim blandeque per arbores poma pendentia non solum objiciant se pectoribus transeuntium, verum etiam strata per terram conculcanda pedibus offerant, atque ad colligendum parata facile ad consensum concupiscentiae illicere valeant intuentes, et opportunitate vel copiâ quamvis districtos atque abstinentissimos ad sui desiderium provocare, sacrilegum ducatur non modo quidquam ex his degustare, verum etiam manu contingere absque eo, quod palam cunctis in commune reficientibus exhibetur (*L.* 4. *c.* 18. *ibid.* 177).

Nihil extra communem refectionem sumendum.

Regula S. Pachomii : Nullus *uvas* aut *spicas* adhuc immaturas comedere audeat praeter ordinem disciplinae, et omnino de omnibus, quae in agro sunt vel in pomario, *nemo comedat separatim* (*n.* 75. *P. L.* 23, 73). — Qui super *arbores pomarias* et super *vineas* sunt, non comedent de fructibus earum, nisi fratres prius comederint. Praepositus colligentium (*palmarum fructus*) dabit in eodem loco singulis ad vescendum modica; et cum ad Monasterium venerint, inter ceteros fratres partes suas accipient. *Si* autem *invenerint sub arboribus poma* cecidisse comedere non audebunt, sed inventa in transitu *juxta radices arborum collocabunt* (*n.* 79 *ibid.*).

Abstinentiae virtus.

S. Thomas Aquin. : *Abstinentia* est virtus secundum quod est ratione regulata (*II. II. quaest.* 146, *art.* 1).

S. Augustinus : Quisquis meminit illicita se commisisse, studeat a licitis *abstinere;* et qui prohibita commisit,

Digitized by Google

sibimet abscindat concessa (*De spir. et anima c.* 57. *in append. P. L.* 40, 822). — Cum *anima ab esu et potu* fuerit *liberata*, tunc se melius recognoscit. Sicut enim in speculo sordido non se talem homo aspicit, qualis est, ita et, si *escâ et crapulâ* fuerit *gravatus*, alterum se sentit, quam est; tunc excitatur libido, accenditur ira, inflammatur superbia, generatur luxuria (*De quaest. veteris et novi Testamenti, quaest.* 120. *in append. P. L.* 35, 2367).

S. Gregorius M. : *Abstinentes* quasi *cum serpente pugnant*, quando gulae appetitum magnâ virtute deprimunt, ut *veneno luxuriae* non inficiantur (*Lib.* 5. *in libr. Regum. c.* 1. *n.* 2. *P. L.* 79, 314). — *Abstinentia ciborum contra vitium fortissima* est. Si enim ignis libido est, subtrahis igni materiam, cum cibos subtrahis et *vinum* praesertim, in quo, ut est apud Apostolum, luxuria est (*Lib.* 5. *in Reg. c.* 4. *n.* 64. *ibid.* 397).

S. Leo I : *Utilis* est *abstinentia*, quae parco assueta victui deliciarum cohibet appetitum (*Serm.* 42. *n.* 4. *P. L.* 54, 278). — De abstinentiâ *prodeunt castae cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia* (*Serm.* 13. *ibid.* 172).

S. Isidorus Hispal. : Corpus, quod *abstinentia* frangit, tentatio non exurit... Nemo facile poterit a semetipso *spiritus immundos expellere*, nisi per abstinentiam gulae (*L.* 2. *c.* 42. *n.* 7 *et* 11. *ibid.* 648).

S. Ambrosius : Cibus parcimoniae, potus abstinentiae *docet vitia nescire*, quia docet causas nescire vitiorum (*Lib. I. de virginibus* 8. *n.* 53. *P. L.* 16, 203).

Quadragesimae observantia.

S. Gregorius : Dum per trecentos et sexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem *per triginta et sex dies* (in Quadragesima) affligimur, *quasi anni nostri decimas Deo damus*, ut qui nobis metipsis per acceptum annum viximus, auctori nostro nos in ejus decimis, per abstinentiam mortificemus (*Hom.* 16. *sup. Evang. n.* 5. *P. L.* 76, 1137).

S. Hieronymus : *Moyses quadraginta diebus* et noctibus jejunus in monte Sina... cum Domino loquitur : *populus* autem *satur* idola fabricatur. *Ille* vacuo ventre legem accipit

Digitized by Google

scriptam digito Dei, *iste* manducans et bibens consurgensque ludere, aurum conflat in vitulum (*In Jovin. l. 2. n. 15. P. L. 23, 306*).

S. Ambrosius : Quando *caro tabescit jejuniis, anima puritate pinguescit.* Quantum enim illi ciborum succus subtrahitur, tantum huic justitiae virtus augetur (*Serm. 21. n. 2 in append. P. L. 17, 644*). — Quisquis Christianus consecratam jejunando non impleverit *Quadragesimam*, praevaricationis et contumaciae reus tenebitur. Ille facit *Quadragesimam*, qui jejunando et vigilando ascendit ad Pascha; nam sicut reliquo anno jejunare praemium est, ita in *Quadragesimâ* non jejunare peccatum est (*Serm. 23. n. 2 et 3 in app. ibid. 649*). — Gula de paradiso regnantem expulit, abstinentem ad paradisum revocavit errantem (*Lib. de Elia. et jejun. c. 4. n. 7. P. L. 14, 700*). — *Jejunium* refectio animae et cibus mentis est, vita Angelorum, culpae mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiae, fundamentum est castitatis (*C. 3. n. 4. ibid. 699*). — Jejunium est continentiae magisterium, pudicitiae disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animae, miserationis expensa, lenitatis institutio, caritatis illecebra, senilis gratia, custodia juventutis (*C. 8. n. 22. ibid. 704*).

Jejunii ratio, utilitas et laus.

S. Basilius M. : *Jejunium* prophetas generat, roborat fortes... *Jejunium* bona animae custodia, corpori tutus contubernalis, armatura fortiter belligerantibus, athletis exercitium. Hoc tentationes depellit, hoc ungit ad pietatem, sobrietatis domesticus comes, opifex castitatis. In bellis fortiter agit, in pace docet quietem. *Nazareum sanctificat, perficit sacerdotem.* Neque enim fieri potest, ut absque jejunio audeat ad sanctum mysterium accedere... Atque ut semel omnia dicam, reperies quotquot fuere sancti, omnes per *jejunium* ad vitam Deo dignam institutos fuisse (*Hom. 1 de Jejunio. n. 6. P. Gr. 31, 171*).

S. Cyrillus Alex. : *Jejunium* est simulacrum angelicae vitae, temperantiae fons, continentiae *principium*, lasciviae ac libidinis abolitio. — *Jejunium* velut omnis boni ac

Digitized by Google

lactitiae parentem amplectamur (*Hom.* 1. *Paschal. n.* 4 *et* 5. *P. Gr.* 77, 414).

S. Leo I : Quid potest esse *jejunio* efficacius, cujus observantiâ appropinquamus Deo et, resistentes diabolo, vitia blanda superamus? (*Serm.* 13. *P. L.* 54, 172). — In omni tempore jejunia nos faciunt contra peccata fortiores; *jejunia* concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant et omnes bonae voluntatis effectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt (*Serm.* 15. *n.* 2. *ibid.* 175).

S. Basilius : *Temperantia* tollit peccata, turbulentos motus amandat, mortificat corpus ad ipsas etiam usque naturales affectiones ac cupiditates, initium est spiritualis vitae, conciliat aeterna bona, stimulum voluptatis in seipsâ exstinguit. — Ut obesitas et bonus color athletam *notat;* ita *corporis macies et pallor, qui ex continentiâ emergit,* indicio est, *Christianum* vere *athletam* esse praeceptorum Christi; qui inimicum suum in corporis infirmitate vincat, viresque suas in pietatis certaminibus ostendat, convenienter verbis illis : « *Cum infirmor tunc potens sum.* » Quantum ex eo lucri est, si solum *continentem* videamus, *vix et parce rebus necessariis utentem*, et veluti onerosum naturae ministerium persolventem, tempusque, quo iis immoratur, aegro animo ferentem, et cito a mensâ ad opera peragenda surgentem (*Regul. fusius tractatae interrogatio* 17. *n.* 2. *P. Gr.* 31, 963).

S. Nilus, *Abb. Mart.: Jejuni mens* ut *stella* sereno coelo fulget, saturi vero tenebris oppressa jacet obscura (*De octo spirit. c.* 1. *P. Gr.* 79, 1145).

S. Athanasius, Magn.: *Jejunium* morbos sanat, distillationes exsiccat, daemones fugat malasque cogitationes expellit, et mentem nitidiorem reddit et cor purgatius et corpus salubrius (*De virgin. n.* 7. *inter dub.. P. Gr.* 28, 259).

S. Hieronymus : Quam pulchra res *jejunium*, quod placat Deum et daemones terret! (*L.* 2. *adv. Jov. n.* 15. *P. L.* 23, 308).

S. Augustinus : Necessaria sunt nobis *jejunia*, sicut

Digitized by Google

vulneribus *medicina* (*De quaest. vet. et novi Testam. n.* 120. *in append. P. L.* 35, 2364).

(S. Augustinus) : Sicut *equis frena* sunt imponenda, ita corpora nostra *jejuniis* sunt infrenanda (*De salutarib. docum. c.* 35. *in append. P. L.* 40, 1059). — *Jejunandum* est, ut et *caro* impleat de castigatione militiam, et *anima* impetret de humilitate victoriam (*Sermo* 210. *c.* 2. *n.* 3. *P. L.* 38, 1049). — *Jejunium* purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contribulatum et humiliatum, concupiscentiae nebulas dispergit, libidinum ardores exstinguit, castitatis verum lumen accendit, verbositatem non amat, divitias superfluitatem judicat, superbiam spernit, humilitatem commendat, praestat homini se ipsum intelligere (*Serm.* 73. *n.* 1 *in app. P. L.* 39, 1887). — Per *jejunium* prosternuntur vitia, augmentantur virtutes, humiliatur caro, diabolicae devincuntur virtutes (*Serm.* 23. *ad. Fratr. in eremo in append. P. L.* 40, 1273).

S. Petrus Chrysol. : Est *jejunium* vitiorum mors, vita virtutum, pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitae, robur mentium, vigor animarum, castitatis murus, pudicitiae propugnaculum, civitas sanctitatis, schola meritorum, magisterii magisterium, disciplinarum disciplina, ecclesiasticae viae viaticum salutare, invictus christianae militiae principatus (*Serm.* 8. *P. L.* 52, 209). — *Jejunium* scimus esse Dei arcem, Christi castra, murum spiritûs, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophaeum (*Serm.* 12. *ibid.* 225).—*Jejunium* est singulare sanctitatis aratrum ; colit corda, eradicat crimina, avellit delicta, vitia subruit, caritatem serit, copiam nutrit, parat innocentiae messem (*Serm.* 31. *ibid.* 288).

In Vita Patrum : *Jejunium frenum* est monacho adversus peccatum; qui autem abjicit jejunium, velut equus fervens, desiderio concupiscentiae capitur (*L.* 5. *libell.* 4. *de continent. n.* 46. *P. L.* 73, 870).

S. Ephrem : *Jejunium* est vehiculum ad coelum ; *jejunium* Prophetas suscitat, legislatores sapientiam docet.

Digitized by Google

Jejunium bonae animae custodia (*De jejunio. serm.* 8. *tom. III. p.* 22).

S. Joan. Chrysost. : Nihil potentius homine probe orante, *qui orat cum jejunio*, quum *duplices alas habet* et neque oberrat neque torpet. (*Hom.* 58. *in Matth. n.* 4. *P. Gr.* 37, 563). — Nihil sic salutem, nihil sic acumen operatur sensuum, nihil sic aegritudinem fugat, sicut *moderata refectio* (*Hom.* 29. *in Epist. ad Hebr. n.* 4. *P. Gr.* 63, 208). — Mater omnium bonorum et prudentiae aliarumque virtutum omnium magistra est *jejunium* (*Hom.* 1. *sup. Gen. n.* 1. *P. Gr.* 53, 22). — *Jejunium* est animarum tranquillitas, senum decor, adolescentum paedagogus, continentium magister, quod omnem aetatem et sexum quasi diademate quodam exornat (*Hom.* 2. *n.* 1. *ibid.* 27). — *Jejunium* corpus comprimit et lascivias inordinatas refrenat; animam autem clariorem efficit et sublimem et levem facit (*Hom.* 10. *n.* 2. *ibid.* 83). — *Jejunium* bene sensatae animae festum est (*Serm.* 1. *in Gener. n.* 1. *P. Gr.* 54, 581).

S. Joannes Clim. : *Jejunium* est naturae violentia, circumcisio suavitatis faucium, incentivorum omnium abscissio, malarum cogitationum amputatio, insomniorum liberatio, orationis munditia, insigne lumen animae, mentis custodia, obcaecationis solutio, compunctionis janua, suspirium humile, laeta contritio, loquacitatis abdicatio, quietis occasio, obedientiae custos, somni leviatio, sanitas corporis, tranquillitatis auctor, peccatorum remissio, paradisi porta (*Scala parad. grad.* 14. *P. Gr.* 88, 870).

S. Laurentius Justin. : *Jejunium* est sanitas corporis, valetudo membrorum, mors culpae, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiae, fundamentum castitatis, vitae diuturnitas (*De ligno vitae tract.* 11. *c.* 2).

S. Thomas Aquin. : *Tres causae jejunii*, et affligendi corporis : *Prima*, ad concupiscentias carnis reprimendas;... *secunda*, ad hoc, ut mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda;... *tertia*, ad satisfaciendum pro peccatis (*II. II. quaest.* 147. *art.* 1).

Digitized by Google

S. Petrus Dam.: *Ama jejunium*, ut, dum inediâ corpus atteritur, anima coelestis gratiae pinguedine saginetur (*L.* 2. *ep.* 11. *P. L.* 144, 277).

Joannes Trithem. : *Amare jejunium* libertatis est; jejunare et non diligere, servitutis (*In cap.* 4. *Reg. S. Bened. instrum.* 10)

S. Bonaventura : *Jejunium* est vita Angelorum, culpae mors, excidium delictorum, remedium salutis. — Per *jejunium* obtinetur perfecta custodia sanctitatis, impetratur perfecta intelligentia veritatis, acquiritur constantia virtutis. — *Jejunium* est reconciliationis sacrificium et virtutis incrementum (*In apolog. pauper. Resp.* 2. *c.* 3).

S. Bernardus : *Abstinentia* carnem superat, carnem refrenat, frangit motum libidinis, dissolvit virtutem fornicationis... *Abstinentia* vivificat et occidit : vivificat animam et occidit corpus; aedificat in animâ virtutes et destruit vitia corporis... Corpus, quod *abstinentia* frangit, ignis luxuriae non exurit (*L. de modo bene viv. c.* 24. *n.* 70 *et* 71. *in app. P. L.* 184, 1243).

Joan. Cassianus : Monachus ad pugnas interiorum certaminum cupiens pervenire, hanc imprimis cautionem sibimet indicat, ut *non potus* quidquam, non *esus* ullâ oblectatione devictus, ante stationem legitimam communemque refectionis horam, *extra mensam* percipere sibimet prorsus indulgeat; sed ne, refectione quidem transactâ, ex his praesumere sibi quantulumque permittat. — *Triplex* enim *natura est gastrimargiae; una*, quae canonicam refectionis horam praevenire compellit; *alia*, quae tantummodo ventris ingluvie et saturitate quarumlibet gaudet escarum; *tertia*, quae accuratioribus epulis et esculentioribus oblectatur. Ideoque adversus eam necesse est monachum *observantiam triplicem custodire*, i. e. ut primum *legitimum tempus* absolutionis exspectet, deinde ut *saturitati non cedat;* tertio ut qualibuscunque *escis vilioribus contentus* sit (*De Coenobior. inst. l.* 5, *c.* 20 *et* 23. *P. L.* 49, 236).

Triplex abstinentiae observantia.

S. Augustinus : Illi, qui sic *se a carnibus temperant*, ut alias escas et difficilioris praeparationis et pretii majoris

Falsa abstinentia.

Digitized by Google

inquirant, multum errant, non enim est hoc suscipere abstinentiam, sed mutare luxuriam (*Serm.* 209. *n.* 3. *P. L.* 38, 1047).

Gula et edacitas.

Trithemius : Monasticam vitam abstinentia conservat, quam *gula* et *edacitas* omnino destruit (*In Prolog. ad Reg. S. Bened.*).

S. Basilius M. : *Quod facilius paratur* prorsus *anteponendum* est, ut ne continentiae praetextu cariora ac sumptuosiora anxie inquiramus, et *magni pretii condimentis* edulia apparemus. Sed quod in unâquaque regione nullo negotio haberi potest, et vile est et quo vulgus facile utitur, deligamus, ita ut ex quaesitis alimentis utamur iis solis, *quae ad vitam sunt maxime necessaria* (*Reg. fus. n.* 2. *P. Gr.* 31, 970).

Isidorus, Hispal. : *Carnium epulae* carnis luxuriam gignunt (*De offic. eccles. l.* 1. *c.* 45. *n.* 2. *P. L.* 83, 778).

S. Bernardus : *Abstinebo a carnibus*, ne, dum nimis nutriunt carnem, simul et carnis nutrîant vitia (*Serm.* 66 *in Cant. n.* 6 *P. L.* 183. 1097).

S. Leander, Monach. et Episc. Hispal. (✠ 591) : Dura est conditio, *nutrire contra quem dimices*, et carnem propriam sic alere, ut sentias contumacem (*In reg. suâ. c.* 15. *P. L.* 72, 889).

Origenes, presbyter Alexandrin. (✠ 253) : Quomodo quis se ipsum castrat propter regnum coelorum, nisi *abstinentiâ* utatur ministrâ? (*Hom. l.* 10 *in Levit. n.* 2. *P. Gr.* 12,528).

Quinque gulae vitia.

S. Gregorius M. : *Quinque nos modis gulae vitium tentat.* Aliquando namque indigentiae *tempora praevenit.* Aliquando vero tempus non praevenit, sed *cibos lautiores* quaerit. Aliquando quaelibet, quae sumenda sint, *praeparari accuratius* expetit. Aliquando autem et qualitati ciborum et tempori congruit, sed in ipsâ *quantitate* sumendi mensuram moderatae refectionis excedit. Nonnunquam vero et abjectius est, quod desiderat; et tamen ipso *aestu immensi desiderii* deterius peccat. Mortis quippe sententiam patris ore *Jonathas* meruit, quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit. Et ex Aegypto *populus eductus in eremo*

Digitized by Google

occubuit, quia, despecto mannâ, cibos carnium petiit, quos lautiores putavit. Et prima *filiorum Heli culpa* suborta est, quod ex eorum voto sacerdotis puer non antiquo more coctas vellet de sacrificiis carnes accipere, sed crudas quaereret, quas accuratius haberet. Et cum ad *Jerusalem* dicitur: « *Haec fuit iniquitas Sodomae, sororis tuae, superbia, saturitas, panis et abundantia;* » aperte ostenditur, quod idcirco salutem perdidit, quia cum superbiae vitio mensuram moderatae refectionis excessit. Et primogenitorum gloriam *Esau* amisit, quia magno aestu desiderii vilem cibum, scilicet lenticulum, concupivit, quam, dum venditis etiam primogenitis praetulit, quo in illam appetitu anhelaret, indicavit. *Neque* enim *cibus sed appetitus in vitio est;* unde lautiores cibos plerumque sine culpâ sumimus, et abjectiores non sine reatu conscientiae degustamus. Hic quippe, quem diximus, *Esau* primatum per lenticulum perdidit, et *Elias* in eremo virtutem spiritus carnes edendo servavit. Unde et *antiquus hostis*, quia non cibum, sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit: et primum sibi hominem non carne, sed *pomo* subdidit, et secundum non carne, sed *pane* tentavit (*Moral. l.* 30. *c.* 18. *n.* 60. *P. L.* 76, 556).

Triplex gulae proles.

S. Thomas Aquin. : Illa vitia inter filias gulae computantur, quae ex immoderatâ delectatione cibi et potûs consequuntur. Quae quidem possunt accipi vel ex parte animâe vel ex parte corporis. Primo quidem quantum ad rationem, cujus acies hebetatur ex immoderatione cibi et potus. Et quantum ad hoc ponitur filia gulae *hebetudo sensus circa intelligentiam*, propter famositates ciborum perturbantes caput. Sicut e contrario abstinentia confert ad sapientiae perceptionem.... Secundo quantum ad appetitum, qui multipliciter deordinatur per immoderantiam cibi et potûs, quasi sopito tabernaculo rationis. Et quantum ad hoc ponitur *inepta laetitia*.... Tertio quantum ad inordinatum verbum: et sic ponitur *multiloquium* (*II. II q.* 148. *art.* 6).

S. Hieronymus : Esus *carnium* et potus *vini*, ventrisque *saturitas* seminarium libidinis est (*Adversus Jovinian. l.* 2. *n.* 7. *P. L.* 23, 297).

Digitized by Google

Sobrietas in victu.

S. Joan. Climacus *in mensâ nihil rejiciebat*, quod a religiosae vitae instituto legibusque non abhorrebat, sed cibum ita *modice sobrieque* sumpsit, ut gustare potius, quam edere videretur. Atque ita, fracto cornu superbiae, per sobrietatem quidem, sed parcitate prandii et coenae, dominam voluptatem multis exitiosam elisit (*Vita ejusd. P. Gr.* 88, 599).

S. Ambrosius : *Cibus mortem arceat*, non delicias ministret (*De virgin. l.* 2 *c.* 2. *n.* 8. *P. L.* 16, 209).

S. Antoninus, Archiep. Florentin. O. Pr (✠ 1459): *Sicut sumitur medicina* non ad delectationem, sed *propter necessitatem*, scilicet ad praeservandum corpus a morte, *et cum timore* sumitur, ne laedat; ita cibus debet sumi ad sustentandum corpus, ne deficiat, et cum timore ne offendat ex nimiâ complacentiâ (*Part.* 2. *tit.* 6 *de gulâ*). — Nihil est, quod sic sensum obstruat et phantasiam deordinet, sicut *cibi superfluitas* (*Part.* 4. *tit.* 4).

Nihil superflui sed necessarium.

S. Joan. Chrysostomus : *Cibus*, non deliciae, corpori *necessarius* est (*Serm.* 5 *ad Eph. n.* 3 *P. Gr.* 62, 42). — Nihil profecto aliud est ciborum *superflua cura*, quam exaggeratio stercoris (*Hom.* 13 *sup. I ad Timoth. n.* 4 *ibid.* 569). *Sufficiens modus* et voluptas est et alimentum et sanitas; plus autem pernicies est et fastidium et aegritudo (*Hom.* 29 *in ep. ad Hebr. n.* 4. *P. Gr.* 63, 208).

S. Isidorus Hispal. : Escis libido crescit; ciborum *saturitas* carnis luxuriam suscitat; *edacitatis* vitio crescit carnis tentatio (*Synonym. l.* 2. *n.* 14 *P. L.* 83, 848). — Non ad luxuriam vel ad satietatem, sed tantummodo, ut corpus sustentetur, epulis est utendum. Libidinis ignes ciborum fomentis increscunt (*Sentent. l.* 2. *c.* 42. *sent.* 5 *et.* 7. *ibid.* 648).

S. Leo I : Quotidiano experimento probatur, *satietate* carnis aciem mentis obtundi et ciborum *nimietate* vigorem cordis hebetari (*Serm.* 19. *c.* 1 *P. L.* 54, 186). — *Nimietas* edaces dedecorat, non cibi natura contaminat (*Serm.* 42 *c.* 4 *ibid* 279).

Simplicitas in victu.

S. Nilus, Erem. (✠ *c.* 450): Cibis utere *non dulcibus*, sed salutaribus (*Capita paraen. n.* 18 *P. Gr.* 79, 1251). — *Ciborum*

Digitized by Google

varietas evertit ac diruit virtutum propugnaculum. *Suavitas* enim condimentorum, tanquam machina bellica prosternit munimenta, jam a virtute constructa, et firmum ac solidum robur ipsius affigit humi (*Tract. de monast. excercit. c.* 58 *et* 59 *ibid.* 791). — Comede, *quantum opus* est neque enim moderatus cibus prohibetur. Comede igitur cum gratiarum actione, *non* autem *devora* (*ap. Joan. Dam. Parall. l.* 3 *c.* 13 *P. Gr.* 95, 1339).

Temperantiae fructus.

Julianus Pomerius, presb. Arelat. (*c.* 498) : *Temperantia* temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum. Haec virtus, si in animo habitat, libidines frenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat; cogitationes pravas removet, inserit sanctas; ignem libidinosae voluptatis exstinguit, animi teporem desiderio futurae retributionis accendit, mentem placidâ tranquillitate componit, et virtutem semper ab omni vitiorum tempestate defendit (*De vitâ cont. l.* 3 *c.* 19 *n.* 1 *P. L.* 59, 502). — Quidquid, sine quo potest vivi, percipitur, non sustentandae vitae, sed movendae luxuriae carnis impenditur (*L.* 2 *c.* 17 *n.* 1. *ibid.* 462).

Sobrietas castitatem servat.

S. Thomas Aquin. : Quanto caro magis fovetur per *ciborum affluentiam*, et *deliciarum mollitiem*, tanto hujusmodi concupiscentia crescit (*Opusc.* 2 *de perf. vit. spirit. c.* 9). — Cibus et potus *superfluus* est causa luxuriae (*Sup. ep. ad Eph. c.* 5. *lect.* 7).

S. Bonaventura : *Castitas est sobrietatis filia.* Qui ergo castus esse desiderat, studeat sobrietati, quia sine eâ non diu castitas est secura; et cum proficiente proficit, et cum decrescente decrescit (*De perfect. Relig. l.* 2. *c.* 52).

Hugo de Folieto : *Affluentiam ciborum* comitari solet inundatio *verborum.* (*De claustro animae l.* 2. *c.* 20 *P. L.* 176, 1073).

S. Gregorius M. : De *ventris ingluvie* inepta laetitia, immunditia, multiloquium propagantur. (*Moral. l.* 31. *c.* 45. *n.* 88. *P. L.* 76, 621). — Nullus palmam *spiritualis certaminis*

Digitized by Google

apprehendit, qui non in semetipso prius, per afflictam ventris concupiscentiam, carnis incentiva devicerit (*Moral l.* 30. *c.* 18. *n.* 58. *ibid.* 555).

Contra gulam pugnandum.

S. Augustinus: *Certo quotidie* adversus concupiscentiam manducandi et bibendi. Freni gutturis temperatâ relaxatione et restrictione tenendi sunt. Et quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est; magnificet nomen Tuum. Ego autem non sum, quia peccator homo sum (*Conf. l.* 10. *c.* 31. *n.* 47. *P. L.* 32, 799). — Fieri potest, ut *sapiens* pretiosissimo cibo sine vitio cupediae et voracitatis; *insipiens* autem foedissimâ gulae flammâ in vilissimum ardescat. Sanus quisque maluerit *more Domini pisce* vesci, quam *lenticulâ more Esau* nepotis Abraham (*De doctr. Christ. l.* 3. *c.* 12. *n.* 19 *P. L.* 34, 73).

S. Basilius: Gulae vitium non in escarum copiâ vim suam exercere solet, sed in voluptate atque gustu, licet modicis admodum utare. (*Serm. ascet. renuntiat. n.* 6. *P. Gr.* 31, 639).

S. Bernardus: Nullus hominum tam *improbus exactor* est, quam *venter*, qui quotidianâ famis exactione te urget. Cum ceteris vitiis etsi interdum nascimur, interdum tamen cum eis non morimur; sed *cum isto nascimur et cum isto morimur.* Multis creditoribus reliquit me obnoxium pater meus, sed ab omnibus liberatus sum; unus tamen superest, a quo liberari non possum, i. e. venter. *Venter* praecepta non audit; poscit, appellat (*Tract. de interiori domo c.* 26 *n.* 54 *in app. P. L.* 184, 535).

Edacitatis vitium.

Smaragdus, Abb. S. Michael. in Dioec. Vird. († 826): Quanto magis *corpus edax* pinguescit, tanto anima a virtutibus jejunans languescit. *Edacitas* parit pigredinem, *pigredo* immittit soporem, *sopor* negligentiam, *negligentia* vero generat maledictionem, sicut scriptum est: «*Maledictus omnis, qui facit opus Dei negligenter.*» Edacitas nimia generat *crapulam*, crapula parit *somnolentiam*; somnolentus non amat vigilias nec cantat tempore congruo Psalmodiam; tardus est ad orationem, fastidiosus in lectione, durus ad Domini verbum intelligendum (*In c.* 4. *S. Reg. n.* 36 *P. L.* 102, 772).

Digitized by Google

Caro et spiritus.

S. Cyrillus Alexandrin. Ep. (✝ 444) : *Cibis caro saginata* et lasciviens, difficilem se ac morosam praebet, desideriis spiritus refractoria obluctatur; *imbecilla* vero, nec nimiâ copiâ rerum adjuta victoriam illi necessario concedit (*Hom.* 1 *de festis Paschal. n.* 3. *P. Gr.* 77, 411).

Salus, non jucunditas quaerenda.

S. Augustinus : Cum *salus* sit causa edendi et bibendi, adjungit se tamquam pedissequa, periculosa *jucunditas*, et plerumque praeire conatur, ut ejus causâ fiat, quod salutis causâ me facere vel dico vel volo. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est, et saepe incertum est, utrum adhuc *necessaria corporis cura* subsidium petat, an *voluptaria cupiditatis fallacia* ministerium suppetat. (*L.* 10. *Conf. c.* 31 *n.* 44. *P. L.* 32, 797).

S. Bernardus : Christianus homo *comedit, ut vivat*, non vivit, ut comedat (*L. de Pass. Dom. c.* 42. *n.* 139. *in app. P. L.* 184, 719). — Si carnem tuam plus, quam oportet, reficias, *inimicum tuum nutris* (*L. de modo bene vivend. c.* 24. *n.* 72. *in app. ibid.* 1244).

S. Isaias, Abb. Syrus (IV saec.) : Ad id, quod tibi appositum fuerit, sic manum extendito, *tamquam edere coactus sis* (*Orat.* 3. *n.* 1. *P. Gr.* 40, 1109). — Si quid in mensa fuerit, a quo fratrum aliquis abhorreat, ne dicat, eo se vesci non posse, sed ad mortem usque sibi ipsi vim afferat et Deus illum consolabitur (*Orat.* 5. *n.* 1. *ibid.* 1121).

Crapula et ebrietas vitanda.

S. Bernardus : *Abstineo a vino*, quia in vino luxuria est; aut si infirmus sum, modico utor, juxta consilium Pauli. *Abstineo a carnalibus*, ne, dum nimium nutriunt carnem, simul et carnis nutriant vitia. *Panem ipsum cum mensurâ* studeo sumere, ne onerato ventre stare ad orandum taedeat; et ne improperet mihi propheta, quia panem meum comederim cum saturitate. Sed *nec simplici aquâ ingurgitare* me assuescam, ne distentio sane ventris usque ad titillationem pertingat libidinis (*In Cant. serm.* 66. *n.* 6. *P. L.* 183, 1097). — *Cibus indigestus* corrumpit corpus et non nutrit (36 *sup. Cant. serm. n.* 4. *ibid.* 969). Non potes bibere simul calicem Christi et calicem daemoniorum; *calix daemoniorum*

Digitized by Google

crapula et ebrietas est, calix Christi abstinentia et sobrietas (*Ep.* 2. *n.* 10. *P. L.* 182, 85). — Per cibum et potum crescit luxuria... Ubi *venter* est *cibis repletus*, ibi est *ignis luxuriae* succensus (*L. de modo bene viv. c.* 24. *n.* 72 *et* 71. *in app. P. L.* 184, 1244).

S. Paulinus, Ep. Nolan. (✠ 431) : *Efficiamur esca Dei*, ne simus esca serpentis; edat nos Christus, ne diabolus voret. *Cibus Christi* esse non possumus, nisi faciamus voluntatem Ejus, ut vicissim *et Ipse nobis cibus* fiat (*Ep.* 23. *n.* 16. *P. L.* 61, 268).

Guilelmus, Abb. S. Theodor. : Sobrium cibum sobriumque sensum sequitur sobrius somnus (*Ep. ad fratres de Monte Dei. c.* 11. *n.* 34. *P. L.* 184, 330).

Lectio ad mensam.

S. Augustinus : Si sola *caro* reficitur, et *anima* Dei verbo non pascitur, ancilla satiatur, et *domina* fame torquetur (*Serm.* 141. *n.* 5. *in app. P. L.* 39, 2022). — Cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis *secundum consuetudinem legitur*, sine tumultu et contentionibus audite; nec solae vobis *fauces sumant cibum*, sed et *aures percipiant Dei verbum* (*Ep.* 211. *n.* 8 *P. L.* 33, 960).

S. Gregorius : *Panis alimentum corporis* est, *verbum mentis;* qui corpus sine mente reficiunt, mente mortui sunt (*In* 1 *Reg. l.* 4. *c.* 4. *n.* 47. *l. P. L.* 79, 266). — Gula per abstinentiam frangitur, sed abstinentiam ciborum corporalium habere non potest, qui mentem *spiritualibus cibis* non replet (*In* 1 *Reg. l.* 5. *c.* 4. *n.* 9. *ibid.* 364).

Regula SS. Pauli et Stephani (Saec. VI): Reficientes cum gratiarum actione et timore Dei *lectiones audiamus*. Non cum contentione et murmuratione et indignatione et clamosis vocibus et strepitu pedum et sono vasorum donum Dei, sed cum caritate et quiete et dulcissimo disciplinae freno sumamus, metuentes *Israëlitarum exempla* carnalium, quibus manducantibus ad saturitatem Angelorum panem et coturnicum carnes usque ad nauseam, ore repleto, murmurantibus, ira Dei ad exterminandum dirigitur (*C.* 18. *P. L.* 66, 954).

Digitized by Google

Thomas a Kempis : Qui *inter refectionem bene et distincte legit*, convivantes in mensâ JESU poculo coelesti laetificat et inebriat sitientes (*Hortul. ros. c.* 17).

Guilelmus, Abb. S. Theodor. : Si manducas, mensam tuam, per se satis sobriam, sobrietas tua perornet. Et cum manducas, nequaquam totus manduces, sed, *corpore tuo suam refectionem procurante, mens suam non negligat* (*Ad fratres de Monte Dei, l.* I. *c.* II. *n.* 33. *P. L.* 184, 329).

Disciplina ad mensam.

S. Bonaventura : *In mensâ* non sint *oculi* tui gyrovagi, nec hinc inde conspicias, ita, quod nescias, quis sedet in latere tuo vel quid faciat vel quid coram se habeat. *Tibi soli intentus* sis, vel *Deo*, vel *lectioni*. Cum *disciplinâ*, *timore* et *silentio* comede, non cum impetu gulae quasi famelicus nec vagis oculis et inquieto corde circumspicias, quid sit in mensâ delicatius, nec ante quaeras satiare oculum, quam palatum, sed cum gratiarum actione sufficiat habere, quod potes. Et semper velis penuriam aliquam potius sustinere, quam plus abundare... *Paupertas Christi* familiaris amica placeat tibi in omnibus et ipsam cum summo conatu amplectere in mensis, cibis et potu... *Nunquam audiatur aliqua querimonia* de te pro aliquo defectu in cibo vel potu vel vestitu. Reputa te indignum esse de his, quae habes, quia inopia exterior crescit in augmentum gratiae interioris et in divitias conscientiae bonae (*Spec. p.* I. *c.* 31).

Ludovicus Blosius : *Monachus* diceris : *ad mensam* accedere debuisti, ut de donis Dei corpus reficeres, non ut voluptatem carnis foveres. — Porro vide, ne, dum *corpus* reficitur, *mens* jejuna maneat. Gustent interim fauces cordis tui verbum Dei et doctrinam salutarem factaque Sanctorum aures excipiant (*Spec. mon. c.* 7).

Disciplina capituli.

S. Dorotheus : Inter Proverbia dicitur : « *Quibus non est gubernatio, decidunt ut folia; salus autem est in multo consilio.* » Contemplamini sententiae vim, fratres. Contemplamini divinam Scripturam. Cavere nos admonet, ne nosmetipsos informemus, ne nos sciolos habeamus, ne

Digitized by Google

persuadeamur esse nos satis nobis ad regimen nostrum. Opus enim nobis est auxilio, praeter Deum opus coadjutoribus. Nihil est miserabilius, nil, quod citius expugnari queat, his, qui nullos duces, nullos auctores habent ad viam Dei. Ait enim: « *Quibus non est gubernatio, decidunt ut folia*»; folium a principio semper virens, semper germinans, semper delectabile est; non multo post arescit et languet, et cadens contemnitur et conculcatur. *Talis homo est, qui a nemine regitur.* A principio ferventissimus ad jejunia, ad vigilias, ad quietem, ad obedientiam et ad quaecumque cetera bona. Paulo post, exstincto eo fervore, si nullum habuerit sui gubernatorem aut fautorem, qui exstinctum ignem suscitet et accendat, desiccatur et cadit, ac demum destitutus, ab hostibus suis captivus trahitur, qui ut voluerint, in ipsum grassantur. De his autem, qui nihil praecipitant, nihil temere, sed omnia consulto faciunt, ait: « *Salus autem est in multo consilio.* » Nec vero dicitur: *in multo consilio*, ut quis quemcunque consultet, sed ut eum, cujus fidei se totum crediderit. Neque hoc ut taceat, illud loquitur, sed ut omnia exponat, de omnibus consultet; hujuscemodi enim salus profecto est in multo consilio. *Nec quidquam diabolus adeo abominabitur* et fugit, quam pandi et aperiri malitiam suam, nihil postmodum inventurus, quod ad insidias propinat. Sic enim sibi ipsi cavet anima, ex eo quod omnia occulta sua manifestat, ex eo quod dicto audit alteri sapientiori, qui se instruat, hoc ut faciat, illud ut fugiat; hoc bonum esse, illud item malum; hoc justitiam, illud appetitum. Non esse item tempus hujus rei nunc, alias esse tempus, nec invenit diabolus tunc, quomodo noceat, quomodo supplantet, cum ex omni parte gubernetur, cum undique tutus sit et cautus (*Doctr.* 5. *n.* 1 *et* 2. *P. Gr.* 88, 1675).

Qui a nemine regitur, siccum est folium.

Qui omnino gubernatur, securus est.

Culpae confessio et satisfactio.

Joan. Cassianus: Si quis... casu aliquo fregerit, non aliter negligentiam suam, quam *publicâ diluet poenitentiâ;* cunctisque in synaxi fratribus congregatis, tamdiu *prostratus in terram veniam postulabit*, donec orationum consummetur solemnitas, impetraturus eam, cum jussus fuerit Abbatis

Digitized by Google

judicio de solo surgere. Eodem modo *satisfaciet*, quisquis ad opus aliquod accersitus vel ad congregationem solitam tardius occurrerit, aut si decantans psalmum vel modicum titubaverit (*De coenobiorum instituto l.* 4. *c.* 16. *P. L.* 49, 172).

Manifestatio conscientiae.

S. Isaias Abbas : *Aperi cogitationes tuas* patribus tuis, et gratia Dei proteget te (*Regul. n.* 6. *P. L.* 103, 492).

Joan. Cassian.: Vera *discretio* nonnisi verâ *humilitate* conquiritur; cujus humilitatis haec erit prima probatio, si universa, non solum quae agenda sunt, sed *etiam quae cogitantur, seniorum reserventur examini* (*Coll. l.* 12. *c.* 10 *P. L.* 49, 537).

S. Augustinus : Etiam peccata ignorantiae vel negligentiae *melius accusantur*, ut pereant, *quam excusantur*, ut maneant (*In. Ps.* 105. *n.* 7. *P. L.* 37, 1410).

Correptionis necessitas,

S. Petrus Dam. : Humanam mentem superbia vitream reddit, ut *correptionis* ictum per impatientiam ferre non possit. Qui ad correptionis ictus per impatientiam frangitur, etiamsi ceteris virtutibus polleat, soliditatem virium se non habere demonstrat (*L.* 6. *ep.* 9. *P. L.* 144, 390). — Quisquis sapiens est, austeritatis illatae duritiam animae vulneribus deputat *medicinam* (*Opusc.* 46. *c.* 2. *P. L.* 145, 706). — Si de sacro conventu *correptionum censura* subtrahitur, *disciplinae vigor* funditus enervatur, et Religio tota destruitur. — Quisquis est, cui regularis vitae fervor inaestuat, *correptiones libenter amplectitur* (*Opusc.* 46. *c.* 4. *ibid.* 738).

Est pie accipienda, non superbe rejicienda,

Dionysius Carthus. : Quam laudabile est, paternam *correctionem* ac fraternam *correctionem* ex caritate aut aequitate impendere, tam perversum, ingratum ac stolidum est, eas non *obedienter, patienter* ac *pie suscipere*. Quod Scriptura S. copiose protestatur. Scriptum est enim in libro Proverbiorum (1, 291 *s.*): « *Non invenient Me*, (dicit Dominus), *quoniam exosam habuerint disciplinam et detraxerint correptioni Meae*». Cum enim peccatum sit mors et perditio animae ac via ad inferos, nonne incomparabiliter *stultior* esse convincitur, *qui pro peccatis suis corripi dedignatur* et corrigi suaque

Digitized by Google

vitia sibi monstrari, *quam qui corporis sui vulnera non pateretur sibi ostendi, mederi, curari?* Abjiciamus ergo a nobis pestiferum morbum, nomine: Noli me tangere. Correptiones non sustinere et se in vitiis excusare, ex radice procedit *superbiae*, estque indicium carentiae seu defectus illuminationis supernae. *Sapiens* quippe in omnibus metuit; etsi de his, propter quae corripitur, sibi conscius non sit, tamen scit se in pluribus offendisse, quae et se ipsum latent et corripientem. Idcirco pro talibus *aequanimiter suffertur*. Quod *etsi sibi de nullo conscius esset peccato*, pro Dei tamen amore atque intuitu Dominicae Passionis, pro incremento etiam gratiae in praesenti et gloriae in futuro *hilariter* sustineret. Sed sunt, qui in aliorum conspectu et cordibus confundi verentur ac vilipendi, quod ex improbo et privato manat amore; quo evulso et spirituali amore plene adepto, *amat homo nesciri;* et quantum ad ipsum pertinet, *optat contemni, tribulationibus affici*, et universa, quae sibi expediunt ad proficiendum in gratiâ ac gloriâ, imo ad complacendum Deo et ad honorandum eundem desiderat, amplectitur, quaerit. *Nec dubitare debemus, quin increpationes et correctiones Superiorum* nostrorum *increpationes et correctiones sint Dei.* Porro *patientia* omnium est probatrix virtutum. Unde quantumlibet quis virtuosum et devotum se esse praetendat; si in correctionibus, castigationibus et adversitatibus *patientiam* non observet, miser et defectuosus esse convincitur; quoniam instar ollae malae in fornacis medio positae exsilit, crepat, conteritur. Ideo in Ecclesiastico scribitur (27, 6): «*Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.*» Ut autem humilitatem correptionis aequanimiter feramus, magnopere juvabit *imitatio Filii Dei*, qui omnem humilitatem, patientiam et caritatem nos docuit (*L. de modo judic. et corrept. art.* 20).

Hilariter ac patienter sustinenda.

Religionis custodia.

S. Bonaventura: In hoc differunt laudabiles Religiones et jam dilapsae, non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod *nullus impune peccare sinatur, et peccandi aditus studiose praecludantur*, et incorrigibiles et alios inficientes eliminentur, et boni foveantur et diligantur, ut

Digitized by Google

perseverent et in melius semper proficiant (*De sex alis Seraph. c.* 3).

Sancta capituli disciplina.

Gillebertus *Abbas de Hoillandia* († 1172): In *Capitulo* examinandi *Abbatis* adstant judicio, *quasi ad Christi praesentati tribunal.* Ibi quisque in primis est *accusator sui*, accusandi se locum aliis praeripere festinans (*Serm.* 23. *in Cantic. n.* 3 *P. L.* 184, 121).

S. Maria Magdalena de Pazzis (*O. Carm.* † 1607), aliquando vidit multos *daemonum* recessisse in varias Monasterii partes ad sorores tentandas; sed *in Capitulum* intrare non potuerunt propter *actus humiles ac reverentes*, qui ibi exercentur (*Vita ejusd. c.* 7. *n.* 77. *ap. Boll. t. VI. Maj.*).

S. Augustinus: Qui multos offendit *peccando*, placare multos oportet *satisfaciendo* (*De vera et falsa poenit. c.* 11. *in append. P. L.* 40, 1123).

S. Bernardus: *Humilis* et *verecunda* debet esse *satisfactio*, qua emendatur superba transgressio (*Serm.* 4. *sup. Cant. n.* 2. *P. L.* 183, 797).

S. Franciscus Assis.: Beatus servus, qui benigne reprehensus acquiescit, verecunde obtemperat, humiliter *confitetur*, et libenter *satisfacit* (*In admonit. suis ad fratres c.* 22. *p.* 79).

Joan. Cassianus: Habet (homo) non adversus visibiles, sed invisibiles atque immites hostes diurnum nocturnumque conflictum; nec contra unum seu duos, sed contra innumerabiles catervas *spirituale certamen:* cujus casus tanto perniciosior cunctis, quanto et infestior inimicus et congressus occultior. Et ideo *semper seniorum summâ cautione sunt sectanda vestigia*, atque ad eos cuncta, quae in cordibus nostris oriuntur, sublato confusionis velamine deferenda (*Coll. l.* 2. *c.* 11. *P. L.* 49, 541). Illico ut *patefacta* fuerit *cogitatio maligna*, marcescit. — Et antequam discretionis judicium proferatur, *serpens* teterrimus velut e tenebroso ac subterraneo specu virtute confessionis protractus ad lucem, et traductus quodammodo ac dehonestatus *abscedit* (*Coll. l.* 2. *c.* 10 *ibid.* 538). — *Instituuntur monachi, nullas penitus cogitationes*

Ipsae cogitationes aperiendae.

Digitized by Google

prurientes in corde perniciosâ confusione celare, sed confestim, ut exortae fuerint, eas suo patefacere seniori (*Instit. lib.* 4. *c.* 9. *ibid.* 161).

S. Dorotheus : Quisquis diaboli praesentit insidias, accurrit illico et *cogitationes* suas quascunque *latentes aperit patri*, et *sic auxilium invenit in tempore tentationis*, et hac de causâ non potuit adversus eos iniquus insidiator. Infelicem illum unum invenit, qui seipsum regeret et instrueret (*Doctr.* 5. *n.* 3. *P. Gr.* 88, 1679).

Joan. Cassianus : «Confide, ait, o puer; absolvit te ab hâc captivitate, etiam me tacente, confessio tua. Victorem namque *adversarium tuum triumphasti* hodie, validius tuâ confessione elidens, quam ipse fuerat ab eo tuâ taciturnitate dejectus..... Et ideo jam te post hanc publicationem tuam nequissimus spiritus iste inquietare non poterit» (*Coll.* 2. *c.* 11 *P. L.* 49, 540).

S. Basilius : Debet vicissim unusquisque eorum, qui inferiores sunt, siquidem memorabilem facere progressionem studet et ad perfectionem vitae illius, quae praeceptis D. N. Jesu Christi est consentanea, pervenire, *nullum animi sui motum apud se celatum retinere*, sed mentis suae *arcana aperire* eis, quibus datum illud negotium sit, ut, adhibitis facultate ac misericordiâ, aegrotantes curent (*Regul. fusior.* 26. *P. Gr.* 31, 986).

Peccatorum confessio laus Dei.

S. Augustinus : Numquid et hoc non pertinet ad laudem Dei quando *confiteris peccata* tua? Imo vero maxime *pertinet ad laudem Dei*, quando confiteris peccata tua; quia tanto amplius *laudatur medicus*, quanto plus desperabas de te propter iniquitates tuas. Tanto enim major laus est ignoscentis, quanto major est exaggeratio peccata confitentis. Non ergo putemus nos recessisse a laude cantici, si hanc confessionem hic intelligimus, quâ confitemur peccata nostra. Et hoc ad *laudem cantici* pertinet, quia cum peccata nostra cognoscimus, Dei gloriam commendamus (*In ps.* 94. *n.* 4. *P. L.* 37, 1219).

Digitized by Google

Correptio est Christi medicina.

S. Ambrosius : Ipsi *Dei medico* nos committamus, parato ad curandum, quo velit curare medicamento..... Vide eum, *qui curari vult*, omni genere medico acquiescentem; attende ordinem. *Aperit primo vulnera* sua medico et dicit: Cura me, sed rogo, ne in irâ tuâ, quia non sustinent duram medicinam infirmitates meae. *Medicina Christi, correptio* est; corripit enim Dominus, quem vult convertere. Ideo et Paulus ad medicum dicit: «*Argue, obsecra, increpa*» (2. *Timoth.* 4,2). Non ergo recusat curari, qui petit argui ; sed levari vult poenam, ne in iracundiâ arguatur et impetu irae corripiatur. — Et vide processum. Primo *petit argui*; postea, quod majus est, *corripi*. Deinde non solum *confitetur peccata* sua, sed etiam enumerat et accusat ; non vult enim latere sua delicta. Nam *ut febres*, cum in alto sunt, non queunt mitigari, cum foras erumpunt, spem afferunt desinendi; *ita peccatorum morbus*, dum tegitur, marcescit, si confessionibus proditur, evaporat (*Enarrat. in Ps.* 37. *n.* 56. *P. L.* 14, 1037).

S. Gregorius : Tales sese qui praesunt, exhibeant, quibus subjecti occulta sua quoque pandere non erubescant, ut, cum tentationum fluctus parvuli tolerant, ad pastoris mentem quasi ad sinum matris recurrant, et hoc, quô se inquinari pulsantis culpae sordibus praevident, exhortationis ejus solatio et lacrymis orationis lavent (*Past. l.* 2. *c.* 5. *P. L.* 77, 33).

S. Fructuosus : *Omnes actus* sive occasionum necessitudines suo semper necesse est ut *monachus referat Patri*, ut ex illius cognoscat discretione vel judicio, quid attendat (*Regul. monach. c.* 31. *P. L.* 87, 1105).

S. Bonaventura : Post Religionis ingressum continue debent confessioni faciendae vacare, et de omnibus, quae in saeculo a pueritia commiserunt, ad memoriam, quantum poterunt, studiosâ sollicitudine revocatis generaliter confiteri. *Malorum* namque *confessio initium est bonorum*. Ordinis ergo status rejicit res atque reatus. — Postea de quotidianis offensis, sine quibus haec vita non ducitur, *facienda* erit *confessio, de privatis privata, de plublicis publica* et nihilominus quandoque privata (*In spec. discipl. p.* 1. *c.* 1. *p.* 2. *c.* 2).

Digitized by Google

Disciplina cellae.

Vita Patrum : Tu sede in *cellâ* tuâ et fac quod potes sine perturbatione. Ita est enim parum quod tu modo facis, sicut quando Abbas Antonius magna et plurima faciebat in eremo. Credo enim in Deo, quia quicunque *sedet in cellâ propter nomen Ejus et custodit conscientiam* suam, inveniatur et ipse in Antonii loco (*L.* 5. *libell.* 7. *n* 34. *P. L.* 73, 901).

Joan. Cassianus : Finitis psalmis et quotidianâ congregatione absolutâ, nullus monachorum vel ad modicum subsistere aut sermocinari audet cum altero. Sed ne quidem per totum diei spatium e cellâ suâ progredi aut deserere *opus, quod in eâ solitus est exercere*, praesumit, nisi forte cum fuerint ad officium necessarii cujusque operis evocati (*De coen. inst. l.* 2. *c.* 15. *P. L.* 49, 105).

Thomas a Kempis : Custodi diligenter *cellam* tuam et custodiet te. Tutior locus non est servo Dei in hoc mundo, quam latere in secreto, ubi Patrem oret liberâ mente, ostio cubiculi clauso. *Periculum* semper *exitus cellae; mansio ejus quies devotissimae vitae* (*Exercit. spir. c.* 4). — Qui cellam amat et libenter in eâ commoratur, a multis peccatis et tentationibus custoditur. Quanto studiosius inhabitatur, tanto plus placet et amatur. Quanto negligentius servatur et rarius intratur, tanto magis horretur et fastiditur. Bene illi, *qui eam diligit* et incolit, quia *unctio Spiritus eum docebit.* Beatus, cui inhabitare cellam donatum est; et qui usque ad terminum vitae suae in eâ perseverat (*De discipl. claust. c.* 7).

S. Petrus Damianus : Pulsante fratre *cellulam* tuam, protinus... serena facies occurrat, festiva frons laetitiam praeferat (*Opusc.* 51. *c.* 10. *P. L.* 145, 760).

Si fratres in cellâ, ostium sit semiapertum.

Haeften : Quamdiu cum debitâ licentiâ simul in cellâ sunt fratres, *ostium semiapertum* teneatur, ut videri possit, quid in cellâ geratur et ne longiores protrahantur sermones. Quos si necessitas exegerit, tutius fuerit alium quendam locum huic rei destinatum concedere, ne dormitorii quies et silentium interrumpatur aut vicinus longiore colloquio offendatur, ne a studio et oratione cui forte vacat, avocetur (*Disquis. mon. l.* 12. *tr. disquis.* 6).

Digitized by Google

Guilelmus, Abbas S. Theodor. : « *Omnia vestra,* inquit Apostolus, *honeste fiant in vobis* » (1. *Cor.* 11, 40). Grata Deo res est honestas et s. Angelorum amica. Propter quod etiam jubet Apostolus velari mulieres « *propter Angelos.* » Qui cum procul dubio *tam die quam nocte vobiscum sint in cellis* vestris, vos custodientes et vestris studiis congaudentes et cooperantes, placet eis, ut etiam, nullo homine vidente, omnia vestra honeste fiant... Ad *somnum* semper aliquid defer tecum in memoriâ vel cogitatione, in quo placide obdormias... quod etiam *evigilantem* te excipiens, in statum hesternae intentionis restituat. Sic tibi « *nox sicut dies illuminabitur* » et nox illuminatio tua erit in deliciis tuis (*Ad fratr. de Monte Dei l.* 1. *c.* 11. *n.* 32 *et* 34. *P. L.* 184, 329).

Omnia in cellâ honeste fiant.

Vigiliae,

Ludov. Blosius : Quotidie, priusquam *quieti nocturnae* te tradas, serio quidem, sed absque mentis inordinatâ dissipatione *recogita, in quibus eo die deliqueris,* veniamque a misericordissimo Deo precare, proponens deinceps melius vivere omneque vitium vitare diligentius. Deinde *ora, ut in ipsâ nocte te conservare dignetur* ab omni inquinamento mentis et corporis, *commendans Illi* sacraeque *Ejus Genitrici* ac *S. Angelo* custodiendam animam tuam et corpus tuum. Lectulo tandem conscenso muni te signaculo Dominicae crucis et, corpusculo honeste pudiceque composito, suspira ad Dilectum tuum, aliquid divinum pertractans, donec somnus placide se infundat. Qui somnus si profundior fuerit, ipsi corpori gravamen potius quam requiem praestiterit ; si etiam per lubricas illusiones aliquid minus honestum excitaverit aut produxerit, non absorbearis tristitiâ, sed humiliter ingemisce coram Domino; supplicique oratione postula, ut tibi concedat victus sensuumque sobrietatem, quam *somni sobrietas* corporisque puritas consequi solet (*Spec. mon. c.* 8).

Examen conscientiae,

Et oratio vespertina.

In Domino indormias.

Haeften : Monastici statuti ea est ratio, *ut Superior omni tempore,* etiam ex inopinato, *cubiculum visitare possit* et videre, quid in eo sit aut frater agat. Male agere praesumitur, qui Praelati reformidat intuitum et introitum. « *Omnis*

Abbati et cella pateat et cor.

Digitized by Google

enim qui male agit, odit lucem, » inquit Christus. Verum Religiosi non solum cellam, sed et *pectoris penetralia aperta* gerant ; nihil enim Abbatem celandum est, ne ipsae quidem mentis cogitationes. Quare ita eis vivendum, ac si ab eo ubique conspiciantur (*Disq. mon. l.* 12. *tr.* 3. *disq.* 6).

Disciplinae exercitium.

S. Isidorus, Hispal. : Debet quisque peccator temporalibus *flagellis* atteri, quatenus in judicio purgatus valeat inveniri... Nulla enim in aeternum animadversio affligere poterit, quos hic *poenitentiae disciplina* percusserit. Si enim hic pro peccatis caedimur, illic sine peccato inveniemur (*Quaest. in Deuteronom. c.* 22. *n.* 2. *P. L.* 83, 370).

Guilielmus, Ep. Parisiens. (✠ 1249) : Ab ipso Spiritu S. edocti *Patres affligebant se,* cum orationibus suis impetrare vellent magnum quid a Domino, quod adhuc servat omnis Ecclesia Sanctorum affligens se *jejuniis, ciliciis, laboribus* et *flagellorum etiam disciplinis.*

Feria sexta dies poenitentialis.

S. Petrus Damianus : *Sexta feria* vivificae cruci non inconvenienter adscribitur, quae scilicet dies pendentis in cruce *Domini glorioso sanguine purpuratur.* Quâ die omnes fratres nostri, quod utique monasterialis ordo connectit, hoc etiam ad cumulum propriae salutis adjiciunt, *ut se mactent in capitulo* vicariâ *collisione scoparum* et insuper celebrent in pane et aquâ jejunium ; asserentes, quia in hoc cruci vere communicamus, in hoc procul dubio Christo commorimur, si hoc eodem die, quo Ipse passus est, nos etiam carnem nostram per inediae cruciamenta mactemus (*Opusc.* 33. *c.* 3. *P. L.* 145, 565). — Quid absurdum, si nunc S. Ecclesia in pacis otio utitur, quo dudum utebatur in bello. Nam et Apostolus dicit : « *Castigo corpus meum et in servitutem* redigo (1. *Cor.* 9). » Et alibi : « *Sancti ludibria et verbera experti* (*Hebr.* 11). » Porro dum manus carnificis nunc ab infligendo Martyribus verbera cessat, quid obest si sancta devotio ipsa sibimet, unde S. Martyribus particeps fieri mereatur, exhibeat? Nam cum *sponte* me propriis manibus ante conspectum Dei verbero, devotionis ingenuae deside-

Spontanea corporis castigatio.

Digitized by Google

rium, si carnifex occurreret, promptus ostendo. Quia si *pro amore Christi* tam dulcis est mihi poena, cum deest; quo susciperetur animo, si persecutor offerret? *Vellem pro Christo subire martyrium*, non habeo, cessante studio, facultatem; ipse me verberibus atterens *ostendo saltem ferventis animi voluntatem.* Enimvero si me persecutor allideret, ipse me verberarem, qui verberandum me ultroneus exhiberem. Nam si sollerter Scriptura discutitur, ipse Rex Martyrum Christus non solum a Juda, sed etiam a Patre et a Semetipso quoque traditus invenitur. Nam de Patre dicit Apostolus: « *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit Illum.* » De Filio autem alibi: « *Qui dilexit*, inquit, « *me et tradit Seipsum pro me.* » Sive ergo me propria manus affligat, sive carnifex ictum infligat, ego specialiter hujus examinationis auctor existo, qui me ad examinandum ultroneus offero. Praeterea, quia tympanum est pellis arida, ille, juxta Prophetam, *in tympano Dominum veraciter laudat*, qui confectum jejunio corpus per disciplinam verberat... Dicit enim Psalmista: « *Exercitabar et scopebam spiritum meum.* » Carnem siquidem et spiritum scopo, qui me deliquisse per carnem et spiritum recognosco; istum correptionum, illam cum ceteris afflictionibus etiam percussione virgarum, ut, quia ea laeta me traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam. Lorica est homo indutus ad carnem, ferreis membra diversa circulis ambit, mittit cum labore metanoenas, allidit in pavimentum crebrius palmas; ut quid haec et his similia, nisi ut, *dum per haec corpus affligitur, animae refrigerium procuretur?* Quodcumque enim illud est, per quod caro poenitentiae causa laceratur atque procellitur, per hoc homo procul dubio contracti reatus squalore purgatur (*L.* 6. *epist.* 27. *P. L.* 144, 416).

S. Mechtildis, Virg. monast. Helftens. († 1300), Spiritu rapta in coelum, coram Domino in throno sedente audivit sonum dulcissimum in firmamento coeli resonare ex *sonitu disciplinarum*, quas illâ horâ sorores pro communi salute perceperunt; ad cujus clangorem sonitûs *S. Angeli*

Digitized by Google

plaudentes saltabant, *daemones* animas cruciantes procul fugiebant, *animae* laxabantur a poenis et catenae reatus earum rumpebantur (*Liber. spec. grat.* 2. *c.* 26).

Disciplina tam animi quam corporis.

Joan. Cassianus: Ad *integritatem mentis* et *corporis* conservandam abstinentia ciborum sola non sufficit, nisi fuerint ceterae quoque virtutes animae conjugatae. – Oportet, *exteriore homine* jejunante, *interiorem* quoque similiter a cibis noxiis temperare (*L.* 5 *de Coenob. inst. c.* 10 *et* 21 *P. L.* 49, 225, 239).

S. Basilius M.: *Verum jejunium* est alienum esse a vitiis, continentia linguae, irae cohibitio, concupiscentiarum amputatio, obtrectationis, mendacii, perjurii (*Hom.* 2 *de jejun. n.* 7. *P. Gr.* 31, 195).

Abstinentia et perfectio interna et externa.

S. Hieronymus: *Sponsa Christi arca* est testamenti, *intrinsecus et extrinsecus deaurata*, custos legis Domini... Super hoc propitiatorium, quasi super cherubim, sedere vult Deus (*Ep.* 22, *n.* 24. *P. L.* 22, 410). — Quid prodest tenuari abstinentiâ *corpus*, si *animus* intumescat superbiâ?... Quid virtutis habet, vinum non bibere, et irâ atque odio inebriari? Tunc praeclara est abstinentia, tunc pulchra atque magnifica castigatio corporis, cum animus est jejunus a vitiis (*Ep.* 148. *n.* 22. *int. apocr. ibid.* 1214).

S. Augustinus: Quid prodest vinum non bibere, et iracundiae veneno abundari? Quid prodest abstinere a carnibus ad edendum creatis, et malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? (*Serm.* 143. *n.* 3. *in app. P. L.* 39, 2025).

Crux spiritualis et corporalis.

— *Duo* sunt *abstinentiae et crucis genera*, unum *corporale*, aliud *spirituale. Unum* a potu atque epulis temperare, appetitum gulae a delectationibus et mollissimis suavitatibus coercere, ab his, quae per tactum et gustum visumque decipiunt, sensum viriliter revocare ac violenter abstrahere. *Alterum* abstinentiae et crucis genus est pretiosius atque sublimius, motus animi regere et perturbationes illius modestiae tranquillitate placare, irae ac superbiae impetus quasi feram bestiam refrenare, litigare quotidie contra vitia sua, increpare se quâdam censoriâ austeritate virtutis, et

Digitized by Google

rixam quodam modo cum homine interiore conserere (*Serm.* 196 *in app. ibid.* 2112).

Animi mortificatio sive abnegatio.

S. Dorotheus : Brevi quislibet spatio, modo velit, suas amputare voluntates et *seipsum abnegare* decies perfacile poterit. Quomodo autem id fiat, edocebo. Obambulat quispiam et *aliquid forte conspicatur;* suadetur actutum a cogitatione, ut illud advertat. At is, si sapit, cogitationi et suasioni illi repugnat seque avertit et dicit : « *Certe non advertam neque id penitus considerabo.* » Rursus offendit quis aliquos nugis et variis rumoribus occupatos et ait illi cogitatio cordis sui : « *Dic et tu verbum aliquod;* immisce te huic turbae. » *At ille negat* se id acturum et voluntatem suam abrumpit prorsus. — Si voluntates nostras frequenter praecidcrimus, brevi fiet, ut, quaecunque nobis advenerint, perfacile illa praccidere, si voluerimus, assuescamus; et *a parvis quidem et minimis inchoandum* est, ut jam summâ cum requie majora ac maxima praecidamus. Sic *demum ad id perveniemus, ut voluntatem propriam penitus non habeamus* (*Doct.* 1. *n.* 14. *P. Gr.* 88, 1635).

Sensuum et animae jejunium.

S. Bernardus : Jejunet gula, jejunet oculus, jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipsa. *Jejunet oculus* a curiosis aspectibus et omni petulantiâ, ut bene humiliatus coerceatur in poenitentia, qui male liber vagabatur in culpâ. *Jejunet auris*, nequiter pruriens, a fabulis et rumoribus et, quaecunque otiosa sunt et ad salutem minime pertinentia. *Jejunet lingua* a detractione et murmuratione, ab inutilibus, vanis atque scurrilibus verbis. *Jejunet manus* ab otiosis signis, et ab operibus, quaecunque non sunt imperata. Multo magis *anima ipsa jejunet* a vitiis et a propriâ voluntate suâ (*Serm.* 3 *in Quadrag. n.* 4. *P. L.* 183, 176). — Si in die jejunii inveniatur voluntas propria, non tale jejunium eligit Sponsus; nec sapit illi jejunium, quod non lilium obedientiae, sed vitium propriae voluntatis sapit (*Serm.* 71. *sup. Cant. n.* 14. *ibid.* 1128). — O quam *compositum reddit* omnem *corporis statum*, nec non et *mentis habitum disciplina!* Cervicem submittit, ponit supercilia, componit

Disciplina mentem et corpus componit.

Digitized by Google

vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram sedat, format incessum (*Ep.* 113. *n.* 5. *P. L.* 182, 258). — Impleri visitationibus Domini *anima* non potest, quae *distractionibus* subjacet; quanto magis illis evacuabitur, tanto amplius istis implebitur... Ubi *vasa vacua* non invenit oleum, stare necesse est, nec mittunt vinum, nisi in utres novos, ut ambo conserventur. Neque enim spiritus et caro, ignis et tepiditas, in uno domicilio commorantur (*Serm. in Ascens. Dom.* 3. *n.* 7. *P. L.* 183, 308).

Disciplina totius corporis.

S. Basilius: Est *totum corpus castigandum* ac ferae cujusdam instar cohibendum, suntque ab ipso adversus animam tumultus orientes ratione velut flagello compescendi, ne, *frenum* voluptati omnino laxando, *mens, veluti auriga* ab equis contumacibus et minime obtemperantibus, misere feratur ac rapiatur (*Hom. de legend. gent. libr. n.* 7. *P. Gr.* 31, 583).

Mortificatio sensuum et mentis.

Guilelmus, Abb. S. Theodorici († 1150): Cum Novitius esset (sc. *S. Bernardus*) in nullo sibi parcens, *instabat omnimodis mortificare* non solum concupiscentias carnis, quae per sensus corporis fiunt, sed et *sensus* ipsos, per quos fiunt... Quod cum continui usus instantia in consuetudinem mitteret, consuetudo ei ipsa quodammodo vertebatur in naturam... Natura quoque in eo non dissentiebat a gratiâ, sortitusque erat animam bonam, sensualitatem non curiose lascivam, nec superbe rebellem, sed congaudentem spiritualibus studiis, et in eis, quae ad Deum sunt, sponte subditam spiritui et servientem, corpus etiam ad serviendum spiritui aptissimum instrumentum (*Vita S. Bernardi l.* 1. *c.* 4. *n.* 20 *et* 21. *P. L.* 185, 236).

Joan. Trithemius: Qui *voluntate mortificatus* est, nihil carnale, nihil turpe concupiscit (*L.* 1. *ad Monach. hom.* 21). — Carne repugnante, virtus perficitur; et quam recta sit voluntas, ex *violentiâ spiritus* probatur (*P.* 1. *de regione claustr. tract.* 2. *reg.* 2. *art.* 6).

Integra mortificatio.

Ludov. Blosius: Excellentissimum plane exercitium est, mentem semper habere mortificatam; in verâ enim

Digitized by Google

atque *integrâ mortificatione*, vera et jucundissima vita latet. *Qui* enim *moritur semper in seipso, semper in Deo novâ vitâ vivere incipit.* — Anima quidem mortificata est veluti botrus maturus, mollis ac suavis; *anima vero immortificata* est tanquam uva immatura, dura atque acerba. — *Mortificatio* in initio quidem difficilis est ac molesta; sed ubi quis aliquamdiu in eâ viriliter perstiterit, jam dono Dei facilis omnino multumque amabilis redditur. — *Vera perfectio in mortificatione sui sita* est; nam ad veram perfectionem *integrâ mortificatione* pervenitur (*De instit. spirit. c. 2 et 7*). — Vis paucis audire, quae sit omnimoda tui mortificatio? *Omnem proprietatem exue*, ecce compendium, omnem proprietatem exue. Omnem propriam voluntatem seu quaesitionem exue : *totum veterem hominem exue.* — Omnia, inquam, sensibilia et teipsum prorsus abnega propter Deum. Quod perinde est, ac si diceretur : Vim concupiscentiae, delectationis, irae indignationisque naturalis in te mortifica; et in omnibus, tam adversis quam prosperis, te in divinum beneplacitum sine aliquâ voluntatis contradictione resigna. Demonstravi compendium ostendique omnimodam tui mortificationem, omnimodam esse proprietatis abjectionem, hoc est ,omnimodam tui humiliationem. Revera enim *perfecta humilitas*, ipsa est istud compendium, per quod rectâ ad perfectionis arcem pervenies. Haec autem arx *perfecta caritas* seu *puritas* est... Si in silentio cordis tui, tanquam in portu tranquillissimo, assidue commanens, mentem ab omni inordinatâ curâ, affectione, pressiorique imaginatione rerum infirmarum, ab omni denique inquietudine et tumultu absolutam, in Deum affectuose dirigis ac reclinas; ita ut *memoria* tua, *intellectus* tuus, *voluntasque* tua, id est, *totus spiritus* tuus ipsi *Deo feliciter uniatur*, praedictam arcem tenes. Ista enim totius perfectionis summa est... Ad veram tui mortificationem accensus *radici arboris securim admoves.* Arbor est ipsa proprietas, de quâ paulo ante loquebamur. Quaenam est ista securis? Ipse fervor spiritualis internique exercitii. Praecipue tamen assidua Dominicae passionis pertractatio

Digitized by Google

et crebrae ad Deum adspirationes, cum promptâ obedientiâ rationabilique victûs sobrietate, *securis* sunt. Profecto securis acuta, securis benedicta, securis gratissima, securis omnium bonorum totiusque puritatis conciliatrix, securis auro fulgens et gemmis ornata. *Arbor* vero, arbor maledicta, arbor amarissimis fructibus plena, arbor omnium malorum omnisque inordinationis productrix et nutrix, arbor obscura et tenebrosa. In te est ista arbor (*Specul. mon. c.* 8).

Corporis habitus sit gravis et modestus.

S. Hieronymus : Speculum mentis est *facies* et taciti *oculi* cordis fatentur arcana (*Ep.* 54. *n.* 13. *P. L.* 22, 556). — Nihil sit scurrilitatis aut vanitatis : sed magis quidquid est *gravitatis* et *modestiae;* quia christiani vita in speculo posita est (*Ep.* 41. *n.* 7. *in app. P. L.* 30, 296).

S. Ephrem : Modestum ac gravem te gere : *modestia* enim et *gravitas* pacificum ac tranquillum vitae statum parit (*Ad Mon. paraen.* 47*; tom. II. p.* 170).

Modestiae laus.

S. Bernardus : *Modestia* sobrietatis *et verecundiae comes* est, humilitatis regulam custodit, tranquillitatem animi servat, continentiam et castitatem diligit, fovet decus et honestatem, restringit ratione appetitum, iram contemnit, nec rependit contumeliam (*De ord. vitae. c.* 7. *n.* 22. *in app. P. L.* 184, 575).

Modestia sancta et hilaris.

S. Leo M. (✝461): Religiosorum *modestia* non sit moesta sed sancta (*Serm.* 42. *c.* 2. *P. L.* 54, 276).

Arnulfus, mon. de Boeriis dioeces. Laudunens. (Laon) (*saec. XII*) : Erit prudentia animae... *quodam risu,* qui tamen modestus sit, interioris gloriam hominis et mentis gravitatem abscondere (*Spec. monach. P. L.* 184, 1177).

Thomas a Kempis : *Modestiam* cum religiosâ hilaritate, prout tibi congruit, moribus ostende (*Exercit. spirit. c.* 5. n. 4).

Lud. Blosius : Laudabile fuerit, ut inter eos, cum quibus versaris, exhibeas te *moderate hilarem* minimeque tetricum (*In Tab. spirit.*).

Digitized by Google

S. Bernardus : Tristitiam, maxime in conventu, dissimulare te decet, quandam in facie *hilaritatem* praetendens : privatim autem nunquam vultus in diversa mutetur. Si quando coram aliis positus ridere alicujus rei causa fueris compulsus, ut adsolet, non sit *risus* tuus excussus ; nam juxta Sapientem (*Eccli.* 19, 27): *Amictus corporis et risus dentium et gressus hominis enuntiant de illo* (*Form. honest. vit. n.* 4 *in app. P. L.* 148, 1169).

Disciplina sensuum.

S. Basilius : Cum ceteris, qui beati esse student, tum sponsae Christi in primis convenit, operationes animae, quae per *sensus* fiunt, ab exterioribus ad interiora convertere, ac Sponso in intimis thalamis, ut Deo Dei verbo, perpetuâ dilectione sociari, cum Eo colloqui et in ejus die noctuque lege meditari ; et his quidem, quae ad sponsum dicunt, lege scilicet et Evangelio, et si qua his consona Sponsi decorem exponunt, oblectari (*De vera virginit. c.* 50. *in app. P. G.* 30, 767).

Quinque sensus.

S. Augustinus : Si virginitatem animae integram servare desideras, quantum potes observa blandimenta draconis : ne forte si incautus fueris, *quinque sensus* qui in te sunt, quasi quinque virgines permittas a serpente corrumpi. Quidquid enim pulcrescit visu, quidquid dulcescit gustu, quidquid blanditur, auditur, quidquid lenocinatur odoratu, quidquid mollescit attactu, in his omnibus, si incauti fuerimus, surrepentibus concupiscentiis malis animae virginitatem corrumpi permittimus et impletur illud, quod per Prophetam dictum est : « *Intravit mors per fenestras vestras* » (*Serm.* 315. *n.* 3. *in app. P. L.* 39, 2350).

Guilelmus, Abb. S. Theodorici : Monachus habeat *sensus exteriores* non duces sed servientes, *interiores* sobrios et efficaces. Habeat omnem omnino domum vel *familiam cogitationum* suarum sic ordinatam et disciplinatam, ut dicat huic : Vade, et vadat, et alii : Veni, et veniat, et servo suo corpori : Fac hoc, et absque contradictione faciat (*Ad fratres de Monte Dei l.* 1. *c.* 11. *n.* 34. *P. L.* 184, 330).

Digitized by Google

Oculorum custodia.

S. Dorotheus : Honesta ac modesta Deoque et hominibus grata Monachi compositio haec est : primum *oculos* tuos cohibe, ne huc atque illuc circumferantur; sed, quae ante te sunt, tantum intueri atque inspectare velint. — Cum praepositi tui, seu magistri vel amici *cujusdam cellam ingrederis*, cave, ne quidquam eorum, quae ibi fuerint, curiose scruteris aut intuearis (*Doct.* 24. *P. G.* 88, 1835).

S. Bernardus : Nunquam alicui *oculum* in faciem figas (*Form. honest. vit. in app. n.* 6. *P. L.* 184, 1170).

S. Bonaventura : Amatores honestatis *oculos* ab inordinatâ evaginatione, exaltatione in mensâ et in choro praecipue diligenter custodiant. Scriptum est enim : « *Oculi stultorum in finibus terrae. Et dilatatio cordis est exaltatione oculorum.* » Levat quidem Propheta oculos, ut petat auxilium ; Dominus, ut impendat. Tum quoque, si locum, causam et tempus considerans, tuâ vel fratris necessitate oculos levas, non solum non culpo, sed plurimum laudo ; hoc enim excusat miseria, illud commendat misericordia. Sin alias, non Prophetae, non Domini, sed Dinae vel Evae, imo ipsius Satanae te imitatorem dixerim (*Spec. p.* 1. *c.* 24).

Sermonis et vocis modestia.

S. Bernardus : Sit *vox* ipsa non remissa, non fracta, *nihil femineum* sonans, sed formam quandam et regulam ac succum virilem reservans... Sed ut molliculum infractum vocis sonum aut gestum corporis non probo, ita *neque agrestem ac rusticam naturam* imitandam esse censeo. — Ipsum sonum vocis libret *modestia*, ne cujusquam offendat aurem vox incomposita. (*De ord. vitae c.* 2. *n.* 9. *et* 3. *in app. P. L.* 184, 566).

Lud. Blosius : Non indecenter *vocem* eleves, neque rursum sic deprimas, ut intelligi vix possis ; praesertim si locus, tempus, causa vel persona, cui loqueris, exigit, ut clarius loquaris. Nam *vox monachi*, sicut *semper quidem verecunda, frequenter autem submissa* esse debet, juxta sanctas religionis ordinationes, ita debet et nonnumquam esse etiam *rationabiliter clara* (*Spec. mon. c.* 7). — Consuescat asser-

Digitized by Google

tiones suas sub dubio proferre ; veluti si dicat : « Puto, ita esse ; nisi fallor, ita est » (*Brev. Regul.* § 2. *n.* 2).

S. Pachomius : *Manum alterius* nemo teneat, sive ambulaverit, sive sederit aut steterit, uno cubitu distet ab altero (*Regul. n.* 94. *P. L.* 23, 78).

Membrorum usus decens, modestus, discretus.

Hugo a S. Victore : Diligenter observandum est, ut *singula membra suum teneant officium*, neque usurpent alienum. Deinde ut unumquodque suum opus tam *decenter* ac *modeste* impleat, ut per indisciplinam oculos inspicientium non offendat.... *Discretio* actionum in membris observanda est, ut scilicet id agat unumquodque membrum, ad quod factum est, ut nec loquatur manus, nec os audiat, nec oculus linguae officium assumat. Sunt enim quidam, qui nisi buccis patentibus auscultare nesciunt. Alii loquentes digitum extendunt, supercilia erigunt aut oculos in orbem rotantes aut profundâ quâdam consideratione defigentes, cujusdam intrinsecus magnificentiae conatus ostendunt. Alii caput jactant, comam excutiunt et latera cubitando pedesque extendendo ridiculam satis ostentationis formam fingunt. Alii, quasi ambae aures ad audiendum factae non sint, alteram tantum, collo detorto, voci venienti opponunt.... Alii navigant brachiis *incedentes ;* et duplici quodam monstro uno et eodem tempore pedibus deorsum in terrâ ambulant et lacertis sursum in aëre volant. Quod est, quaeso, monstrum hoc, quod simul in se fingit et hominis incessum et navis remigium et avis volatum ?.... Prima igitur *custodia disciplinae in gestu* est, ut unumquodque membrorum in eo, ad quod creatum est officio se contineat... Secunda disciplina est, ut id, quod facit, eo modo faciat, quo faciendum est, nec plus, nec minus, nec aliter... Et ut in paucis exemplo probemus, *ridere* debet sine apertione dentium, *videre* sine defixione oculorum, *loqui* sine extensione manuum et digitorum, *incedere* sine ventilatione brachiorum et gesticulatione scapularum, *sedere* sine alterutrâ subjectione pedum, sine extensione vel agitatione tibiarum et sine accubatione laterum (*De institut. novit. c.* 12. *P. L.* 176, 941).

Digitized by Google

Corpus animum prodit.

S. Ambrosius : Est etiam *in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia.* Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior, aut contra gravior et constantior, et purior et maturior aestimatur. Itaque *vox quaedam est animi corporis motus*....

Ambulatio,

Sunt etiam, qui sensim *ambulando imitantur histrionicos gestus*, et quasi quaedam fercula pomparum et statuarum motus nutantium, ut, quotiescunque gradum transferunt, modulos quosdam servare videantur. Nec *cursim ambulare* honestum arbitror, nisi cum causa exigit alicujus periculi, vel justa necessitas. Nam plerumque festinantes anhelos videmus torquere ora, quibus si causa desit festinationis necessariae, naevus justae offensionis est...

Motus simplex.

Est etiam *gressus probabilis*, in quo sit species auctoritatis gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen, si studium desit atque affectatio, sed *motus sit purus* ac *simplex*; nihil enim fucatum placet; motum natura informet. Si quid sane in naturâ vitii est, industria emendet, ut ars desit, non desit correctio (*L.* 1. *off. c.* 18. *n.* 71-75. *P. L.* 16, 44).

Incessus humilis.

S. Bernardus : Non fractis gressibus *ambules*, aut scapulas dextrorsum aut sinistrorsum vergendo, erectâ cervice, non proeminenti pectore, seu etiam inclinato capite super humerum; quae omnia aut levitatem redolent aut elationem ostentant, aut hypocrisim sapiunt. *Incedens* ergo, *stans* et *sedens*, faciem semper habeto deorsum, revolvens in animo tuo, quod pulvis es et in pulverem reverteris, et cor sursum, ubi Christus est in dexterâ Dei Patris sedens. Quaquaversum nullâ curiositate, quin potius necessitate aspicias (*Form. vitae honest. n.* 4. *in app. P. L.* 184, 1169).

Faciem deorsum, cor sursum.

Incessus et habitus.

S. Bonaventura : Disciplinam circa *incessum* penes modum et discretionem in ambulando considerent *Honestus* enim *modus* requirit, ut non impetuosis et fractis gressibus ambulent, nec erectâ cervice, non prominenti pectore seu etiam inclinato super humerum capite aut vagabunde pendentibus manibus, quae omnia vel levitatem, vel superbiam, vel remissionem, vel hypocrisim sapiunt. Debent etiam in

Digitized by Google

eundo *discretionem* habere, ne de illorum numero censeantur, de quibus dicitur per Prophetam (*Is.* 59): «*Non est judicium in gressibus eorum.*» In eorum gressibus non invenitur judicium, qui eundo vel necessitatem vel ordinem non attendunt. Necessitas discursum inutilem, ordo inordinationis confusionem excludit. *Incessus* tuus sit maturus; non leviter curras et sine necessitate; nec corpus multum erectum geras, sed mediocriter depressum, nec vagus sis oculis, nec brachiis ventiles, nec aliter more saecularium incomposito gressu incedas, sed *plano* et *humili modo*, quasi a devotâ oratione decedas ... *Ordo* est religioso *in Conventu* specialiter servandus, ut *in processionibus* fratrem sibi collateralem attendat, ut chori sui partem *in refectorio* et *in claustro*, cum pro gratiis ad Ecclesiam itur, et in omni teneat loco, nec se ad chorum alium, vel in refectorio, vel in claustro transferat nisi causâ rationabili perurgente. Est et *ordo reverentiae* et *decentiae in incessu*, ut non passim seniorem junior antecedat, aut quando vitari facile potest, frequentes et nimis propinquos ei transitus faciat ante ipsum (*Spec. p.* 1. *c.* 23).

Ordo tenendus.

S. Bernardus : Ut taceam interiorem hominem S. Malachiae, cujus pulchritudinem, puritatem satis indicabant mores ipsius et vita; ipsum exteriorem ita uno *semper modo*, ipsoque *modestissimo et decentissimo* gessit, ut nihil prorsus appareret in eo, quod offendere posset intuentes. Et quidem « *qui non offendit in verbo, ille perfectus est vir.* » At vero in Malachia quis unquam, etiamsi curiosius observarit, deprehendit otiosum, non dico verbum, sed nutum? quis manum pedemve moventem frustra? Immo quid non aedificans in ejus incessu, aspectu, habitu, vultu? denique vultus hilaritatem nec fuscavit moeror nec levigavit risus. Totum in eo disciplinatum, totum insigne virtutis, perfectionis forma. Per omnia serius, sed non austerus; remissus interdum, dissolutus nunquam (*Vit. S. Malachiae. c.* 19. *n.* 43. *P. L.* 182, 1097).

Maxima S. Malachiae modestia,

Gaufridus, Abb. Claraevallen. (✝ 1166): *In Bernardo* tanta erat interioris hominis pulchritudo, ut evidentibus quibusdam indiciis foras erumperet et *de cumulo internae*

Et S. Bernardi.

Digitized by Google

puritatis et gratiae copiosae profusus homo quoque exterior videretur.... Serenus vultu, modestus habitu, circumspectus in verbis, in opere timoratus, suavis moribus.... Apparebat in carne ejus gratia quaedam, spiritualis potius tamen quam carnalis. In *vultu* claritas praefulgebat non terrena utique, sed coelestis; in *oculis* angelica quaedam puritas et columbina simplicitas radiabat. — *Incessus* ejus et *habitus* omnis modestus et disciplinatus, praeferens humilitatem, redolens pietatem, exhibens gratiam, exigens reverentiam, solo visu laetificans et aedificans intuentes (*Vita S. Bernardi. l.* 3. *c.* 1 *n.* 1. *et c.* 2. *n.* 5. *P. L.* 185, 303).

Ernaldus, Abbas Bonavall. (*c.* ✠ 1154): «Flebant Episcopi, flebat ipse summus Pontifex, mirabantur Congregationis illius Claravallensis gravitatem, quod in tam solemni gaudio oculi omnium humi defixi, nusquam vagabundâ curiositate circumferrentur; sed complosis palpebris ipsi neminem viderent et ab omnibus viderentur» (*Vita S. Bern. l.* 2. *c.* 1. *n.* 6. *ibid.* 272).

Mortificatio sit discreta et humilis.

Joan. Cassian.: Apostolus ait: «*Carnis curam ne feceritis in desideriis*» (*Rom.* 13). Non ergo curam ejus omnimodis interdixit, sed *ut in desideriis fieret denegavit.* Voluptuosam ademit diligentiam carnis, *gubernationem vitae necessariam non exclusit*, illud, ne indulgentiâ carnis ad desideriorum occupationes noxias devolvamur; hoc vero ne corruptum nostro vitio corpus spiritales ac necessarias functiones implere non possit (*De Coenobior. instit. l.* 5. *c.* 8. *P. L.* 49, 223). — Omni conatu debet *discretionis bonum virtute humilitatis acquiri*, quae nos illaesos ab utrâque potest nimietate servare. *Nimietates aequalitates sunt.* Ad unum enim finem nimietas jejunii et voracitas pervenit, eodemque dispendio vigiliarum immoderata continuatio monachum, quo somni gravissimi torpor involvit (*Collat. l.* 2. *c.* 16. *ibid.* 549). — Tam B. Antonii quam universorum sententiâ definitum est, *discretionem* esse, quae fixo gradu intrepidum monachum perducat ad Deum virtutesque jugiter conservet illaesas, cum quâ ad consummationis excelsa fastigia minore possit fatigatione

Discretionis praestantia.

Digitized by Google

conscendi, et sine quâ multi, etiam propensius laborantes, perfectionis nequiverint culmen attingere. Omnium namque *virtutum generatrix, custos, moderatrixque* discretio est (*Collat. l. 2. c. 4. ibid.* 528).

Nimia abstinentia vitanda.

S. Basilius M.: Sicut in gulae intemperantiam declinare grave ac periculosum est, ita per *nimiam abstinentiam* corpus atterere, omni profecto ratione caret ; neque enim abstinere a voluptatibus gulae per se exspectandum est, sed quia ad virtutis acquisitionem confert. Quodsi illud, cujus gratia ciborum abstinentiam eligimus, per immoderatam negligamus inediam, contra ac instituimus, agimus. Nam, *fracto contritoque instrumento*, nec Deo inhaerere per lectionis et orationis studium possumus, neque in fratribus juvandis humanitatis officium obire. Igitur et *corporis cura necessario habenda* est, *non ipsius gratia*, sed ut servitio illius ad philosophiae studia uti possimus (*L. de virgin. n. 11. in app. P. G.* 30, 691). — Oportet monachum ab omni fastu liberum esse, et *viam vere mediam* et *regiam* euntem, nunquam ad alterutram partem declinare ; neque dedere se mollitiei neque per abstinentiae immoderationem corpus inutile reddere. Etenim, si bonum esset hominem *corpore fractum* esse et, dum spiraret viveretque, mortuum tamen jacere, utique nos tales Deus ab initio condidisset (*Constit. monast. c. 4. n. 2. P. G.* 31, 1350).

Via media et regia.

S. Antonius Abb. (✠ *c.* 357): In omnibus, quae agimus, *discretio* anteponenda est ; omnium namque virtutum genetrix et custos, atque moderatrix discretio est (*Apud Boll. 2. Jan. p.* 508).

Discretionis labor.

S. Gregorius M.: Magnus *discretionis labor* est, exactori huic (sc. corpori) et aliquid impendere et aliquid denegare ; et non dando gulam restringere et dando naturam nutrire. — Sic *voluptas sub necessitatis specie se palliat*, ut vix eam perfectus quisque discernat. — Facile est deprehendere, cum *voluptas* necessitatem praevenit ; sed valde est difficile discernere, cum in ipso esu necessario se occulta subjungit. — Dum sibi mens *ex necessitate* blanditur, *ex*

Digitized by Google

voluptate decipitur. — Plerumque dum plus justo caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur. Saepe dum (in corpore nostro) *hostem* insequimur, etiam *civem*, quem diligimus, trucidamus ; et saepe dum quasi concivi parcimus, ad praelium hostem nutrimus (*L.* 30. *Moral. c.* 18. *n.* 61, 62, 63. *P. L.* 76, 557). — Chorda in citharâ si minus tenditur, non sonat ; si amplius, raucum sonat, quia nimirum *virtus abstinentiae* aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomat, quantum valet ; aut valde inordinata est, si corpus atterit plus, quam valet. Per abstinentiam quippe *carnis vitia sunt exstinguenda, non caro ;* et tanto sibi quisque debet moderamine praeesse, ut et ad culpam caro non superbiat et tamen ad affectum rectitudinis in operatione subsistat (*L.* 20. *Moral. c.* 41. *n.* 78. *ibid.* 185).

S. Bonaventura : De *mensurâ* vero *comedendi* difficile est dare certam regulam, nisi quod *inter duo semper medium* teneas. Ne ita parum sumas, ut in viribus deficias, et, ne communi labore frangaris. Similiter nec ita multum sumas, ut propter multum cibum sumptum non possis orare vel legere vel agilis esse ad ea, quae praecipiuntur. Et inter ista propria *experientia est melior ministra* cum bonâ voluntate (*Spec. p.* 1. *c.* 31).

S. Fulgentius, Ep. Ruspens. (✠ 533) : Jejuniis sic est adhibenda *temperies*, ut corpus nostrum nec saturitas excitet nec inedia immoderata debilitet (*Ep.* 3. *c.* 13. *n.* 19. *P. L.* 65, 332).

S. Diadochus, Episc. Photicens. (saec. V) : Ut *corpus multo cibo onustum* languidam et segnem efficit mentem, sic *nimia continentia victûs* debilitatem facit, ut ea pars animae, quae in contemplatione versatur, in moestitiâ sit et in fastidio sermonis. Oportet igitur ad motiones corporis cibos etiam accommodare, ut, dum corpus valet, quantum conveniat, castigetur, dum vero non valet, moderate leniatur. Nec enim infirmo corpore esse debet, qui certat, sed ita firmo, ut sustinendo certamini par esse possit, ut anima etiam laboribus corporis convenienter purgari queat (*De spirituali perfectione P. G.* 65, 1181).

Digitized by Google

Jejunia moderata.

S. Hieronymus : *Jejunia moderata* sint, ne debilitent stomachum et majorem refectionem poscentia erumpant in cruditatem, quae parens libidinum est (*Ep.* 125. *n.* 7. *P. L.* 22, 1075). — Sic debes *jejunare*, non ut palpites et respirare vix possis et comitum tuarum porteris vel traharis manibus ; sed ut, *fracto corporis appetitu*, nec in lectione, nec in psalmis nec in vigiliis solito quid minus facias (*Epist.* 130. *n.* 11. *ibid.* 1116). — *Parcus cibus* et venter semper esuriens triduanis jejuniis praeferendus est et multo *melius est quotidie parum, quam raro satis sumere.* Pluvia illa optima est, quae sensim descendit in terram. Subitus et nimius imber in praeceps arva subvertit (*Epist.* 54. *n.* 10. *ibid.* 555).

Indiscretionis damnum.

S. Hildegardis : Cum homo carnem suam *moderate* pascit, laetos et mansuetos mores habet ; sed cum in *nimietate ciborum* et conviviorum vivit, unumquodque nocivum vitium in se pullulare facit. Qui autem per *immoderatam abstinentiam* corpus macerat, semper iratus vadit (*Epist.* 115. *P. L.* 197, 336). — *Incongrua abstinentia*, quae non habet justum modum et rectum statum, prosternit carnem hominis, quia non datur ei viriditas justae refectionis. Unde etiam homo arescit. Ubi hoc est, certe ibi *peribunt* volatiles virtutes, scilicet *humilitas et caritas* pulcherrimorum florum, quoniam *nimia abstinentia caret viriditate virtutum ;* sed ibi crescit ventosa fama inutilitatis ibique insurgunt multi errores, quasi sancti sint, et sancti non sunt (*Epist.* 98. *ibid.* 320).

S. Thomas Aquin.: *Maceratio proprii corporis* non est Deo accepta, nisi sit *discreta ;* ut scilicet concupiscentia refrenetur et natura non nimis gravetur (*II. II. quaest.* 88. *art.* 2. *ad* 3).

Maceratio carnis cum humilitate, obedientiâ et discretione fiat.

S. Bernardus : Convenit, ut (maceratio carnis) fiat *occulte, licentiose, discrete.* Teneros artus tuos et exquisitis educatos deliciis diuturno confringe martyrio, ut tanto te noveris a licitis abstinere, quanto memineris illicita perpetrasse. Hoc autem *occulte* faciendum est, ut « *nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua* » (*Matth.* 6, 3). Non enim est in ore hominum tanti boni reponenda custodia, sed in absconso

Digitized by Google

cordis tui, ut sit gloria tua testimonium conscientiae tuae (2 *Cor.* 1, 12). Nec hoc dicimus, ut non luceat lux tua coram hominibus, ut glorificent Patrem tuum, qui in coelis est (*Matth.* 5, 16); sed ne intentionem tuam in vilis gloriae brevitate recondas. Nihil enim infelicius est, quam hic carnem macerare jejuniis, vigiliis affligere, et hic accipere gloriam, illic gehennam. *Licentiose* vero facienda est, quia quidquid fit pastoris licentiâ, gratiosius est in conspectu Dei; et illam hostiam singulariter accipit Altissimus, quae non est de propriae sententiâ voluntatis, sed de praecipientis offertur imperio. Multum enim valet ad refellendam superbiam propriae voluntatis exclusio; quam exstirpare non potest, qui mundi hujus diligit vanitatem. *Discretio* autem in hâc districtione tenenda est, ne dum nimis flagellare cupimus, salutem perdamus; et dum hostem subigere quaerimus, civem occidamus. Considera corpus tuum et corporis tui possibilitatem; intuere carnis complexionem; impone modum tuae districtioni. Custodi corpus tuum incolume ad obsequium Creatoris. Multos vidimus ita in principiis carnem suam verberasse et discretionis infregisse repagula, ut inhabiles laudum solemniis redderentur et apparatu lautiori diuturnis foverentur temporibus (*Serm.* 40. *de divers. n.* 7. *P. L.* 183, 651).

S. Hieronymus: Cave, ne si *jejunare* aut abstinere coeperis, te putes esse jam sanctam; haec enim virtus *adjumentum est, non perfectio sanctitatis* (*Epist.* 148. *ad Celant. n.* 22. *P. L.* 22, 1214).

Sit alacris mortificatio et poenitens.

B. Rhaban. Maurus: Verbum Dei est gladius, qui illum noxium sanguinem, quo animatur materia peccatorum, salubriter fundens, quidquid repererit in membris nostris carnale terrenumve concretum, resecat et abscindit ac *mortificatos vitiis, vivere Deo* et spiritalibus facit vigere virtutibus. Et ita jam non recordatione veteris admissi, sed spe futurorum flere incipiet gaudiorum, nec tam de praeteritis malis, quam *de venturis cogitans bonis*, nec ex peccatorum moerore *lacrymas*, sed *ex aeternae illius laetitiae alacritate profundit;* atque obliviscens ea, quae posteriora sunt, i. e.

Digitized by Google

carnalia vitia, *ad ea, quae inante sunt, extendetur*, h. e. spiritalia dona ac virtutes (*L.* 15. *sup. Jerem. c.* 48. *v.* 10. *P. L.* 111, 1116).

Dionysius Carthus. : Quae carni molestiora sunt, elige (*In exhortat. ad Novit. artic.* 8). — Disce te frangere, assuesce subjectione et abjectione gaudere ac *castigationibus gloriari* (*Sup. hymn. temp. feriali ad Matut.*).

Spiritus poenitentiae.

S. Augustinus : Nihil aliud agit, quem *veraciter poenitet*, nisi ut id, quod male fecerit, impunitum esse non sinat (*Epist.* 153. *c.* 3. *n.* 6. *P. L.* 33, 655).

S. Joan. Chrysostomus : Oportet nos unumquodque *peccatum*, majus aut minus, quasi in libro, ita *in corde nostro habere descriptum*, idque frequenter recensere et ante oculos ponere et tanquam haec nuper commissa lugere. — Tantum boni confert *meminisse frequentius hominem peccati sui*, ut etiam *Paulum* Apostolum videamus ea, quae jam abolita fuerant et deleta, adducere in medium, et, cum culpam de praesentibus non haberet, tamen quoniam *recordationem peccatorum* et *luctum gemitumque sciebat animae prodesse*, etiam illa commemorat, quae per ignorantiam commissa gratia baptismi et confessio fidei aboleverat (*De compunct. cord. l.* 2. *n.* 6. *P. Gr.* 47, 421).

S. Basilius M. : Fuimus per peccatum laesi; per *poenitentiam* sanemur; poenitentia autem sine *jejunio* iners et infrugifera est (*Hom.* 1. *de jejun. n.* 3. *P. Gr.* 31, 167).

Exterior poenitentiae habitus.

S. Isidorus Hispal. : Peccati pudore oculos tuos attollere erubesce; incede depositâ facie, abjecto vultu, moesto ore, perculso corde, lugubri veste, sacco involutus, opertum cilicio corpus, semper lugens, semper moerens, semper suspiria cordis emittens (*Synonym. l.* 2. *n.* 23. *P. L.* 83, 850).

Verus poenitentiae spiritus.

S. Bernardus : *Verus poenitens semper in labore et dolore* est, dolet de praeteritis, laborat pro futuris cavendis (*L. Medit. c.* 4. *in app. n.* 13. *P. L.* 184, 493). — Qui *veraciter poenitet*, laborem poenitentiae non abhorret; sed quidquid

Digitized by Google

sibi pro culpâ, quam odit, injungitur, tacitâ conscientiâ patienter amplectitur (*De grad. hum. c.* 18. *n.* 47. *P. L.* 182, 967). — Necessaria sunt *poenitentiae tria* haec : *abstinentia, lectio, oratio* (*Sentent. n.* 27. *in app. P. L.* 184, 1141). — *Poenitudo* sine *correctione* non proderit; in poenitudine mens accenditur, in correctione ardet (*Serm.* 3 *de Vigil. Nativ. n.* 4. *P. L.* 183, 96).

S. Thomas Aquin. : *Interior poenitentia* est, quâ quis dolet de peccato commisso. Et talis poenitentia debet durare usque ad finem vitae; semper enim debet homini displicere, quod peccavit (*III q.* 84. *art.* 8).

S. Hieronymus : *Poenitentia non amat delicias;* sed diebus et noctibus orat, vigilat, jejunat, jacet in sacco, non in plumâ, non in serico (*Breviar. in Ps.* 93. *v.* 20. *in app. P. L.* 26, 1176).

Verae poenitentiae laus.

Hugo a S. Vict. : Dum vinceris, vincis; dum cruciaris, crucias; dum vulneras, sanas; *dum salubriter succumbis, gloriose triumphas.* Tu solâ *poenitentiâ*, ceteris silentibus, thronum gratiae conscendis, *David* reconcilias, *Petrum* restituis, *Paulum* illuminas, *publicanum* Apostolorum inseris choro, *Mariam* de prostibulo jungis Christo; *latronem* inseris paradiso (*Sup. Joël. c.* 2. *v.* 19. *P. L.* 175, 349).

S. Bonaventura : Aut continui dolores *poenitentem vitam*, aut aeterni cruciatus vexabunt puniendam animam (*Serm.* 1. *Dom.* 1. *Quadr.*). — Vere non est vera, sed *falsa poenitentia*, imo nec poenitentia est nominanda, ubi nulla sunt aspera, sed dulcia universa (*Serm. de S. Joan. Bapt.*). — Vere homo et non ficte debet *se pro peccato punire medici more*, qui aegroto non parcit, ut sanari possit (*Serm. de plur. Mart.*).

Ludovicus Blosius : *Optima poenitentia* atque praeclara est, mentem humilem habere et voluntatem ab omni peccato atque ab omnibus, quae impedimentum amori divino afferunt, avertere eamque integre ad Ipsum Deum convertere (*De Instit. spirit. c.* 8).

Petrus Blesens. : *Poenitentia* est *secunda tabula post naufragium*, coelorum scala, reconciliatio pacis, acquisitio

Digitized by Google

vitae, vitiorum abolitio, corporum custodia, medicina spirituum (*Tract. de Hierosol. peregrin. P. L.* 207, 1065).

S. Petrus Damian. : O quam clarum *poenitentiae jubar*, quod noctem peccati removet (*Serm.* 71. *de Dedic. Eccl. P. L.* 144, 908).

Mortificatio ex amore Christi pro nobis passi.

S. Hieronymus : Omnia dura videbuntur ei, qui non amat Christum. Qui autem omnem saeculi pompam pro purgamento habuerit et vana duxerit universa sub sole, ut Christum lucrifaciat; qui commortuus est Domino suo et consurrexit, et crucifixit carnem cum vitiis et concupiscentiis, libere proclamabit: « *Quis nos separabit a caritate Dei? an tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* » Et iterum: « *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Potestates, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque excelsum, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo* JESU *Domino nostro* » (*Rom.* 8. 33. *et seq.*). Dei Filius pro nostra salute hominis factus est filius. Novem mensibus in utero, ut nascatur, exspectat; fastidia sustinet; cruentus egreditur; pannis involvitur; et Ille pugillo mundum includens praesepis continetur angustiis. Taceo quod usque ad triginta annos ignobilis, parentum paupertate contentus est; verberatur et tacet; crucifigitur et pro crucifigentibus deprecatur. « *Quid igitur retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Pretiosa est in conspectu Domini* (*Ps.* 115. *v.* 5, 6). Haec est sola digna retributio, cum sanguis sanguine compensatur, et, redempti cruore Christi, *pro Redemptore libenter occumbimus.* Quis Sanctorum sine certamine coronatus est? *Abel* justus occiditur; *Abraham* uxorem periclitatur amittere. Et ne in immensum volumen extendam, quaere et invenies singulos adversa perpessos. Solus in deliciis *Salomon* fuit, et forsitan ideo corruit : « *Quem enim diligit Dominus, corripit. Castigat autem omnem filium, quem*

Digitized by Google

recipit » (*Prov.* 3, 12). Nonne melius est brevi tempore dimicare, ferre vallum, arma sumere, lassescere sub loricâ, et postea gaudere victorem, quam impatientiâ unius horae servire perpetuo ? *Nihil amantibus durum* est, nullus difficilis cupienti labor est. Respice, quanta Jacob pro Rachel, pactâ uxore, sustinuit. « *Et servivit*, inquit Scriptura, *Jacob pro Rachel annis septem. Et erant in conspectu ejus quasi dies pauci, quia amabat illam* » (*Genes.* 29). Unde et ipse postea memorat : « *In die urebar aestu, et gelu nocte* » (*Genes.* 31, 40). Amemus et nos Christum Ejusque semper quaeramus amplexus, et facile videbitur omne difficile; brevia putabimus universa quae longa sunt; et jaculo Illius vulnerati, per horarum momenta dicemus : « *Heu me, quia peregrinatio nea prolongata est a me!* (*Ps.* 119, 2) *Non sunt enim condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* » (*Rom.* 8, 18). « *Quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes autem non confundit* » (*Epist.* 22. *n.* 39 *et* 40. *P. L.* 22, 423).

S. Ambrosius : Miseriis afflictus est Christus, ut beatos faceret homines, qui erant in miseriis constituti. Curvatus est Ille, ut nos erigeremur; contristatus est Ille, ut nos laetificaret. Curvemur et nos usque in finem, i. e. non solum Christo fidem, sed etiam passionum nostrarum perseverantiam deferentes, et gaudeamus in passionibus nostris, sicut et Christus gaudebat in passionibus suis. Quas Ille suscipiebat pro servulis suis, nos subeamus pro Domino (*Enarr. in Ps.* 37. *n.* 32. *P. L.* 14, 1025).

S. Augustinus : Si *Passio Redemptoris* ad mentem reducitur, nihil tam durum, quod non aequo animo toleretur (*De conflict. vit. et virt. c.* 9 *in app. P. L.* 40, 1096). — Nihil tam salutiferum nobis est, quam quotidie cogitare, *quanta pro nobis pertulit Deus* et homo (*Serm.* 32 *ad frat. in Erem. in app. ibid.* 1793). — Christianus est, qui non aspernatur viam Christi, sed vult *viam Christi sequi per passiones Ipsius.* Noli per aliam viam velle ire, quam per illam, quâ Ipse ivit. Dura videtur, sed ipsa est *tuta via.* Alia forte delicias habet, sed

Digitized by Google

latronibus plena est. Per dura ambulavit, sed magna promisit. Sequere! Noli tantum attendere, quâ iturus, sed et quo venturus sis. Tolerabis dura temporalia, sed ad laeta pervenies sempiterna (*In Ps.* 36. *Serm.* 2. *n.* 16. *P. L.* 36, 373). — *Tuta* et *firma requies* est infirmis et peccatoribus *in vulneribus Salvatoris*. Securus illic habito; patent mihi viscera per vulnera. Quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei; quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt foramina, per quae effluant... Per has rimas licet mihi gustare, quam suavis est Dominus Deus meus. *Copiosa redemptio* data est nobis *in vulneribus* JESU Christi Salvatoris nostri, magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiae et perfectio virtutum. Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, *recurro ad vulnera Christi*. Cum me premit caro mea, *recordatione vulnerum* Domini mei resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, *fugio ad viscera misericordiae Domini* mei et recedit a me. In omnibus adversitatibus non invenio tam efficax remedium, quam *vulnera Christi;* in illis dormio securus et requiesco intrepidus. « *Christus mortuus est pro nobis.* » Nihil tam est ad mortem, quod morte Christi non salvetur. Tota spes mea est in morte Domini mei. Mors Ejus meritum meum, refugium meum, salus, vita et resurrectio mea. Quanto Ille potentior est ad salvandum, tanto ego securior (*Manuale c.* 21 *et* 22 *in app. P. L.* 40, 960).

Refectio in vulneribus Christi.

Christi mors.

Ernaldus, Abb.: Da nobis Domine, ut simus sine angariâ bajuli crucis tuae et comprehendamus cum omnibus Sanctis, quid latitudo, quid longitudo, quid sublimitas, quid profundum hujus ligni significet, quo conspecto, non noceat nobis neque mordeat coluber solitudinis, sed incolumes per omnia sequamur Te, Tecum parvuli simus, Tecum circumcidamur, Tecum baptizemur, Tecum jejunemus, Tecum lotis pedibus panem Angelorum edamus, Tecum crucifixi mundo vivamus, Tecum Spiritu S. repleti, et corpore et spiritu in aeternum maneamus, qui vivis et non ultra morieris in saecula saeculorum (*De card. op. Chr. c.* 9. *P. L.* 189, 1062).

Digitized by Google

Basilius Seleuciensis Episc. (✠ *c.* 459) : Via ad salutem passio, et crux regni conciliatrix (*Orat.* 31. *n.* 3. *P. G.* 85, 385).

Contemplatione Passionis et vulnerum Christi omnia dulcescunt.

S. Bernardus : *In Passione Christi tria* specialiter convenit intueri : *opus, modum, causam.* Nam in opere *patientia*, in modo *humilitas*, in causa *caritas* commendatur (*Serm. fer.* 4. *hebd. sanctae. n.* 2. *P. L.* 183, 263).— Pudeat sectari gloriam *membra*, quibus *caput* suum tam inglorium exhibetur. Pudeat *sub spinato capite membrum fieri delicatum* (*Serm.* 5. *de omnib. Ss. n.* 9. *ibid.* 480). — Quid tam amarum, quod in *recordatione vivificae Passionis* non possit dulcescere ?..... Vere nihil est, quod ita ab omnium vitiorum impulsu et contagione cogitationem nostram purificet et in puritate conservet, sicut *jugis memoria Passionis* Domini JESU (*L. de Pass. Dom. c.* 44. *n.* 154. *in append. P. L.* 184, 728). *In vulneribus Christi* justitiae mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiae, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursum suavis unctio consolationis ; haec me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt, et inter laeta tristiaque vitae praesentis, viâ regiâ incedenti, *tutum praebent utrobique ducatum*, hinc inde mala imminentia propulsando. Haec mihi conciliant mundi judicem, dum tremendum potestatibus mitem humilemque figurant, dum non solum placabilem, sed et imitabilem praesentant eum, qui inaccessibilis est principatibus, terribilis apud reges terrae (*Serm.* 43. *in Cant. n.* 4. *P. L.* 183, 995). — Super omnia reddit amabilem Te mihi, JESU bone, calix, quem bibisti, opus nostrae redemptionis. Hoc omnino amorem nostrum facile vindicat totum sibi. Hoc est, quod nostram devotionem et blandius allicit, et justius exigit, et arctius stringit et afficit vehementius. Multum quippe laboravit in eo Salvator, nec in omni mundi fabricâ tantum fatigationis Auctor assumpsit. Illa denique « *dixit et facta sunt ; mandavit et creata sunt.* » At vero hic et in dictis suis sustinuit contradictores et in factis observatores et in tormentis illusores et in morte exprobratores.

Digitized by Google

Ecce quomodo *dilexit!*... Dilexit autem dulciter, sapienter, fortiter... *Disce, o christiane, a Christo*, quemadmodum diligas Christum. *Disce amare dulciter*, amare *prudenter*, amare *fortiter* (*Serm.* 20. *in Cant. n.* 2. *et* 4. *ibid.* 867). — Quis tam irreligiosus, qui non compungatur? Quis tam insolens, ut non humilietur?... Nempe adest Passio Domini usque hodie terram movens, petras scindens (*S. in f.* IV, *hebd. sanct. n.* 1. *P. L.* 183, 263).

Origenes: Est tanta vis crucis, ut, si ante oculos ponatur... nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superari possit invidia: sed continuo ad ejus praesentiam, totus ille peccati et carnis fugatur exercitus (*In ep. ad Rom. l.* 6. *n.* 1. (*c.* 6. *v.* 12.) *P. G.* 14, 1056).

S. Petrus Dam.: Nihil sic valet ad exstirpandas voluptatum radices, quam *recordatio vulnerum Christi*, qui stetit ante judicem, qui flagellatus est, consputus, qui coronatus spinis, qui colaphis caesus, qui suspensus in ligno, qui mortuus in cruce (*Serm.* 59. *P. L.* 144, 838).

Hugo a S. Charo, Card.: *Ex Christi Passione lux* aeterna acquiritur, anima satiatur, peccatorum vulnus curatur (*Sup.* 2. *Reg. c.* 15. *v.* 23).

S. Bonaventura: Nunquam potest diabolus melius vinci, quam in *memoriâ Christi* (*Serm. Dom.* 1). — *Memoria Passionis Christi armatura* est ad omnia diabolica tentamenta superanda (*Serm.* 4. *Dom.* 13. *p. Pent.*).

Theofridus, Abb. Epternacens. († 1110): Protestari salvâ fide praesumo, fiduciâ acceptâ per Spiritum S., quod *ex vivifico* et *salutari crucis patibulo*, quo primae praevaricationis vindicatum et expiatum est peccatum et mortis solutum chirographum, *salvatio* et *sanctificatio transfusa est in omne supplicium*, quo sancti et electi Dei, crucifigentes carnem suam cum vitiis et concupiscentiis, acceptabile et medullatum JESU CHRISTO crucifixo meruerunt in odorem suavitatis esse sacrificium. *Unigenitus Patris*, qui, donans nobis omnia delicta et delens quod adversum nos erat chirographum decreti nobis omnino contrarii, ipsum tulit de

Digitized by Google

medio, affigens illud cruci, de amaritudine suâ amarissimâ *dulcissimam dulcedinem transfudit in omnia acerbissima Sanctorum cujuscumque supplicii genera*, et carnis per illustrationem spiritus sanctificatae quantacumque et qualiacumque supplicia in corporum et animarum suavissima et saluberrima transtulit oblectamenta et remedia, ut, quasi immutato et converso naturae ordine, *omnes cruciatuum materiae*, electorum corporibus adhibitae, ardentius appetantur, quam exquisitissimae epulae, quam opulentissimae totius mundi deliciae (*Epitaph. Sanct. l.* 4. *c.* 4. *P. L.* 157, 395).

S. Passionis praeconium.

S. Thomas a Kemp.: Revera *Passio Christi* est thesaurus Dei absconditus, plenitudo omnis virtutis, perfectio religiositatis, summa totius sanctitatis (*Med.* 25 *de Christ. pass.*).— *Ex Passione Christi* diabolus vincitur et confunditur, infernus despoliatur, latro convertitur, mundus redimitur, coelum aperitur, Angelorum ruina restauratur (*Med.* 27. *c.* 4). *Passio Christi* ad memoriam reducta est incentivum divini amoris, doctrina patientiae, solatium in tribulatione, fuga dissolutionis, materia sacrae compunctionis, exercitium internae devotionis, exclusio desperationis, certa spes remissionis peccatorum, reconciliatio divinae districtionis, mitigatio anxiae turbationis, sustentatio durae increpationis, expulsio perversae cogitationis, repressio carnalis tentationis, informatio humilis subjectionis, consolatio corporalis aegritudinis, refutatio saecularis honoris, vituperatio abundantiae temporalis, consultatio voluntariae paupertatis, abdicatio propriae voluntatis, refutatio superfluae necessitatis, excitatio tepidae conversationis, inflammatio fervidae emendationis, impetratio gratiae amplioris, inductio coelestis consolationis, comprobatio fraternae compassionis, praeparatio divinae contemplationis, augmentatio futurae beatitudinis, alleviatio poenae praesentis, purgatio ignis sequentis (*Med.* 25. *de Pass. Chr. c.* 1). — *Pensa, quis* est, qui haec patitur, *a quibus* patitur, *quanta* patitur, *pro quibus* patitur, *quam longo tempore* patitur, *in quibus locis* patitur, *in quibus membris patitur* (*Med.* 27. *c.* 2). — *Altissimus* super omnes infra

Digitized by Google

deprimitur ; *nobilissimus* dehonestatur ; *speciosissimus* sputis inquinatur ; *sapientissimus* deridetur ; *potentissimus* ligatur ; *innocentissimus* flagellatur ; *sanctissimus* spinis coronatur ; *mitissimus* colaphizatur ; *ditissimus* depauperatur ; *largissimus* spoliatur ; *castissimus* denudatur ; *dignissimus* blasphematur ; *optissimus* vituperatur ; *doctissimus* fatuus reputatur ; *amantissimus* oditur ; *veracissimus* abnegatur ; *dulcissimus* felle potatur ; *benedictus* maledicitur ; *pacificus* molestatur ; *justus* accusatur ; *innoxius* condemnatur ; *medicus* vulneratur ; *Dei Filius* crucifigitur ; *immortalis* occiditur (*Med.* 27. *c.* 4).

V. Ludovic. Blosius : Sacratissimae *Passionis memoria* est praesens passionum et afflictionum inordinatarum exterminatio, opportunum tentationum refugium, tuta periculorum securitas, suave angustiarum refrigerium, amica laborum requies, facilis distractionum repressio, verum sanctitatis ostium, unicus contemplationis aditus, dulcis animae consolatio, indeficiens divini amoris incendium, omnium adversitatum condimentum, omnium virtutum fons, unde ad nos deriventur ; denique totius perfectionis absolutissimum exemplar, portus, spes, fiducia, meritum et salus omnium Christianorum (*Spec. mon. c.* 4).

Fructus s. mortificationis et poenitentiae.

Cassiodorus : Ista quaedam formula poenitentium est, ut *inchoent a lacrymis* et *desinant in laetitiâ* (*Sup. Ps.* 6. *v.* 11. *P. L.* 70, 65). — *O conditio beata poenitentium*, quae de reis efficis justos, de tristibus perenniter laetos, de mortalibus absolute perpetuos (*Sup. Ps.* 101. *in conclus. ibid.* 718).

S. Cyrillus Hierosol. : Quemadmodum aridum *lignum, aquâ participans, flores emittit*, sic et anima peccatrix *per poenitentiam* Spiritu Sancto digna reddita, justitiae racemos progenerat (*Catech.* 16. *n.* 12. *P. G.* 33, 934).

Ernaldus, Abb. Bonavallens. (✠ 1126) : Jejunium Scripturarum deliciis pascitur, contemplatione reficitur, gratiâ stabilitur, coelesti pane nutritur (*De cardin. operibus Chr.* 5. *P. L.* 189, 1635).

Digitized by Google

S. Joan. Chrysostomus: Poenitentia cor emundat, sensus illuminat, animos sanctificat, et ad susceptionem Christi praeparat humana praecordia (*Opus. imperf. sup. Matth. h.* 3. *P. G.* 56, 647). — *Poenitentia* est delictorum medicina, iniquitatum consumptio, lacrymarum impensa, ad Deum fiducia, adversus diabolum arma. *Poenitentia* est spes salutis et desperationis occasus. *Poenitentia* coelum aperit, in paradisum ducit, diabolum superat (*Hom.* 8. *de poenit. n.* 1. *P. G.* 49, 337). — *Poenitentia* medicamentum est peccatum exstinguens, donum coelitus datum, virtus admirabilis, gratia vim legum superans (*Hom.* 7. *de poenit. n.* 1. *ibid.* 323).

S. Isidorus Hispal.: *Poenitentia* est medicamen vulneris, spes salutis, quae non tempore pensatur, sed profunditate luctus et lacrymarum... *Lacrymae poenitentium* apud Deum *pro baptismate* reputantur (*De off. Eccl. l.* 2. *c.* 17. *n.* 2. *et* 6. *P. L.* 83, 802).

S. Bonaventura: *Fructuosa* utique et utilis est *actio poenitentiae* ad hominis expiationem, diaboli spoliationem, Angeli congratulationem, Dei venerationem (*Serm. in die Cinerum, in. Job.* 42). — *Agere poenitentiam fructuosum* est respectu hominis agentis, respectu diaboli irridentis, respectu Angeli gaudentis, respectu Dei retribuentis (*Serm.* 1. *Dom.* 1. *Quadrag.*).— *Poenitentia* Angelos laetificat, impium justificat, amissa bona revocat, vitam aeternam donat, poenam aeternam vitat (*Theolog. verit. l.* 9. *ep.* 22).

Joan. Gerson: Vis habere animae sanitatem, imo et corporis? Opus est tibi *sobrietate.* Vis placare Deum et de praeteritis peccatis salutarem agere poenitentiam? Sume *sobrietatem.* Vis servare justam tuam haereditatem in paradiso? *Sobrietas* necessaria est. Vis claudere portam omnibus vitiis? Amplectere sobrietatem (*Serm. Dom.* 1. *Quadrag.*).

S. Laurentius Justinianus: *Sobrietas* ab igne luxuriae protegit. — *Sobrietas* mentem regit, ne a sua soliditate deficiat (*Lign. vit. tract.* 11 *de sobriet. c.* 3).

Thomas a Kempis: *Ubi disciplina viget,* ibi major

Digitized by Google

pax et spiritualis profectus invenitur. *Ubi disciplina perit*, ibi dissolutio crescit, ibi vitia regnant et virtutes enervantur. *Ubi disciplina custoditur*, ibi adest gratia coelestis, ibi devotio floret, ibi lectio sapit, ibi meditatio dulcescit, ibi oratio fervet. — *Religiosus extra disciplinam vivens* gravi patet ruinae (*De discipl. claustr. lib.* 1. *c.* 1 *et* 25).

S. P. Benedicti mortificatio.

S. Birgitta (✝ 1373) : Mater Dei loquitur : Filia, scriptum est, quod, *qui quinque talenta acceperat, alia quinque lucratus est.* Quid enim est *talentum* nisi *donum Spiritus Sancti?* ..... Sic ille *bonus Abbas Benedictus* donum gratiae, quod acceperat, multiplicavit, quando omne contempsit quod transitorium erat, quando *carnem suam servire coëgit animae*, quando nihil praeposuit divitiae caritatis. Qui insuper timens, ne *aures* macularentur auditu inani, *oculi* visione delectabilium, fugit in eremum, imitans illum, qui nondum natus exsultando inter viscera materna cognovit adventum sui piissimi Redemptoris..... *Mundus erat ei mortuus*, et cor ejus totum plenum Deo.... Hujus beati viri *corpus* erat *quasi saccus terrae*, in quo claudebatur ignis Spiritus sancti, qui exclusit ab ejus corde diabolicum ignem..... Nam Spiritus calefacit animam ad quaerendum Deum, sed non comburit carnaliter; lucet etiam puritate modestiae, sed non obfuscat mentem malitiâ. Spiritus vero nequam comburit mentem ad carnalia et amaricat intolerabiliter. Offuscat quoque animam per inconsiderationem sui, et deprimit eam inconsolabiliter ad terrena (*Revel. l.* 3. *c.* 9).

Dulcis jejunii labor et mortificatio.

S. Ambrosius : Qualis haec vita, in quâ nihil sit, quod timeas; et quod imiteris, plurimum est? *Jejunii labor* compensatur mentis placiditate, levatur usu, sustentatur otio aut fallitur negotio ; non oneratur mundi sollicitudine; non occupatur alienis molestiis ; non urgetur urbanis discursibus (*Epist.* 63. *n.* 82. *P. L.* 16, 1211).

S. Augustinus : Nutrimentum caritatis est *imminutio cupiditatis ;* perfectio, *nulla cupiditas.* Quisquis igitur eam nutrire vult, instet imminuendis cupiditatibus (*Lib.* 83. *qu.* 36. *n.* 1. *P. L.* 40, 25). Quam *suave* mihi subito factum est, carere

Digitized by Google

suavitatibus nugarum; et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat! Ejiciebas eas, Domine, a me, vera tu et summa suavitas; ejiciebas et intrabas pro eis omni voluptate dulcior (*Confess. l. 9. c. 1. P. L.* 32, 763).

S. Hieronymus: Amaritudinem radicis *dulcedo* pomi compensat; pericula maris *spes* lucri delectat; dolorem medicinae spes salutis mitigat. Qui desiderat nucleum, pangit nucem; *poenitentiam agit, qui vult aeterno bono adhaerere* (*Sup. Marc. c. 1. v. 15. in app. P. L.* 30, 616).

Gaudium spirituale.

S. Gregorius Nazianzenus: *Nihil* mihi *fortunatius* eo homine videbatur, qui *clausus, compressisque corporis sensibus, atque extra carnem mundumque positus, in seque collectus*, nec nisi summâ necessitate impellente, quidquam rerum humanarum attingens, atque et secum ipse et cum Deo colloquens superiorem rebus in aspectu cadentibus vitam agit, divinasque species et imagines puras semper nec ullis terrenis et errabundis formis permixtas in se ipso circumfert, ac Dei rerumque divinarum purum omnino speculum est, in diesque efficitur, lucique lucem, obscuriori videlicet clariorem adjungit, ac jam futuri aevi bono fruitur et cum Angelis versatur, et licet adhuc in terris agens, terram deserit atque a Spiritu in coelo collocatur (*Or. 2. n. 7. P. Gr.* 35, 414).

Orationis et jejunii fructus.

S. Bernardus: *Jejunium* orationi devotionem et fiduciam donat .... *Oratio* virtutem impetrat jejunandi, et *jejunium* gratiam promeretur orandi. *Jejunium* orationem roborat, *oratio* jejunium sanctificat (*Serm. 4. Quadrag. n. 2. P. L.* 183, 176).

Delicata Dei consolatio:

S. Bonaventura: «*Renuat consolari anima*» tua in *alienis, si vis Dei amore delectari.* Delicata siquidem consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. Cujus mens ad alienas inhiat consolationes, et non penitus renuit in caducis et transitoriis consolari, ipse sibi profecto subtrahit coelestis gratiam consolationis. Errat omnino, si quis coelestem illam dulcedinem huic carni, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa Spiritus misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur (*Coll. 6. et 8*).

Digitized by Google

Ludovicus Blosius : Aderit, mihi crede, *aderit laboranti superna pietas*, et ubique benignissime subveniet, metuentem confortabit, vacillantem confirmabit, impulsum suscipiet, labentem apprehendet, lapsum eriget, moestum consolabitur. Infundet subinde *dulcedinis internae unguentum* pretiosissimum (*Spec. monach. c.* 1).

Patientiae laus.

S. Cyprianus : *Patientia* iram temperat, linguam frenat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis exstinguit. Coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet. Tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in maritatis individuam caritatem. Facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias mites. Tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones et martyria consummat (*De bono patientiae c.* 20. *P. L.* 4, 659).

S. Augustinus : *Patientia* comes est sapientiae, non famula concupiscentiae (*De patientia c.* 5. *n.* 4. *P. L.* 40, 613). — Intelligat homo *medicum esse Deum, et tribulationem medicamentum* esse ad salutem, non poenam ad damnationem (*Enarr.* 2 *in Ps.* 21. *n.* 4. *P. L.* 36, 173). — *Flagellat Deus omnem filium*, quem recipit; et tu forte exceptus eris? Si exceptus es a passione flagellorum, exceptus es a numero filiorum (*Serm.* 46. *n.* 11. *P. L.* 38, 276). — *Patientia* hominis, quae recta est atque laudabilis et vocabulo digna virtutis, ea perhibetur, quâ aequo animo mala toleramus, ne animo iniquo bona deseramus, per quae ad meliora perveniamus (*De patientiâ c.* 2. *n.* 2. *P. L.* 40, 611).

S. Gregorius M. : Cum *patientiae* virtutem apprehendere conamur, praecedentium exempla conspicimus. *Quid Isaac patientius, qui ligna portat, de holocausto interrogat, atque post paululum ligatur et non loquitur;* arae superponitur, et non reluctatur? (*Lib.* 27. *Moral. c.* 10. *n.* 17. *P. L.* 76, 408). — Radix omnium custosque virtutum *patientia* est (*Hom.* 35. *sup. Evang. n.* 4. *ibid.* 1262). — Ego virtutem pa-

Digitized by Google

tientiae signis et miraculis esse majorem credo (*L.* 1. *Dialog. c.* 2. *P. L.* 77, 161).

S. Ephrem : *Miser et infelix, qui patientiae expers est!* Est enim in adversis pusillanimus ; in bello facile capitur ; praecipientibus resistit; in orationibus piger, in vigiliis dissolutus, in jejuniis tristis, in servandâ continentiâ negligens, in responsis cunctabundus, in actionibus improbus, in malitiâ invictus, in mandatis imperiosus, in altercationibus vehemens, in quiete ac silentio impotens (*Serm. de virtut. et vitiis ; tom.* 1. *p.* 6).

Joan. Chrysost. : *Patientia* omnium bonorum est causa, universae philosophiae radix, scutum inexpugnabile, turrisque firma (*Hom.* 33 *sup. ep.* 1 *ad Cor. n.* 1. *P. Gr.* 61, 276).

Dionysius Carth. : *Patientia* praecipue est necessaria Christiano, volenti pacem cordis habere et Deo tranquillâ mente servire (*Sup. Epist. ad Hebr. c.* 10. *art.* 10).

Patientia fortitudinis socia, non tristitiae.

S. Thomas Aquin. : Dicendum, quod *actus fortitudinis* non solum consistit in hoc, quod aliquis in bono persistat contra timores futurorum periculorum ; sed etiam, ut non deficiat propter praesentium tristitiam sive dolorum ; et ex hac parte *habet affinitatem cum fortitudine patientia.* Et tamen *fortitudo* est principaliter contra timorem, ad quorum rationem pertinet fugere, quod vitat fortitudo. *Patientia* vero principalius est circa tristitias. Nam *patiens* dicitur aliquis non ex hoc, quod non fugit, sed quod laudabiliter se habet in patiendo, quae praesentialiter nocent, ut scilicet non inordinate ex eis tristetur (*II. II. qu.* 136. *art.* 4 *ad* 2). — Inter alias passiones *tristitia* efficax est ad impediendum bonum rationis, secundum illud (*II. ad Cor.*) : « *Saeculi tristitia mortem operatur,* » et (*Eccli.* 30) : « *Multos occidit tristitia et non est utilitas in illâ.* » Unde necesse est, habere aliquam virtutem, per quam bonum rationis conservetur contra tristitiam, ne scilicet ratio tristitiae succumbat. Hoc autem facit patientia (*II. II. qu.* 136. *art.* 1).

Patientiae fructus, pax,

Thomas a Kempis : Quanto quis *patientior* fuerit, tanto majori pace perfruetur (*De trib. tabernac. c.* 3. *sect.* 13).

Digitized by Google

Imit. Christi : Sine certamine non potes venire ad *patientiae coronam;* si pati non vis, recusas coronari (*Lib.* 3. *c.* 19).

S. Laurentius Justin. : Tunc est quisque vere patiens, quando ipsum *amat, quem persecutorem patitur;* nam tolerare et odisse non est virtus patientiae, sed velamen furoris (*De ligno vitae tract.* 5. *c.* 2). *Amat persecutorem.*

Tertullianus : *Patientia* fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, poenitentiam exspectat, carnem regit, spiritum servat, linguam frenat, manum continet, tentationes conculcat, scandala pellit, martyria consummat, pauperem consolatur, divitem temperat, infirmum non extendit, valentem non consumit, fidelem delectat, gentilem invitat, feminam exornat, virum approbat, laudatur in juvene, suscipitur in sene (*De patientia c.* 15. *P. L.* 1, 1383). *Patientia virtutum summa.*

Cassiodorus, Abb. Vivariensis (✠ 560) : *Patientia* est, quae gloriosos martyres facit, quae fidei nostrae bona custodit, quae omnia vincit adversa, non colluctando, sed sustinendo, non murmurando, sed gratias agendo. *Haec* deceptricem luxuriam comprimit, iram fervidam vincit, vastatricem humani generis invidiam tollit, mansuetos efficit, benignis competenter arridet, purgatosque homines ad illa praemia futura componit. *Ipsa* est, quae faecem totius voluptatis abstergit; ipsa est, quae limpidas animas reddit. *Per ipsam* Christo militamus, per ipsam diabolum vincimus, per ipsam beati ad coelorum regna perveniunt; scriptum est enim : « *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras* » (*Luc.* 21, 19). (*Expos. in Ps.* 32. *v.* 20. *P. L.* 70, 231).

S. Augustinus : *O Felix spes* coelestis, tu timorem saeculi expugnas, consolationes mundanas exstirpas... cogitationes dirigis. — *O spes*, tu omnia portare facis dulciter et suaviter! Eja ergo, fratres, hanc amate, hanc tenete! *Non tamen sine timore;* quia, qui sperat et non timet, negligens est; qui autem timet et non sperat, depressus est et descendit in profundum quasi lapis (*Serm.* 10. *ad fratr. in eremo in* *S. Spei praeconium.*

Digitized by Google

app. P. L. 40, 1252). — *Spes* nostra tam *certa est*, quasi jam res perfecta sit; neque enim timemus, promittente Veritate. Veritas enim nec falli potest nec fallere (*In Ps.* 123. *n.* 2. *P. L.* 37, 1640).

S. Basilius M. : Beatus ille est, qui ab omni spe rerum hujus mundi semetipsum abstraxit, ac unicam *spem suam Deum habet!* Quemadmodum enim maledictus est homo, qui spem habet in homine; ita *benedictus, qui innititur Domino* (*Comm. in Is. c.* 10. *v.* 20, *n.* 245. *P. Gr.* 30, 550).

S Gregorius M. : *Spes* coelestium mentem consolidat, ne concutiatur fluctibus tumultuum terrenorum (*L.* 2. *hom.* 5 *in G. n.* 14. *P. L.* 76, 994). — Tanto *spes in Deum* solidior surgit, quanto pro illo quisque graviora pertulerit (*Lib.* 10. *Moral. c.* 19. *n.* 36. *P. L.* 75, 941). — Sancti viri sic *de spe certi* sunt, ut tamen semper de tentatione suspecti (*L.* 20. *c.* 3. *n.* 8. *P. L.* 76, 140). — *Quo plus caro premitur, eo de coelesti spe animus securius laetatur* (*Moral. l.* 31. *c.* 38. *n.* 77. *ibid.* 615).

S. Joannes Clim. : *Spes* est incertarum divitiarum opulentia; *spes* est indubitatus ante thesaurum thesaurus (*Scala parad. grad.* 30. *P. Gr.* 88, 1159).

Spes in virtute.

S. Bernardus : *Spes est in virtute, quasi scintillatio in fomite.* Sine fomite durare non potest scintillatio, — subtrahe fomitem, interit, emoritur; subministra, vivet. — Haud secus spes ruit sine fundamento, sine pabulo moritur, inediâ deficit, exstinguitur sine nutrimento, arescit succisâ radice (*Sermo* 1. *sup. Salve Regina. n.* 6. *in app. P. L.* 184, 1064).

Spei comites et fructus.

Hugo a S. Vict. : *Spei comites* sunt : Contemplatio supernorum, gaudium, modestia, confessio, patientia, compunctio, longanimitas (*De fruct. carn. et spirit. c.* 17. *int. dub. P. L.* 176, 1004).

S. Thomas Aquin. : *Sicut anchora* in mari navem immobilitat, ita *spes* animam firmat in Deo (*Sup. Ep. ad Hebr. c.* 6. *l.* 4. *v.* 19).

S. Laurentius Justin. : Futurorum *spes* laborantibus et sub pressuris praesentis vitae desudantibus requiem

Digitized by Google

parit. — In agone positis dolorem mitigat *spes* coronae. — *Spes est quasi columna*, quae totum spirituale aedificium sustentat, quâ deficiente aedificium corruit et in barathrum desperationis concidit. — *Spes anchora* est animae eam servans, ne procellis tentationum irrumpatur. — *Gemma speciosissima* et gratissima spes est, quae ad modum gemmae perlucida est et pervia in suo interiori (*De ligno vitae, Tract.* 8. *c.* 2).

Mortificata religiosorum vita.

Petrus Blesens. : *Vitam Religiosorum totâ cordis affectione veneror* ipsorumque pedes brachiis devotissimae humilitatis amplector. Scio enim, quia prae cunctis saecularibus, et clericis et laicis, tanto differentius virtutum titulos referunt, quanto impressioribus vestigiis Apostolorum regulis inhaeserunt... Hi carnem deprimunt, spiritum erigunt, vitam in terrâ ducentes Angelicam, Christo militant in tenuitate ciborum, in asperitate vestium, in vigiliarum excubiis, in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, in confessionibus, in disciplinis et lacrymis, in coelestium suspiriis (*Invect. in depravat. P. L.* 207, 1116).

Digitized by Google

Quintum Elementum.

Labor in s. obedientiâ injungendus.

Homo ad laborem natus — Ora et labora — Iniquitas otiosi monachi — Labor bona gignit — Otiositas mater vitiorum — Monasticus labor — Monachi et fratres laici — Manuum opus monachi — Studium — S. Scriptura, Theologia, Philosophia, artes — Laborandum cum simplici ac pura intentione — Laete, strenue, discrete — Temporis pretium — Labor in s. obedientia perficiendus — SS. P. N. perfectae magister obedientiae — Palmare votum — Propria voluntas — S. obedientiae fructus — Exemplum J. Chr. — Obedientia sancta, simplex, prompta, perfecta, hilaris, fortis — Monacho dulcis.

Declaratio.

Monachus Dei tam servus, quam filius.

Monachus, tanquam praecipuus Dei domesticus ac filius quam maximam jure debet similitudinem divinae, quae quidem purus actus est, vitae referre. Est enim gratiâ quidem filius, sed naturâ servus famulusque Creatoris, qui, quoties monasticam condit familiam, instar evangelici patrisfamilias, "*exit conducere operarios*" (Matth. 20, 1). Nec mirum illud quidem est. Etenim "*homo nascitur ad laborem*" sicuti "*avis ad volatum*" (Job 5, 7); et "*tulit Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso*

Homo ad laborem natus.

Digitized by Google

voluptatis, ut operaretur illum" (Gen. 2, 15). Ergo **operandi lex** divinitus est in eum sancita finem, ut laborans homo tum corporis animique vires exerceat, confirmet, adaugeat, tum ipsum Creatorem, cujus imaginem exprimit, imitetur Eique creaturae quasi tributa solvat. Quod quidem laborandi munus, jucundum primitus atque honorificum, per peccatum in poenam sic conversum est, ut " *in sudore vultus sui*" homo deinceps vesceretur pane suo. Unde jugum evasit atque onus cunctis impositum, quod, quamquam Salvator noster suave reddidit ac leve, honore ejus non solum restituto, sed etiam aucto, auferre tamen non voluit.

Laboris ratio et finis.

Operandi munus in poenam conversum.

Quae quum ita sint, tantum abest, ut liceat monacho ab operâ vacare, ut sanctioribus potius vinculis obstrictus illâ teneatur, quia singulari prorsus ratione in Domini sese servitutem mancipavit et, quanto plus talentorum accepit, tanto plus fenoris debet lucrari. Hinc vetus clarissimaque illa monachorum tessera: *Ora et labora!* Opus Dei atque opus laboris, en duplex Dominici servitii ratio, in Maria ac Martha adumbrata, sive alae duae, quae ad altissimam attollunt perfectionem. Eo enim, quod monachus, mortali hâc infirmitate depressus, nondum continuâ potest precatione vel contemplatione supremum amplecti bonum, oportet eum ita orationem operâ sapienter distinguere,

Monachus homo laboris.

Ora et labora.

Oratio et operatio se invicem juvant.

Digitized by Google

ut haec illi vigoris, illa huic benedictionis semper novum afferat incrementum. Ita certo fiet, ut anima, operatione *purgata*, sanctius meditatione *illuminetur* et oratione Deo *uniatur*. Adde his, quod laboriosus monet Apostolus: "*Si quis non vult operari, nec manducet*" (2 Thess. 3, 10); quamobrem "*neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et in fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus*" (v. 8).

Qui non operatur, nec manducet.

Otiosi iniquitas monachi.

Rectissime quidem. Nam otiosus quilibet, quum ab officio decedat quotidianum victum comparandi, gravius tamen delinquit, si religiosus est; quoniam toti, in quam receptus est, familiae monasticae et ignominiam inurit et onus molestiamque addit, vere fur et parasitus, culex fratrum dorsis insidens eorumque vivens sudore, vel cadaveris denique instar ad nihil aptus, nisi ut defodiatur. Istius speciem reddit "*ficus*," cui, quum nihil haberet praeter folia, Dominus maledixit, ut "*arida fieret a radicibus*" (Marc. 11, 13-21). Agedum, dilecte mi frater, expendamus, quot ex labore fructus crescant et contra, quae e pigritiâ gignantur mala.

Labor naturam domat vitatque mala.

Primum quidem *labor* corpus animumque in ditionem redigit gratiae, nullum temporis punctum relinquens, quo liceat naturae ad malum propensae sibi ipsi vacare. Hinc mirum prorsus est, quantum redundet momenti ad

Digitized by Google

exstirpanda vitia peccataque praecavenda et ad effugiendas, quotquot diabolus machinatur, insidias. Contra *otiositas* inimica est et animae et corporis. Parit enim libidinem, nutrit gulam omniaque e suo et tentatoris quasi connubio vitia generat. Operans, ait quidam, quum uno pulsetur daemone, innumeris otiosus devastatur. Et propheta: "*Ecce*, inquit, *haec fuit iniquitas Sodomae: superbia, saturitas panis et abundantia, et* **otium** *ipsius*" (Ez. 16, 49). Nam, ut incultus ager spinis horret et urticis, sic desidiosa anima omnibus paene malis, flagitiis, turpitudinibus tentationibusque patet. Quae quidem haud dispar est vel otioso ferro, rubigine corrupto, vel aquae stagnanti, quae foedo putredinis odore implet omnia. Quum torpescens enim dormiat homo, "*venit inimicus ejus et superseminat zizania*" (Matth. 13, 25).

Otiositas vitiorum genitrix.

Jam vero assiduus labor, ut fugat vitia, ita virtutes parit ac propugnat cumulumque exstruit honoris, gaudii et meritorum. Nimirum "*anima operantium impinguabitur*" (Prov. 13, 4); et, qui semen laboris spargunt, "*venientes venient cum exultatione, portantes manipulos suos*" (Ps. 125, 6). Amplissimus autem, quem fert industria, fructus est: illuminatio mentis, tranquilla animi pax ac fiducia, unio fraterna et caritas. Operoso quippe monacho nihil gratius, placidius, serenius, felicius. Cui conferas,

Labor multorum fons bonorum.

Digitized by Google

Otiosus omnibus spoliatus meritis perit.

quaeso, *desidiosum*, otio ac socordiâ diffluentem. Servus est nequam, cujus anima in dies magis segnitie marcescit, omnibus paulatim et meritis defraudata et repleta damnis, quippe quam, vitâ hâc inglorie transactâ, horribile perstricturum sit judicium : "*Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores*" ! (Matth. 25, 30). Sed de his satis est dictum.

Cujus generis labor monachi.

Jam, *cujusnam generis* sit *labor monachi*, dispiciamus. Omnino nulla sive manualis sive intellectualis opera, quemadmodum ex monasticâ lege liquet et traditione, monacho potest dedecori esse vel inhonesta, modo ne repugnet fini Religionis. Sic enim Ipsius ratio Creatoris instituit, ut homo, qui ex corpore constat et animo, utriusque vires excolat. Nec quisquam facile ignorat, initio monachos prope omnes laicos fuisse, quorum unus tantum alterve, prout res postulabat, sacris initiabatur ordinibus.

Monachi primo fere omnes laici.

Procedente autem tempore, praecipue a nono deinceps saeculo, quo se monachi, et sacris literis et virtutibus ornati, aptiores praestabant ad ecclesiastica officia, eo vehementius s. Ecclesia id contendebat, ut ad sacerdotium provecti etiam sacrosancto altaris ministerio animarumque saluti consulerent. (1)

Postea ordo monasticus in sacerdotalem mutatus.

1. Jam *S. Siricius Pp.* (✝ 398) ad Himerium episcopum Tarraconensem a. 385 scripsisse traditur : "Monachos quos morum gravitas et vitae ac fidei institutio "sancta commendat, clericorum officiis aggregari et optamus et volumus." Post *Eugenius Pp. II.* (✝ 826) in Concilio Romae habito edixit : "*Abbates sacerdotalem*

Digitized by Google

Hinc fieri non potuit, quin monachi laici seu "*illiterati*," qui operae manuum potissimum exterioribusque inserviebant officiis, magis magisque deminuerentur, ita quidem, ut Ecclesia, auctore divino Spiritu, monasticum SS. Patriarchae institutum tandem plane ad sacerdotalem provehere dignitatem statueret, vetans, ne quis inter *monachos chori* admitteretur, quin spem praeberet ad sacros perveniendi ordines (2). Ne igitur deessent manus in domo Dei, quae domestica familiae servitia duriora-que opera conficerent, saeculo fere undecimo coeptum est in monasteriis separatum a monachis genus religiosorum institui, quos fratres *conversos*, *laicos* vel *barbatos* nuncupabant, quosque tanquam auxiliares in universâ nunc Religione receptos conspicimus. Qui *fratres laici*, quamquam non proprie monachi, tamen vere religiosi sunt constituuntque monasticae partem familiae (3); et sicut humillimâ ac filiali

Auxiliaris fratrum conversorum seu laicorum ordo.

"*quoque honorem sint adepti.*" (Can. 27.) Pictaviense Concilium a. 1078 (sub *Greg. Pp. VII.*) convocatum praecepit: "Ut Abbates et Decani qui presbyteri non sunt, "presbyteri fiant aut praelationes amittant. "Denique *Clemens Pp. V.* in Viennensi decrevit Concilio a. 1311: "Ad ampliationem cultus divini statuimus, quod *monachi* "*quilibet* ad monitionem Abbatis se faciant ad omnes Ordines sacros, excusatione cessante legitimâ promoveri."

2. Cf. Decretum *Clementis Pp. VIII.* d. d. 19 m. Mart. 1623: "Quisque recipiendus "in aliquo Ordine Regulari eam literarum scientiam calleat aut illius addiscendae "spem indubiam prae se ferat, ut minores et suis temporibus majores Ordines "juxta decreta *s. Concilii Tridentini* suscipere valeat."

3. Sequitur hinc, ut *fratres conversi* simplicia tantum vota emittant, suumque habentes et officium divinum et habitum, nullis intersint Conventus capitulis. At sedulam dent operam, ut Completorio, capitulo culparum, diebus Dominicis ac festis etiam Missae cantatae et Vesperis, praeterea cuivis sacramentali Benedictioni et s. reliquiarum venerationi, monasticis denique vestitionibus, professionibus ceterisque

Digitized by Google

Ratio, quae inter monachos laicosque fratres intercedit.

cum observantiâ hi quidem colunt monachos chori, ita monachos oportet fratres illos ut carissima utilissimaque familiae membra toto complecti animo ac singulari paternae caritatis studio diligere.

Monacho non licet manuum opus repudiare.

Sed eo revertamur, unde declinavit sermo. Licet enim, ut rerum mutatio obtinet, maxima servitiorum pars jam laicis soleat fratribus injungi, tamen **opera manualis** usque eo ad integritatem pertinere monasticae vocationis videtur, ut, qui plane eam repudiaverit, monachi vix nomen mereat. Nam manuum labor, quum corpus subigit Deo, tum fluctuans cor quasi anchorâ colligit ejusque comprimit tumorem. Adjice, quod ad perfectam idem requiritur imitationem Jesu Christi, qui quidem tres annos in praedicando, triginta autem in fabrili opere consumens mirificâ laborem manuum laude ornaverit. Monachus igitur ut merito voceris, tuum est, dilecte frater, promptum servare animum ad omnia vel humillima opera manuum laete perficienda, quae tibi forte ob tuam indolem vel aliquam monasterii necessitatem injuncta fuerint, eaque in permagnâ existimatione habere. Tuum porro

Clarissimum Jesu Christi exemplum.

Cellae cura et vestium.

ad totam familiam pertinentibus solemnitatibus ne desint, utque exquisitissimo in honore habeant munus ipsis proprie impositum serviendi ad s. altare. Iidem annuis intersunt exercitiis spiritualibus et semel per hebdomadem communi, quae familiae quotidie datur, conferentiae spirituali. Ab Abbate praeficitur Instructor pius sive spiritualis Pater, qui et novitios et professos fratres laicos instruat exerceatque in spiritu Religionis et in iis observantiis, quae totam obligant familiam.

Digitized by Google

est, quidquid a te munditia cellae vestiumque exigit laboris, nisi excusaverit infirmitas, propria manu exsequi, officiosam omnino fratribus, praesertim aegrotis, voluntatem praestans et ad mensam eis ex more monastico, prout te ordo vocaverit, studiose ministrans.

Mutua servitia.

Verumtamen praecipuus, quo religiose occupari monachi solent, labor, praeter sacerdotii ministerium, lectio est vel **sacrarum studia literarum.** Adquae quidem sic licet incumbere, ut operi Dei, cui nihil est praeponendum, et regulari observantiae non modo impedimento non sint, sed afferant utilitatem ac lucrum. Omnia enim Christiani, ne dicam Religiosi, studia id debent spectare, ut glorificetur Deus et sanctae serviatur Ecclesiae, vel ut perfectius in dies SS. Patris nostri mandatum peragatur: "*Psallite sapienter!*" Itaque monachus inprimis ad humilem se conferet pervestigationem *sacrarum Scripturarum*, unde perennis altissimae sapientiae fons scaturit, quem nulla unquam intelligentia exhauriet. Haud imparem adhibebit operam, ut illam divinarum rerum cognitionem consequatur, cujus thesauros spectatissima servat *scholasticae Theologiae ac Philosophiae* disciplina, a SS. Patribus ac prae ceteris a divo Thoma, incomparabili Scholae Angelo, mirifice illustrata. Jure enim *s. Theologia*, tam *mystica* quam *speculativa*, omnium

Praecipuus monachi labor est s. ministerium et studium.

Monasticorum studiorum finis.

S. Scripturae.

Scholastica et s. Theologiae et Philosophiae disciplina.

Digitized by Google

Ratio, quae inter monachos laicos que fratres intercedit

cum observantiâ hi quidem colunt monachos chori, ita monachos oportet fratres illos ut carissima utilissimaque familiae membra toto complecti animo ac singulari paternae caritatis studio diligere.

Sed eo revertamur, unde declinavit sermo. Licet enim, ut rerum mutatio obtinet, maxima servitiorum pars jam laicis soleat fratribus injungi, tamen **opera manualis** usque eo ad integritatem pertinere monasticae vocationis videtur, ut, qui plane eam repudiaverit, monachi vix nomen mereat. Nam manuum labor, quum corpus subigit Deo, tum fluctuans cor quasi anchorâ colligit ejusque comprimit tumorem. Adjice, quod ad perfectam idem requiritur imitationem Jesu Christi, qui quidem tres annos in praedicando, triginta autem in fabrili opere consumens mirificâ laborem manuum laude ornaverit. Monachus igitur ut merito voceris, tuum est, dilecte frater, promptum servare animum ad omnia vel humillima opera manuum laete perficienda, quae tibi forte ob tuam indolem vel aliquam monasterii necessitatem injuncta fuerint, eaque in **permagnâ** existimatione habere. Tuum porro

[illegible]

Digitized by Google

est, quid[illegible] a te [illegible]
exigit laboris, [illegible]
pria manu [illegible]
bus, praesertim [illegible]
et ad mensam [illegible]
ordo vocaverit [illegible]

Verum[illegible]
cupari m[illegible]
tii minister[illegible] **sacrarum studia**
literarum. [illegible]
ut operi Dei [illegible]
regulari [illegible]
non sint, [illegible]
Omnia enim Christian[illegible]
studia id debent [illegible]
et sanctae serviatur [illegible]
in dies SS. Patris [illegible]
"*Psallite sapienter!*" [illegible]
mis ad humilem [illegible]
sacrarum Scrip[illegible]
simae sapientiae [illegible]
unquam intelli[illegible]
adhibebit [illegible]
cognitionem [illegible]
ctatissima [illegible]
Philosophi[illegible]
ceteris a [illegible]
Angelo. [illegible]
logia, ta[illegible]

i-
tus
tu
tiae

Sit dili-
ns labor,
onstans et
perfectus.

Digitized by Google

Reliquae disciplinae et artes.

doctrinarum princeps praedicatur ac regina, divinitus quasi coronata. Ceteris autem vel liberalioribus disciplinis vel ingenuis pingendi fingendique artibus sic monacho licet sese addicere, inde ut nullam Religionis spiritus injuriam patiatur, imo potius laus Dei vel proximi salus aliquem percipiat fructum. Hoc dum monemus, eam jam attigimus, quae restat nobis, quaestionem, qualis scilicet monachi debeat esse labor.

Qualis debeat esse labor.

Quidquid igitur operae suscipitur, materia quaedam vel corpus est, cui formam vitamque dat animi intentio. Quamobrem nulla monachi opera purissimo ac recto, qui solum Deum intuetur, oculo careat. Profecto "*simplex*" hic "*oculus lucerna est*" cujuslibet laboris, quâ exstinctâ tuum et opus et cor in tenebris jacebit. (Matth. 6, 22 sq.) Ergo in omnibus vere Deum quaere, Ipsum operationis tuae testem suspiciens et judicem. Ita te cum sanctâ fide ac simplici humilitate laborantem coelestis alloquitur Sponsus: "*Ecce, tu pulchra es, amica mea; ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum*" (Cant. 1, 14), et tu invicem contestaris: Dilecte mi, nonnisi "*in verbo Tuo laxabo rete*" (Luc. 5, 5); ad Tuam tantummodo gloriam et ex mero Tui amore omnia operabor; ne minimum quidem, nisi ut Tibi serviam Tibique placeam, Tuam adorandam colens majestatem, sanctitatem ac

Labora cum fide ac simplicitate, solum Deum intuens et amans.

Pura et sancta intentio.

Digitized by Google

bonitatem. Constans haec intentionis tuae puritas quasi lumen est, perpetuo fulgens in conspectu Eucharistici Sponsi. Profecto, exclamas, "*omnia opera mea Regi!*" (Ps. 44, 2) Praeter hunc, tuum unicum finem summumque bonum, nihil cogitas, nihil respicis nihilque amplecteris. Quamobrem, mi frater, non modo, ut "*Deus in adjutorium tuum intendat,*" ante laborem flexis ora genibus, memor omnes scientiae thesauros in JESU ejusque Spiritu esse absconditos et ab Ipsis dispensari, verum etiam inter operandum saepius bonam, imo optimam renova intentionem, quae quidem Deum propter Ipsum diligit. Ex quo fieri nequaquam potest, quin et laborem ames. Atque ut sancto ac simplici, ita etiam admodum prompto hilarique animo omnia non dubitabis opera et inchoare et perficere. Cavebis quidem, ne taedium vel propensionis studium operam Deo minus gratam acceptamque reddat, omni enitens curâ, ut eam cum meritis J. CHRISTI sociatam laete propter Ipsum sustineas quasi sacrum poenitentiae exercitium. Quodsi tam sancte operaris, nec assiduitas te nec ea, quae perficit opus, strenua fidelisque stabilitas deficiet. Divinum ausculta monitum: "*In omnibus operibus tuis esto velox et praecellens, ne dederis maculam in gloriâ tuâ*" (Eccli. 31, 27 et 33, 23 sq.). Tu enim, qui monachus es, soli Deo

Ante laborem orandum, renovata frequenter intentione.

Animo prompto ac hilari laborandum.

Cum Christo sociatus in spiritu poenitentiae

Sit diligens labor, constans et perfectus,

Digitized by Google

laboras, atque "*maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter*" (Jer. 48, 10), oscitanter ac negligenter. Perfectus Deus et Pater perfectum vult opus tuum, neque vero abortivum. Jam noli, obsecro, honorem depeculari Ordinis S. Benedicti, cujus laudata industria in veterem proverbii usum venit. Proinde eximia sit in laboribus sollicitudo tua, magnanimus fervor, studiosa perfectaque etiam minutarum rerum cura, ita tamen, ut moderate simul ac discrete opereris, non "*turbatus circa plurima*". Ita bene et orans et operans semper sis occupatus, lacrymis quidem preces, opera vero sudore irrorans.

Fervidus discretus.

Tempus observa, ne momentum quidem dimittens, quin fenori des sanctaeque usurae. Inaestimabile donum est, divinitus manibus tuis commissum, semen quoddam messis aeternae vel margaritarum linea gemmarumque ingentis pretii, ad ornandum diadema coeleste destinata. Ac profecto omni vel punctillo temporis gutta inhaeret pretiosissimi Sanguinis, quo Dominus illud recuperavit tibique restituit. Jam vero sine dubio tantum valet, quantum anima tua et aeternitas, imo quantum Ipsemet Deus, quem temporis usu aut lucreris aut perdas. Ideo ne sis filius prodigus, irreparabile patrimonium profundens, dissipans, nugis tibi ipsi eximens. Brevissimo parce momento, "*super pauca fidelis*", nec pro thesauro

Ne punctum quidem temporis perdendum.

Digitized by Google

stercus tuo offerens Patrifamilias. Ab avaro disce divitias aestimare temporis, quo quidem acquiritur gratia et gloria promeretur. Age, "*dum tempus habemus, operemur bonum*" *et* "*tempore suo metemus non deficientes*" (Gal. 6,10, 9).

Labor sit in s. obedientia perfectus.

Reliquum est, ut de eâ laboris qualitate disseramus, quae sola monachi operibus pretium tribuit, virtutem ac dignitatem. Sanctam dico **obedientiam,** cujus Patriarcha noster perfectus exstitit interpres sapientissimusque magister et princeps. Adeo enim s. obedientia proprium est ac peculiare monachi insigne, ut labor eo destitutus damnationi deputetur, non mercedi. Nimirum inter vota Religionis s. obedientia palmam tenet, quoniam, quum paupertas proprietati, castitas carni nuntium remittat, illa ipsam potius ejurat animam, et quidquid haec in se possidet. Revera igitur s. obedientia optimam eligit Deoque dicat partem, propriam nempe sui ipsius libertatem, licentiam ac dispositionem. Religiosa enim obedientia concludit coronatque monasticam professionem, medium ei imponens saxum, egregiumque holocaustum ita perficit, ut, unâ illâ negatâ, totum intervertatur sacrificium Religioque ex Ordine commutetur in sacrilegum Ordinis exitium.

Patriarcha noster perfectae magister obedientiae.

S. Obedientia votorum palmam fert.

Porro obedientia, ceterorum scopus votorum, cum Deo sancte atque arctissime jungit monachum, voluntatem ejus vitamque cum

Obedientia cum Deo sancte jungit.

Digitized by Google

Eadem est perfectionis norma.

Laus s. obedientiae.

Servat a peccatis.

Propria voluntas timenda et neganda est.

Sui ipsius renuntiatio summa securitas.

divinâ consocians, unde perfectus Dei filius evadit, amantissimis summeque obsequiosis studiis addictus coelesti Patri. Sancta igitur obedientia norma est, quâ haud ambigue aestimatur conversio morum, sanctitas omniumque virtutum progressus. Ideo symbolum praedicatur Religionis, ignea columna, quâ se Dei dominatio ac paterna providentia manifestat, monachi salus, unicum decus ac ministerium, totius denique vitae monasticae fundamentum, anima, alpha et omega. Profecto "*vir obediens loquetur victoriam*" (Prov. 21, 28). Salvus quippe est ab omnibus propemodum peccatis. Nemo id quidem miretur, quoniam, ubi propria cessat voluntas, culpa tollitur et infernus. Humana enim voluntas donum est aeque timendum ac pretiosum, et mortis et vitae radix, mater tam amoris quam odii in Deum. Abyssum eadem aperit et coelum, hominem aut in Angelum aut in diabolum convertens. Atqui cessat bona esse voluntas, quando incipit esse propria. Quid igitur sapientius quidque securius, quam hujusmodi fatale instrumentum manibus committere Dei, qui sapientissime eo ac sanctissime utatur, avertens voluntatem a simulatis falsisque bonis. Quâ quidem sui ipsius renuntiatione claustrum tanquam arca est, secure transferens ad coeleste litus, via quaedam triumphalis insidiis vacua, pretiosa Sponsi arrha

Digitized by Google

confirmans, rem tuam in tuto esse collocatam. Nimirum divinae intime devinctus copulatusque voluntati, inexpugnabilis es, et impeccabilem fere te dicere ausim.

S. Obedientia mater custosque virtutum.

Hinc jam sequitur, s. obedientiam, quum peccata avertat armaque fortissima, imo ipsum Dei brachium praebeat ad hostes animae debellandos, etiam originem esse, custodem thesaurumque virtutum. Firmissimum efficitur quasi solum, quo ad perfectam caritatem proceditur, quum e contrario, qui obedientiam negligit, ipsi se subtrahat gratiae. Eadem animo, dum vel occultissimas inde fibras superbiae evellit, exquisitam inserit humilitatem, seminarium illud omnis sanctitatis. Unde in dies magis filius ovisque efficeris divini Pastoris, qui sancte te per sanctam obedientiam dirigit, pascit atque gubernat. Abbatis tui baculum, vel potius ipsum conspiciens Abbatem exclamas: Dei "*virgam vigilantem ego video*" (Jer. 1, 11). Prorsus filialem igitur obedientia tibi inspirabit fiduciam ineffabilemque animi tranquillitatem ac laetitiam. Nimirum vestis est nuptialis, quâ indutus ad convivium intromitteris dulcissimae illius lucis internae, pacis ac securitatis, quae propriae sunt perfectae libertatis filiorum Dei. Divinâ duce sapientiâ, sine metu ambulas, Deo acceptabilis ac dulcis hominibus, mirificeque munitus contra dolosas

Per eam divinus gubernat Pater et Pastor.

S. Obedientia fiduciam inspirat, pacem ac laetitiam.

Digitized by Google

Otiosus omnibus spoliatus meritis perit.

quaeso, *desidiosum*, otio ac socordiâ diffluentem. Servus est nequam, cujus anima in dies magis segnitie marcescit, omnibus paulatim et meritis defraudata et repleta damnis, quippe quam, vitâ hâc inglorie transactâ, horribile perstricturum sit judicium : "*Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores*" ! (Matth. 25, 30). Sed de his satis est dictum.

Cujus generis labor monachi.

Jam, *cujusnam generis* sit *labor monachi*, dispiciamus. Omnino nulla sive manualis sive intellectualis opera, quemadmodum ex monasticâ lege liquet et traditione, monacho potest dedecori esse vel inhonesta, modo ne repugnet fini Religionis. Sic enim Ipsius ratio Creatoris instituit, ut homo, qui ex corpore constat et animo, utriusque vires excolat. Nec quisquam facile ignorat, initio monachos prope omnes laicos fuisse, quorum unus tantum alterve, prout res postulabat, sacris initiabatur ordinibus.

Monachi primo fere omnes laici.

Procedente autem tempore, praecipue a nono deinceps saeculo, quo se monachi, et sacris literis et virtutibus ornati, aptiores praestabant ad ecclesiastica officia, eo vehementius s. Ecclesia id contendebat, ut ad sacerdotium provecti etiam sacrosancto altaris ministerio animarumque saluti consulerent. (1)

Postea ordo monasticus in sacerdotalem mutatus.

1. Jam *S. Siricius Pp.* (✝ 398) ad Himerium episcopum Tarraconensem a. 385 scripsisse traditur : "Monachos quos morum gravitas et vitae ac fidei institutio "sancta commendat, clericorum officiis aggregari et optamus et volumus." Post *Eugenius Pp. II.* (✝ 826) in Concilio Romae habito edixit : "*Abbates sacerdotalem*

Digitized by Google

Hinc fieri non potuit, quin monachi laici seu "*illiterati*," qui operae manuum potissimum exterioribusque inserviebant officiis, magis magisque deminuerentur, ita quidem, ut Ecclesia, auctore divino Spiritu, monasticum SS. Patriarchae institutum tandem plane ad sacerdotalem provehere dignitatem statueret, vetans, ne quis inter *monachos chori* admitteretur, quin spem praeberet ad sacros perveniendi ordines (2). Ne igitur deessent manus in domo Dei, quae domestica familiae servitia durioraque opera conficerent, saeculo fere undecimo coeptum est in monasteriis separatum a monachis genus religiosorum institui, quos fratres *conversos*, *laicos* vel *barbatos* nuncupabant, quosque tanquam auxiliares in universâ nunc Religione receptos conspicimus. Qui *fratres laici*, quamquam non proprie monachi, tamen vere religiosi sunt constituuntque monasticae partem familiae (3); et sicut humillimâ ac filiali

Auxiliaris fratrum conversorum seu laicorum ordo.

"*quoque honorem sint adepti.*" (Can. 27.) Pictaviense Concilium a. 1078 (sub *Greg. Pp. VII.*) convocatum praecepit: "Ut Abbates et Decani qui presbyteri non sunt, "presbyteri fiant aut praelationes amittant." Denique *Clemens Pp. V.* in Viennensi decrevit Concilio a. 1311: "Ad ampliationem cultus divini statuimus, quod *monachi* "*quilibet* ad monitionem Abbatis se faciant ad omnes Ordines sacros, excusatione cessante legitimâ promoveri."

2. Cf. Decretum *Clementis Pp. VIII.* d. d. 19 m. Mart. 1623: "Quisque recipiendus "in aliquo Ordine Regulari eam literarum scientiam calleat aut illius addiscendae "spem indubiam prae se ferat, ut minores et suis temporibus majores Ordines "juxta decreta *s. Concilii Tridentini* suscipere valeat."

3. Sequitur hinc, ut *fratres conversi* simplicia tantum vota emittant, suumque habentes et officium divinum et habitum, nullis intersint Conventus capitulis. At sedulam dent operam, ut Completorio, capitulo culparum, diebus Dominicis ac festis etiam Missae cantatae et Vesperis, praeterea cuivis sacramentali Benedictioni et s. reliquiarum venerationi, monasticis denique vestitionibus, professionibus ceterisque

Digitized by Google

Ratio, quae inter monachos laicosque fratres intercedit.

cum observantiâ hi quidem colunt monachos chori, ita monachos oportet fratres illos ut carissima utilissimaque familiae membra toto complecti animo ac singulari paternae caritatis studio diligere.

Sed eo revertamur, unde declinavit sermo. Licet enim, ut rerum mutatio obtinet, maxima servitiorum pars jam laicis soleat fratribus injungi, tamen **opera manualis** usque eo ad integritatem pertinere monasticae vocationis videtur, ut, qui plane eam repudiaverit, monachi vix nomen mereat. Nam manuum labor, quum corpus subigit Deo, tum fluctuans cor quasi anchorâ colligit ejusque comprimit tumorem. Adjice, quod ad perfectam idem requiritur imitationem Jesu Christi, qui quidem tres annos in praedicando, triginta autem in fabrili opere consumens mirificâ laborem manuum laude ornaverit. Monachus igitur ut merito voceris, tuum est, dilecte frater, promptum servare animum ad omnia vel humillima opera manuum laete perficienda, quae tibi forte ob tuam indolem vel aliquam monasterii necessitatem injuncta fuerint, eaque in permagnâ existimatione habere. Tuum porro

Monacho non licet manuum opus repudiare.

Clarissimum Jesu Christi exemplum.

Cellae cura et vestium.

ad totam familiam pertinentibus solemnitatibus ne desint, utque exquisitissimo in honore habeant munus ipsis proprie impositum serviendi ad s. altare. Iidem annuis intersunt exercitiis spiritualibus et semel per hebdomadem communi, quae familiae quotidie datur, conferentiae spirituali. Ab Abbate praeficitur Instructor pius sive spiritualis Pater, qui et novitios et professos fratres laicos instruat exerceatque in spiritu Religionis et in iis observantiis, quae totam obligant familiam.

Digitized by Google

est, quidquid a te munditia cellae vestiumque exigit laboris, nisi excusaverit infirmitas, propria manu exsequi, officiosam omnino fratribus, praesertim aegrotis, voluntatem praestans et ad mensam eis ex more monastico, prout te ordo vocaverit, studiose ministrans.

Mutua servitia.

Verumtamen praecipuus, quo religiose occupari monachi solent, labor, praeter sacerdotii ministerium, lectio est vel **sacrarum studia literarum.** Adquae quidem sic licet incumbere, ut operi Dei, cui nihil est praeponendum, et regulari observantiae non modo impedimento non sint, sed afferant utilitatem ac lucrum. Omnia enim Christiani, ne dicam Religiosi, studia id debent spectare, ut glorificetur Deus et sanctae serviatur Ecclesiae, vel ut perfectius in dies SS. Patris nostri mandatum peragatur: "*Psallite sapienter!*" Itaque monachus inprimis ad humilem se conferet pervestigationem *sacrarum Scripturarum*, unde perennis altissimae sapientiae fons scaturit, quem nulla unquam intelligentia exhauriet. Haud imparem adhibebit operam, ut illam divinarum rerum cognitionem consequatur, cujus thesauros spectatissima servat *scholasticae Theologiae ac Philosophiae* disciplina, a SS. Patribus ac prae ceteris a divo Thoma, incomparabili Scholae Angelo, mirifice illustrata. Jure enim *s. Theologia*, tam *mystica* quam *speculativa*, omnium

Praecipuus monachi labor est s. ministerium et studium.

Monasticorum studiorum finis.

S. Scripturae.

Scholastica et s. Theologiae et Philosophiae disciplina.

Digitized by Google

Reliquae disciplinae et artes.

doctrinarum princeps praedicatur ac regina, divinitus quasi coronata. Ceteris autem vel liberalioribus disciplinis vel ingenuis pingendi fingendique artibus sic monacho licet sese addicere, inde ut nullam Religionis spiritus injuriam patiatur, imo potius laus Dei vel proximi salus aliquem percipiat fructum. Hoc dum monemus, eam jam attigimus, quae restat nobis, quaestionem, qualis scilicet monachi debeat esse labor.

Qualis debeat esse labor.

Quidquid igitur operae suscipitur, materia quaedam vel corpus est, cui formam vitamque dat animi intentio. Quamobrem nulla monachi opera purissimo ac recto, qui solum Deum intuetur, oculo careat. Profecto "*simplex*" hic "*oculus lucerna est*" cujuslibet laboris, quâ exstinctâ tuum et opus et cor in tenebris jacebit. (Matth. 6, 22 sq.) Ergo in omnibus vere Deum quaere, Ipsum operationis tuae testem suspiciens et judicem. Ita te cum sanctâ fide ac simplici humilitate laborantem coelestis alloquitur Sponsus: "*Ecce, tu pulchra es, amica mea; ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum*" (Cant. 1, 14), et tu invicem contestaris: Dilecte mi, nonnisi "*in verbo Tuo laxabo rete*" (Luc. 5, 5); ad Tuam tantummodo gloriam et ex mero Tui amore omnia operabor; ne minimum quidem, nisi ut Tibi serviam Tibique placeam, Tuam adorandam colens majestatem, sanctitatem ac

Labora cum fide ac simplicitate, solum Deum intuens et amans.

Pura et sancta intentio.

Digitized by Google

bonitatem. Constans haec intentionis tuae puritas quasi lumen est, perpetuo fulgens in conspectu Eucharistici Sponsi. Profecto, exclamas, "*omnia opera mea Regi!*" (Ps. 44, 2) Praeter hunc, tuum unicum finem summumque bonum, nihil cogitas, nihil respicis nihilque amplecteris. Quamobrem, mi frater, non modo, ut "*Deus in adjutorium tuum intendat,*" ante laborem flexis ora genibus, memor omnes scientiae thesauros in JESU ejusque Spiritu esse absconditos et ab Ipsis dispensari, verum etiam inter operandum saepius bonam, imo optimam renova intentionem, quae quidem Deum propter Ipsum diligit. Ex quo fieri nequaquam potest, quin et laborem ames. Atque ut sancto ac simplici, ita etiam admodum prompto hilarique animo omnia non dubitabis opera et inchoare et perficere. Cavebis quidem, ne taedium vel propensionis studium operam Deo minus gratam acceptamque reddat, omni enitens curâ, ut eam cum meritis J. CHRISTI sociatam laete propter Ipsum sustineas quasi sacrum poenitentiae exercitium. Quodsi tam sancte operaris, nec assiduitas te nec ea, quae perficit opus, strenua fidelisque stabilitas deficiet. Divinum ausculta monitum: "*In omnibus operibus tuis esto velox et praecellens, ne dederis maculam in gloriâ tuâ*" (Eccli. 31, 27 et 33, 23 sq.). Tu enim, qui monachus es, soli Deo

Ante laborem orandum, renovata frequenter intentione.

Animo prompto ac hilari laborandum.

Cum Christo sociatus in spiritu poenitentiae

Sit diligens labor, constans et perfectus.

Digitized by Google

laboras, atque "*maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter*" (Jer. 48, 10), oscitanter ac negligenter. Perfectus Deus et Pater perfectum vult opus tuum, neque vero abortivum. Jam noli, obsecro, honorem depeculari Ordinis S. Benedicti, cujus laudata industria in veterem proverbii usum venit. Proinde eximia sit in laboribus sollicitudo tua, magnanimus fervor, studiosa perfectaque etiam minutarum rerum cura, ita tamen, ut moderate simul ac discrete opereris, non "*turbatus circa plurima*". Ita bene et orans et operans semper sis occupatus, lacrymis quidem preces, opera vero sudore irrorans.

Fervidus discretus.

Tempus observa, ne momentum quidem dimittens, quin fenori des sanctaeque usurae. Inaestimabile donum est, divinitus manibus tuis commissum, semen quoddam messis aeternae vel margaritarum linea gemmarumque ingentis pretii, ad ornandum diadema coeleste destinata. Ac profecto omni vel punctillo temporis gutta inhaeret pretiosissimi Sanguinis, quo Dominus illud recuperavit tibique restituit. Jam vero sine dubio tantum valet, quantum anima tua et aeternitas, imo quantum Ipsemet Deus, quem temporis usu aut lucreris aut perdas. Ideo ne sis filius prodigus, irreparabile patrimonium profundens, dissipans, nugis tibi ipsi eximens. Brevissimo parce momento, "*super pauca fidelis*", nec pro thesauro

Ne punctum quidem temporis perdendum.

Digitized by Google

stercus tuo offerens Patrifamilias. Ab avaro disce divitias aestimare temporis, quo quidem acquiritur gratia et gloria promeretur. Age, "*dum tempus habemus, operemur bonum*" *et* "*tempore suo metemus non deficientes*" (Gal. 6,10, 9).

Labor sit in s. obedientia perfectus.

Reliquum est, ut de eâ laboris qualitate disseramus, quae sola monachi operibus pretium tribuit, virtutem ac dignitatem. Sanctam dico **obedientiam,** cujus Patriarcha noster perfectus exstitit interpres sapientissimusque magister et princeps. Adeo enim s. obedientia proprium est ac peculiare monachi insigne, ut labor eo destitutus damnationi deputetur, non mercedi. Nimirum inter vota Religionis s. obedientia palmam tenet, quoniam, quum paupertas proprietati, castitas carni nuntium remittat, illa ipsam potius ejurat animam, et quidquid haec in se possidet. Revera igitur s. obedientia optimam eligit Deoque dicat partem, propriam nempe sui ipsius libertatem, licentiam ac dispositionem. Religiosa enim obedientia concludit coronatque monasticam professionem, medium ei imponens saxum, egregiumque holocaustum ita perficit, ut, unâ illâ negatâ, totum intervertatur sacrificium Religioque ex Ordine commutetur in sacrilegum Ordinis exitium.

Patriarcha noster perfectae magister obedientiae.

S. Obedientia votorum palmam fert.

Porro obedientia, ceterorum scopus votorum, cum Deo sancte atque arctissime jungit monachum, voluntatem ejus vitamque cum

Obedientia cum Deo sancte jungit.

Digitized by Google

Eadem est perfectionis norma.

Laus s. obedientiae.

Servat a peccatis.

Propria voluntas timenda et neganda est.

Sui ipsius renuntiatio summa securitas.

divinâ consocians, unde perfectus Dei filius evadit, amantissimis summeque obsequiosis studiis addictus coelesti Patri. Sancta igitur obedientia norma est, quâ haud ambigue aestimatur conversio morum, sanctitas omniumque virtutum progressus. Ideo symbolum praedicatur Religionis, ignea columna, quâ se Dei dominatio ac paterna providentia manifestat, monachi salus, unicum decus ac ministerium, totius denique vitae monasticae fundamentum, anima, alpha et omega. Profecto "*vir obediens loquetur victoriam*" (Prov. 21, 28). Salvus quippe est ab omnibus propemodum peccatis. Nemo id quidem miretur, quoniam, ubi propria cessat voluntas, culpa tollitur et infernus. Humana enim voluntas donum est aeque timendum ac pretiosum, et mortis et vitae radix, mater tam amoris quam odii in Deum. Abyssum eadem aperit et coelum, hominem aut in Angelum aut in diabolum convertens. Atqui cessat bona esse voluntas, quando incipit esse propria. Quid igitur sapientius quidque securius, quam hujusmodi fatale instrumentum manibus committere Dei, qui sapientissime eo ac sanctissime utatur, avertens voluntatem a simulatis falsisque bonis. Quâ quidem sui ipsius renuntiatione claustrum tanquam arca est, secure transferens ad coeleste litus, via quaedam triumphalis insidiis vacua, pretiosa Sponsi arrha

Digitized by Google

confirmans, rem tuam in tuto esse collocatam. Nimirum divinae intime devinctus copulatusque voluntati, inexpugnabilis es, et impeccabilem fere te dicere ausim.

S. Obedientia mater custosque virtutum.

Hinc jam sequitur, s. obedientiam, quum peccata avertat armaque fortissima, imo ipsum Dei brachium praebeat ad hostes animae debellandos, etiam originem esse, custodem thesaurumque virtutum. Firmissimum efficitur quasi solum, quo ad perfectam caritatem proceditur, quum e contrario, qui obedientiam negligit, ipsi se subtrahat gratiae. Eadem animo, dum vel occultissimas inde fibras superbiae evellit, exquisitam inserit humilitatem, seminarium illud omnis sanctitatis. Unde in dies magis filius ovisque efficeris divini Pastoris, qui sancte te per sanctam obedientiam dirigit, pascit atque gubernat. Abbatis tui baculum, vel potius ipsum conspiciens Abbatem exclamas: Dei "*virgam vigilantem ego video*" (Jer. 1, 11). Prorsus filialem igitur obedientia tibi inspirabit fiduciam ineffabilemque animi tranquillitatem ac laetitiam. Nimirum vestis est nuptialis, quâ indutus ad convivium intromitteris dulcissimae illius lucis internae, pacis ac securitatis, quae propriae sunt perfectae libertatis filiorum Dei. Divinâ duce sapientiâ, sine metu ambulas, Deo acceptabilis ac dulcis hominibus, mirificeque munitus contra dolosas

Per eam divinus gubernat Pater et Pastor.

S. Obedientia fiduciam inspirat, pacem ac laetitiam.

Digitized by Google

S. Obedientia palmaris virtus.

propriae mentis et cordis fallacias. Ac profecto in mysticum te obedientia paradisum reducit, unde inobedientia misere hominem depulit. Quâ quidem palmari ornatus virtute, solamen es tui Abbatis (1), praesidium fratrum, honor thesaurusque coenobii, omnium deliciae et gaudium. Accedit, quod obedientia, quaecunque agis, reddit meliora. Omnia reddit meritoria, perfecta, Deo accepta, uberrimeque tibi virtutes conciliat, perficit ac fecundat. Ita plane omnium bonorum ac meritorum est auctrix. Nam quidquid regio consignat sigillo suo, id quasi divinum obtinet pretium, ut etiam levissimum servitiunculum semen sit aeternae gloriae et quilibet gressus in coelum directus. Itaque aurea monachi est patena, in quâ, si quid offert orationis, laboris, studii aut mortificationis, statim atque sine dubio summo Regi maxime jucundum acceptumque appareat. Porro, sanctae obedientiae si adhaeres, Deum semper praesentem conspicis, unde tantâ perfunderis serenitate, ut ne mors quidem ullo pacto perturbare illam queat: quoniam vitae tuae ratio minime tibi, sed illi potius reddenda erit, in cujus manu voluntas tua, Deo abs te dicata, divinitus reposita fuerit.

Deum facit praesentem, summae fontem tranquillitatis.

1. Cf. Hebr. 13, 17: "Obedite praepositis vestris et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes, — hoc enim non expedit vobis."

Digitized by Google

In obedientissimum igitur suspiciens JESUM, cum Ipso exspirabis clamans: "*Consummatum est!*" JESU CHRISTI enim Spiritus obedientiae est spiritus, quoniam ipse Salvator noster non desiit asseverare: "*Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem Meam.*" — "*Non quaero voluntatem Meam, sed voluntatem Ejus, qui misit Me.*" — "*Sicut mandatum dedit Mihi Pater, sic facio.*"—"*Ego, quae placita sunt Ei, facio semper.*" — "*Meus cibus est, ut faciam voluntatem Ejus, qui misit Me, ut perficiam opus Ejus.*" — "*Non sicut Ego volo, sed sicut Tu, Pater*" (Joan. 6, 38; 5, 30; 14, 31; 8, 29; 4, 34 Matth. 26, 39). Quae quidem verba vere adorandis ornavit atque confirmavit factis. "*Subditus enim erat*" non parentibus tantum, sed "*omni humanae creaturae*" (I Petr. 2, 13). Nihil s. obedientiâ Ipsi carius, exoptatius, dulcius, donec cruci affixus, inter atrocissima mortis tormenta divinum caput in obsequii signum inclinavit, spiritum tradens in manus Patris. Quin etiam obediendi munus ne moriens quidem absolvit, quoniam continenter sub s. hostiae velamine omnino idem tibi exhibet obsequium, quod quondam purissimae maximeque benedictae Matri suae exultans praestitit. En, frater, incomparabile ac gloriosum s. obedientiae exemplum, quod in Bethlehem ac Nazareth, praecipue vero in monte Calvariae atque altaris tibi

Spiritus Christi spiritus obedientiae.

Jesus, usque ad mortem, imo ultra eam obediens.

Digitized by Google

monstratum et ad imitandum propositum tibi effulget. Noli illud omittere, imo constanter contemplare et tuâ exprime vitâ.

S. P. Benedictus qualem velit esse obedientiam.

In quo ut prospere procedas, jam, qualem *SS. P. Benedictus* voluerit suorum esse obedientiam discipulorum, in memoriam revoca.

Sit sancta, i. e. fide animata,

Primum igitur, ut Dei decet filios, *sancta* sit, h. e. supernaturalis atque interna, non ficta vel assentatorie exhibita. Tanta polleat fide, ut divini capitis, cujus membrum es, Spiritus in te nutusque compareat. Dic: " *Scio, cui credidi!* " Divinitus enim tibi imperatur, et " *Dominus est* " (Joan. 21, 7), qui loquitur, dilectus ille aeterni Patris Filius, de quo coelitus vox intonuit: " *Ipsum audite!* " (Matth. 17. 5) Nimirum Abbas, cui subjectus es, Ipsius Dei auctoritatem obtinet, veluti Ejus legatus, caduceator et vicarius. Cui te quidem obedire oportet " *sicut Christo, sicut Domino* " (Eph. 6, 5-7). Sit tibi tanquam velata altissimi arca, divina fundens vaticinia atque oracula, vel, si hoc magis placet, rubus ille ardens, de cujus flammis Dominus loquitur (Ex. 3). Nam revera divinae tibi est providentiae instrumentum, et, quidquid praecipit, adminiculum quoddam, quo Deus tuae consulit saluti. Ejus vox dulcis est sibilus boni Pastoris, " *lucerna pedibus* " et " *lumen semitis* " tuis (Ps. 118, 105). Errare Abbas quidem potest, Deus vero non potest; scit

Obediendum, ac si divinitus imperetur.

Per Abbatem Deus te regit.

Ejus vox lucerna tua.

Digitized by Google

utique etiam errorem mirifice in tuum convertere bonum. Ergo ne imperata curiose perquiras, dijudices, discutias, sed simpliciter ea humiliterque, perinde ac Dei jussa, exsequaris. Nisi enim obediens efficiaris sicut parvulus, non est gratum Deo obsequium tuum. Proin tuum est, imperata perficere, non judicare imperantem, nisi quid forte contra Dei mandatum jusserit. S. obedientia actus est abnegandi semetipsum ideoque sepulcrum tui judicii et arbitrii, ut filiali te affectu patris tui judicio committas atque auctoritati. Propterea tantum abest, ut rationem praecepti exspectet vel examinet, ut solum Christum suspiciat sapientissime sibi praecipientem. Sic si obedieris, jure similaberis viro sapienti, qui simplicitatem columbae cum serpentis prudentiâ perite scit conciliare; ipsam enim Dei sapientiam ducem nactus es custodemque in via salutis.

Simpliciter humiliterque obediendum sine discussione.

Sic obedire sapientia est.

Hinc facere omnino non potes, quin etiam prompte obedias, "*non tarde*," cunctanter seu somniculose. Semitam incedas a S. Mauro calcatam, qui benedictione petitâ atque acceptâ "*ad patris imperium concitus perrexit*," ita, ut de te semper dicatur: "*Relictis omnibus secutus est Dominum*," ac per s. obedientiam vocatus ne inceptam quidem literam perficias. Nam "*fluminis impetus laetificat civitatem Dei*" (Ps. 45, 5), et, qui sancte obedit, sagittae

Non tarde obediendum sed prompte et expedite.

Digitized by Google

instar ad signatum volat finem. "*Sibilabo eis,*" ait Dominus excercituum (Zach. 10, 8), et mellifluus doctor praeclare: "Obedientia, inquit, "nescit moras, fugit crastinum, ignorat tar-"ditatem, praecipit praecipientem, parat oculos "visui, aures auditui, linguam voci, manus "operi, itineri pedes; totum se colligit, ut "imperantis colligat voluntatem." Nihil igitur te paratius sit ad obediendum, velut si Ipsemet Dominus tibi e tabernaculo progressus imperaverit. Dicto parens quoad tempus, locum, modum animumque praecipientis Superioris, nunquam desis ei, sed exhaurias mandata, loquens cum Tobia: "*Omnia, quaecunque praecepisti mihi, faciam, pater*" (5, 1), vel cum Psalmista: "*Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*" (Ps. 56, 8 et 107, 2). Neque dicat tibi Abbas: "*Quid vis, ut faciam tibi?*" sed tu potius Abbati: "*Domine, quid me vis facere?*" (Luc. 18, 41 et Act. 9, 16). Itaque in omnibus et ad omnia, imo etiam omnibus obtempera, obediens factus et "*subjectus omni humanae creaturae propter Deum*" (1 Petr. 2, 13), primum Abbati, dein officialibus, postremo omnibus fratribus. Quam quidem obedientiam non "*tepide*" praestes, sed laeto et animo et vultu; "*hilarem enim datorem diligit Deus*" (2 Cor. 9, 7). Oculi tui semper ad Dominum, in quo sperans assumes pennas sicut aquilae, curres et non

Sit perfecta et universalis obedientia.

Non tepide obediendum, sed laetanter.

Digitized by Google

laborabis, ambulabis et non deficies (Is. 40, 31). Nam obedientiae lex fundamento nititur caritatis, ita quidem, ut e toto corde et exultanti animâ observari debeat. Unde, quam grave sit *murmurandi vitium*, satis liquet. Etenim de superioribus Ipsa veritas dicit: "*Qui vos spernit, Me spernit*" (Luc. 10, 16), *et:* "*Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi Mei*" (Zach. 2, 8). Atque Apostolus monet: "*Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*" (Rom. 13, 2). Quare murmuratio sive cordis sive linguae impia est rebellio in Deum, maledica divinae sapientiae ac dominationis infitiatio, animae lepra et mors. Profecto monachus, qui obmurmurat, ex baculo, quo Abbas prouti libet innitatur, flagellum fit et poenam luet murmurantium in deserto. Ex ipso igitur nutu Patris pendeas, ne exspectans quidem imperatum, ita ut ipsum cor tuum plane regat. Quodsi hujusmodi est tua animi propensio ac pietas tuumque filialis amoris studium, "*non trepide*" obedies, sed admodum excelso, forti constantique animo sine ullâ mentis perturbatione vel pusillanimitate. Ita in eorum numero eris ponendus, quos Dominus "*deduxit in spe et non timuerunt, et inimicos eorum operuit mare*" (Ps. 77, 53). Exultans "*ut gigas ad currendam viam*" (Ps. 18, 6) omnia perrumpes obsta-

Murmurandi vitium.

Non trepide obediendum, sed magno fortique animo.

Digitized by Google

S. Obedientia monacho dulcescit

cula. Quidquid imperatum fuerit, quantumvis arduum sit et judicio sensuique tuo repugnet, tanquam alter Abraham vel potius Ipse Sponsus tuus, qui obediens factus est usque ad mortem Crucis, heroico atque invicto animo persequeris, ita ut tecum loquaris: "*Haec dicit Dominus*" seu: "*Ita, Pater!*" Quod Christus pro me, hoc ego pro Christo praestabo, ut vitâ ipsâ carior mihi sit obedientia! Cujus quidem laborem condiet mihi dulce atque adorandum Dilecti mei exemplum piaque et in Ipsum et in Ejus vicarium Abbatem caritas! Studebo cithara esse in utriusque manu, quae suavissimum Deo canticum personet, nunquam sancti illius immemor jusjurandi, quod juravi in sacro professionis die. Proinde obedientia quasi SS. Patriarchae nostri melota erit super caput meum extensa, et crux in pectore Abba-

---

1. Lubet hic inserere *ordinem diei* sive *horarium*, uti vi Constitutionem Apostolicarum in Congregatione Beuronensi observatur:

Hora 4 ¼ (in die Dominica et in festis h. 4) fratres chorum adeunt Matutinum cum Laudibus celebraturi. Sequuntur Missae privatae.

" 6 ½ usque ad 7 meditationi vacant in choro.

" 7 recitatur Prima, quam fer. II et IV sequitur Capitulum culpae.

" 9 Tertia, deinde Missa conventualis quotidie cantata; et Sexta, nisi Rubricae aliter postulant.

" 12 Prandium; sequitur brevis adoratio SS. Sacramenti, indeque mutuum idque commune per unius fere horae spatium colloquium, cui levior quidam manualis labor jungi potest.

" 2 vel 3 dictâ Nonâ cantantur Vesperae.

" 6 ½ fit collatio spiritualis in capitulo.

" 7 Coena, quam sequitur brevior recreatio communis.

" 8 post lectionem communem in choro factam recitatur Completorium; sequuntur preces. Post licet cubitum ire.

" 9 ¼ Signum dormitionis datur.

Digitized by Google

tis tanquam vexillum, egregia ostendens vestigia, quae persequi me oporteat. Certe malo mori, quam non obedire, ut Christus in me vincat, Christus imperet, Christus regnet! — Eja, dilecte frater, fiat, fiat, et claustrum tibi erit "*mons pinguis, mons coagulatus, mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*" (Ps. 67, 16 sq). Atque in eodem "*dies pleni invenientur*" tibi (Ps. 72, 10), donec adveniat regnum Christi gloriosum, cujus non erit finis in saecula.

Digitized by Google

Testimonia

I. ex S. Regula, II. ex decretis et documentis S. Ecclesiae, III. ex Sanctorum et Doctorum scriptis deprompta.

S. Regula.

Labor et otiositas.

AUSCULTA, o fili, praecepta Magistri.... et admonitionem pii Patris libenter excipe et efficaciter comple. ut ad Eum per *obedientiae laborem* redeas, a quo per *inobedientiae desidiam* recesseras (*Prol.*).

Otiositas inimica est animae. Et ideo *occupari debent fratres* (*c.* 48).

Instrumentum artis spiritualis est : *Non esse pigrum* (*c.* 4 *instr.* 38).

Omnes in *opus suum* laborent, quod eis injungitur.... *Injungatur fratri opus*, quod faciat, *ut non vacet* (*c.* 48).

Labor manuum.

Certis temporibus occupari debent fratres in *labore manuum*..... laborent, quod necessarium fuerit.... Si *necessitas* loci aut *paupertas exegerit*, ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur ; quia *tunc vere monachi sunt*, si de labore manuum suarum vivunt, *sicut et Patres nostri et Apostoli*. Omnia tamen *mensurate* fiant propter pusillanimes (*c.* 48).

Si quis... non possit meditari aut legere, *injungatur ei opus*, quod faciat, ut non vacet (*c.* 48).

Ordinatus *occasione sacerdotii non obliviscatur Regulae obedientiam* et disciplinam (*c.* 62).

Fratres *sibi invicem serviant*, ut nullus excusetur.... Sibi *sub caritate* invicem serviant (*c.* 35).

Sacrarum studia literarum.

Excusetur a coquinae officio,... (si) in causâ gravis utilitatis quis occupatus fuerit, quia exinde major merces acquiritur (*C.* 35).

Digitized by Google

Occupari debent fratres in *lectione divinâ*.... vacent *lectionibus* (*c.* 48).

Accipiant omnes singulos *codices de bibliotheca*, quos per ordinem ex integro legant..... Duo Seniores circumeant monasterium horis, quibus *vacant fratres lectioni*, et videant, ne forte inveniatur frater acediosus, qui vacet otio aut fabulis et non sit *intentus lectioni*, et non solum sibi inutilis sit, sed etiam alios extollat (*c.* 48).

Ne quis praesumat aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque *codicem* neque *tabulas* neque *graphium* (*c.* 33).

Instrumentum artis spiritualis est: *Lectiones sanctas libenter audire* (*c.* 4. *instr.* 56).

Dentur ab Abbate.... *graphium*, *tabulae* (*c.* 55).

S. Scriptura et Patres.

Oportet Abbatem esse *doctum in lege divina* (*c.* 64).

Ad perfectionem conversationis qui festinant, sunt *doctrinae SS. Patrum*, quarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quae enim *pagina* aut quis *sermo divinae auctoritatis V. ac N. Testamenti* non est rectissima norma vitae humanae? Aut *quis liber s. cathol. Patrum* hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum? Necnon et *Collationes Patrum* et *instituta* et *vita eorum* (*c.* 73).

Vita S. Benedicti: S. P. Benedictus doctrinae verbo non mediocriter fulsit (*c.* 36).

Artes.

Monasterium ita debet construi, ut.... *artes diversae* intra monasterium exerceantur (*c.* 66).

Sancte laborandum.

Artifices.... cum omni humilitate et reverentiâ *faciant ipsas artes, si* tamen *jusserit Abbas*. Quodsi aliquis ex eis extollitur pro *scientiâ artis* suae.... evellatur ab ipsa arte (*c.* 57).

Si quid *ex operibus artificum* venumdandum est..... aliquantulum vilius detur, quam a saecularibus datur (*c.* 57).

Fratres *servitium sanctum* professi sunt (*c.* 5).

Ut in omnibus glorificetur Deus (*c.* 57).

Digitized by Google

Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.... Fratres *operantem in se Dominum magnificant.... Rogemus Dominum*, ut gratiae suae jubeat nobis adjutorium ministrare..... *Quidquid agendum inchoas* bonum, a Domino perfici instantissimâ *oratione deposcas* (*Prol.*).

Diligenter. Fratres ipsum *officium bene impleant....* et iterum, quando occupationem minorem (in coquinâ Abbatis) habent, *exeant, ubi eis imperatur, in opera.*

Temporis usus. Ita Domino *omni tempore* de bonis suis in nobis parendum est, *ut non* solum, ut *iratus pater*, non aliquando filios suos exheredet, sed nec ut *metuendus Dominus.... nequissimos servos* perpetuam tradat ad poenam (*c. Prol.*).

Consideremus, *qualiter oporteat nos in conspectu Divinitatis* et Angelorum *esse* (*c.* 19).

Ab Angelis nobis deputatis *quotidie die noctuque Domino* Factori nostro et Creatori omnium Deo *opera nostra nuntiantur.* Cavendum est ergo *omni horâ*, fratres, *ne.... inutiles factos aliquâ horâ aspiciat* Deus (*c.* 7. *gr.* 1).

Discrete, Fratribus infirmis vel delicatis *talis opera aut ars injungatur*, ut *nec otiosi* sint nec *violentiâ laboris* opprimantur, ut effugentur. Quorum *imbecillitas* ab Abbate *consideranda* est (*c.* 48).

Ut indigent, *solatia* administrentur, *ut absque murmuratione serviant....* Et in omnibus officiis monasterii *ista sit consideratio*, ut, quando indigent, solatia accommodentur eis (*c.* 53).

(Cellerario) *solatia* dentur, *a quibus adjutus* et ipse *aequo animo impleat officium* sibi commissum (*c.* 31).

Alacriter, Imbecillibus *procurentur solatia, ut non cum tristitiâ* hoc (servitium) *faciant ;* sed *habeant omnes solatia* secundum modum Congregationis aut positionem loci (*c.* 35).

Abbas sic *omnia temperet* atque disponat, qualiter et animae salventur et, *quod faciunt fratres, absque ullâ murmuratione* faciant (*c.* 41).

Vita S. Benedicti : Vir Domini *Benedictus* ferramentum Gotho reddidit dicens: « *Ecce labora et noli contristari!* » (*c.* 6).

Digitized by Google

SS. P. N. perfectae Magister obedientiae.

Ad te meus sermo dirigitur, quisquis *abrenuntians propriis voluntatibus*, Domino Christo vero Regi militaturus, *obedientiae fortissima atque praeclara arma* assumis..... Praeparanda sunt *corda* et *corpora nostra*, *sanctae* (praeceptorum) *obedientiae militatura* (*Prol.*).

Discipulo convenit obedire Magistro (*c.* 3).

Propriae voluntati renuntiandum.

Monachis nec corpora sua *nec voluntates* licet habere in propriâ potestate (*c.* 33).

Nullus in monasterio *sequatur cordis proprii voluntatem* (*c.* 3).

Instrumenta artis spiritualis sunt : *Abnegare semetipsum sibi*, ut sequatur Christum.... *Voluntatem propriam odire* (*c.* 4. *instr.* 10 et 59).

Voluntatem propriam facere prohibemur, quum dicit nobis Scriptura : « Et a *voluntatibus tuis avertere* » (*Eccli.* 18, 30). Et item : « Rogamus Deum in oratione, ut fiat *illius voluntas* in nobis » (*Matth.* 6, 10). Docemur ergo merito *nostram non facere voluntatem*, quum cavemus illud, quod dicit sancta Scriptura : « *Sunt viae, quae videntur hominibus rectae, quarum finis usque ad profundum inferni demergit* (*Prov.* 16, 25. *c.* 7. *gr.* 1).

Secundus humilitatis gradus est, si *propriam quis non amans voluntatem*, desideria sua *non delectetur implere ;* sed vocem illam Domini factis imitetur dicentis : « *Non veni facere voluntatem Meam, sed Ejus, qui misit me* » (*Joan.* 6, 38). Item dicit Scriptura : *Voluntas habet poenam*, et necessitas parit coronam (*c.* 7. *gr.* 2).

(*Abbas*) *quod salubrius* esse *judicaverit*, ei *cuncti obediant* (*c.* 3).

Nullus, quod sibi utile judicat, sequatur, sed quod magis alii (*c.* 72).

Monachorum deterrimum genus est *Sarabaitarum*.... pro lege eis est *desideriorum voluptas* (seu voluntas), quum, quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum, et quod noluerint, hoc putant non licere. Quartum genus est, quod nominatur *Gyrovagum*, qui.... *propriis voluptatibus* servientes..... (*c.* 1).

Digitized by Google

Votum obedientiae.

(Super *Novitium* venientem ad conversionem Senior ei deputatus) omnino curiose intendat.... si sollicitus est ad *opus Dei*, ad *obedientiam*, ad opprobria.... In Oratorio coram omnibus *promittat* de stabilitate suâ et conversione morum suorum et *obedientia* coram Deo et Sanctis ejus (*c.* 58).

Obedientia discipulorum S. P. Benedicti.

Primus humilitatis gradus est *obedientia* sine mora. Haec convenit iis, qui nihil sibi Christo carius existimant, propter metum gehennae, vel gloriam vitae aternae ; et mox, *ut aliquid imperatum a majore fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo.* De quibus Dominus dicit : « *In auditu auris obedivit mihi* » (*Ps.* 17, 45). Et item dicit Doctoribus : *Qui vos audit, me audit.* » (*Luc.* 10, 16). Ergo hi tales relinquentes statim quae sua sunt, et *voluntatem propriam deserentes*, mox exoccupatis manibus, et quod agebant imperfectum relinquentes, *vicino obedientiae pede, jubentis vocem factis sequuntur ;* et veluti *uno momento* praedicta *Magistri jussio*, et *perfecta discipuli opera*, in velocitate timoris Dei, ambae res communiter citius explicantur, quibus ad vitam aeternam gradiendi amor incumbit. Ideo augustam viam arripiunt ; unde Dominus dicit : « *Angusta via est, quae ducit ad vitam* » (*Matth.* 7, 14) ; ut non suo arbitrio viventes, vel desideriis suis et voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno judicio et imperio, in coenobiis degentes, Abbatem sibi praecesse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini sententiam imitantur, qua dicit : *Non veni facere voluntatem Meam, sed Ejus qui misit me* » (*Joan.* 5, 30).

Sed haec ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, et dulcis hominibus, si, quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murmure, vel cum responso nolentis efficiatur ; quia obedientia, quae majoribus praebetur, Deo exhibetur. Ipse enim dixit : « *Qui vos audit, me audit* » (*Luc.* 10, 16). Et cum bono animo a discipulis praeberi oportet, quia « *hilarem datorem diligit Deus* » (2 *Cor.* 9, 7). Nam cum malo animo si obedit discipulus, et non solum ore, sed etiam corde si murmuraverit ; etsi impleat jussionem, tamen acceptus jam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis ; et

Digitized by Google

pro tali facto nullam consequitur gratiam ; imo murmurantium poenam incurrit, si non cum satisfactione emendaverit (*c.* 5).

Tertius humilitatis gradus est, ut quis pro Dei amore *omni obedientiâ se subdat* Majori, imitans Dominum, de quo dicit Apostolus : « *Factus obediens usque ad mortem* » (*Philipp.* 2, 8; *c.* 7. *gr.* 3). *S. Obedientia sit perfecta et universalis.*

Instrumentum artis spiritualis est : Praeceptis Abbatis *in omnibus obedire* (*c.* 4. *instr.* 61).

Cum voluntate Abbatis *omnia* agenda sunt (*c.* 49).

Obedientiae bonum non solum Abbati exhibendum est ab omnibus, sed *etiam sibi invicem* ita *obediant fratres*, scientes, se per hanc obedientiae viam ituros ad Deum. Praemisso ergo Abbatis aut Praepositorum, qui ab eo constituuntur imperio, (cui non permittimus privata imperia praeponi), de cetero omnes juniores prioribus suis omni caritate et sollicitudine obediant (*c.* 71).

(Cellerarius) *omnia quae* ei *injunxerit Abbas*, ipse habeat sub curâ suâ ; a quibus eum prohibuerit, non praesumat.... *omnia* faciat *secundum jussionem Abbatis sui* (*c.* 31).

Praepositus *illa agat* cum reverentiâ, *quae ab Abbate suo* ei *injuncta* fuerint, *nihil contra Abbatis voluntatem aut ordinationem faciens* (*c.* 65).

Monachi *obedientiam sibi certatim impendant* (*c.* 72).

Si cui fratri aliqua forte *gravia* aut *impossibilia injungantur*, suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine et obedientiâ. Quod si omnino virium suarum viderit pondus excedere, impossibilitatis suae causas ei, qui sibi praeest, patienter et opportune suggerat, non superbiendo, aut resistendo vel contradicendo. Quod si post suggestionem suam in suâ sententiâ Prioris imperium perduraverit, *sciat* junior *ita sibi expedire*, et ex caritate confidens de adjutorio Dei, obediat (*c.* 68). *Sit fortis et heroica.*

Quartus humilitatis gradus est, si *in ipsâ obedientiâ duris et contrariis rebus....* sustinens non lassescat vel discedat, dicente Scripturâ : « *Qui perseveraverit usque in finem, hic*

Digitized by Google

salvus erit. » Item : *Confortetur cor tuum, et sustine Dominum....* » Et item alio loco Scriptura : *Probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum ; induxisti nos in laqueum ; posuisti tribulationes in dorso nostro* » (*Ps.* 65, 10, 11). Et ut ostendat sub Priore debere nos esse, subsequitur, dicens : *Imposuisti homines super capita nostra* » (*Ibid.* 12).

Inobedientiae poena.

Ante omnia, ne *murmurationis* malum pro qualicunque causa in aliquo *qualicunque verbo vel significatione* appareat. Quodsi deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinae subdatur (*c.* 34).

Si quis frater *contumax* aut *inobediens* aut *superbus* aut *murmurans* repertus fuerit..... (tandem) excommunicationi subjaceat (*c.* 23).

Instrumentum artis spiritualis est : Non esse *murmurosum* (*c.* 4. *instr.* 35).

Inobedientibus curae (Abbatis) *ovibus* poena sit eis *praevalens ipsa mors* (*c.* 2).

Obedientium exempla.

Collationes *Patrum* et *instituta* et *vita* eorum..... quid aliud sunt, nisi bene viventium et *obedientium monachorum exempla ?* (*c.* 73).

Vita S. Benedicti : Benedictione postulata atque percepta, *ad Patris sui imperium concitus perrexit Maurus* atque usque ad eum locum, quo ab undâ deducebatur puer, per terram se ire existimans *super aquam cucurrit* eumque per capillos tenens *cursu rapido rediit* (*c.* 7).

S. Ecclesia.

Otiositas est vitanda.

Concilium Basileense (1431) : Cum in malis desideriis sit omnis otiosus, plusque ceteris a daemonibus vexetur, volumus, ut fratres.... tempore, quo *divino officio* aut *sacrae lectioni* in cellis minime occupantur, non colloquiis aut vanitatibus se ingerant, sed magis alicui *labori* corporali insistant, prout in c. 48 Regulae plenius est expressum. Itaque *nullus otiosus permittatur*, sed, si quis repertus otiosus fuerit,

Digitized by Google

corripiatur. Labores tamen, cum oportuerit, cum discretione imponantur (*Decret. ad Congreg. Mellicens. ex MS*).

Opus manuale.

Statuta Ord. Carthusiensis (*fundat.* 1086 *a S. Brunone, approb. ab Alexandro III* 1176) : Reprehensibiles sunt, qui nolunt *opera manualia* aliquando exercere ; quia sic legitur in vitis Patrum : « *Nunc lege, nunc ora, nunc cum fervore labora.* » Sic erit hora brevis, et labor ille levis (*cfr. Holst. codex regul. tom II. Antiqua Statuta Carth.*).

Communis labor.

Congregatio Bursfeldensis (*Fund.* 1433) : Ut secundum mentem S. Regulae, quantum possumus, vivamus, ad prudentiam Superioris spectabit, ita *labores* secundum vires Fratrum et necessitatem Monasterii citra omne praejudicium divini Officii aliarumque magis necessariarum occupationum ordinare, ut et statutum Regulae observetur et justa cesset ratio querelarum. — Congregatis fratribus dictoque « *Adjutorium nostrum* » etc., « *Respice in servos tuos* » etc., « *Dirige* » cum orationibus, « *Dirigere et sanctificare,* » item « *Actiones nostras* » etc., procedant simul ad locum et labores destinatos. Exeuntes autem et redeuntes non longe ab invicem segregati sint, sed adunati procedant, subsequentes Priorem, et interim, sicut etiam laborando, non colloquiis, sed *orationi* vel *meditationi* vacent, nisi quando a Priore de piis et utilibus loquendi licentiam ad tempus contigerit indulgeri. — Curandum est Abbati, ut singuli fratres speciali assuescant exercitio manuali, ne, communi deficiente labore, otium amare incipiant, si non habuerint in promptu, quo se utiliter occupare sciant. *Opera* autem sint haec : scribere, describere, compingere libros, colere hortum interiorem Monasterii, rosaria conficere, aliaque similia, inter quae *scribendi exercitium* tanto *censetur utilius*, quanto spirituali vicinius (*Statut. dist.* 5. *n.* 2).

Suum cuique injungatur opus.

Statuta Cluniac. (*saec. XII*) : Statutum est, ut antiquum et *sanctum opus manuum* vel in claustris ipsis, ubi honeste remoto aspectu saccularium fieri potest, ex parte saltem aliquâ restauretur; ita ut omni tempore praeter festivos

Digitized by Google

dies, quibus operari non licet, *quolibet semper Fratres utili opere exerceantur* (*Statuta Petri Venerab. c.* 39. *P. L.* 189, 1036).

Labor sit discretus et silentiosus.

Congreg. Argentinens. (*Strassburg, fundata a.* 1624): Fratres se exerceant in *opere manuum* ipsis a Superioribus assignando, quod tamen semper *cum summo silentio* fiat, Superioresque omnia ita rationabiliter, habita locorum et temporum ratione, disponant, *ut Ecclesiae et populo satisfiat* atque monachi plus quam par est, non graventur (*Declar. ad. c.* 48. *S. Reg.*).

Convenientia monachis opera manualia.

Congreg. Suevica (*fundata* 1671): Quodsi aliqui forent *ad studia minus apti* atque habiles, illi, ut *tollatur otiosita*, vitiorum mater et virtutum noverca, deputentur ad exercenda quaedam specialia, sed tamen honesta et religiosum ac sacerdotalem statum non dedecentia *opera manualia*, cujusmodi sunt: scribere vel typis excudere libros; corrigere vel in suas rubricas distinguere scriptos; hortos colere; succos et liquores in medicinae usum ex herbis elicere; parare et curare medicinalia pro conventu; pingere, sculpere aut impingere libros; horologia solaria, instrumenta mathematica fabricare, aut etiam in orbe tornatili vitriaria, serinaria se exercere, quibus et nova quae desunt facere possint, et vetera quae fracta sunt reparare, ut semper scilicet in promptu habeant, quo se utiliter occupare possint (*De labor. frat. p.* 2. *c.* 3 *p.* 2).

Capitul. Provinc. Abbat. ap. Northampton (*in Anglia* 1343): Praecavere volentes, ne quem Ordinis nostri *otium* praecipitet in reatum, praesenti constitutione statuimus, ut Abbates et Priores monachos suos claustrales, *loco operis manualis*, secundum habilitatem eorundem certis faciant exercitiis occupari, videlicet *studendo, legendo, librosque scribendo, corrigendo, illuminando* pariter et *ligando* vel aliter, secundum quod eorum viderint expedire saluti (*Apud. Haeft. Disquis. monast. p.* 841).

Semper operis aliquid faciendum propter tentationes.

Concil. Coloniense (1536): Monachus et monacha amare debet *Scripturarum scientiam* et carnis vitia non amare. Psalterii librum de manu et oculis nunquam depo-

Digitized by Google

nere, semper orare, sensu vigilare, vanis cogitationibus aditum praecludere, corpore pariter et animo in Deum tendere, iram patienter vincere; breviter, *nullis animi perturbationibus* (quae, si insederint, ad delictum maximum inducunt) *locum dare: semper aliquid operis facere*, ut eos diabolus semper inveniat occupatos. Et quum nulla sint, quae manibus operari liceat, libros tamen sacros describere, maxime conveniret, ut et *manus* operetur cibo, et lectione *anima* saturetur. Porro *Aegyptiorum monasteria* hunc morem servasse leguntur, ut nullum monachum absque opere et labore susciperent, non tam propter victûs necessaria, quam propter animae salutem, ne perniciosis cogitationibus vagarentur (*P.* 10. *cap.* 16).

Cum oratione inciendum.

Brev. Rom. : Respice in servos Tuos, Domine, et in opera Tua, et dirige filios eorum. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos; et *opera manuum nostrarum dirige super nos* et *opus manuum nostrarum dirige*. Gloria Patri et Filio et Spiritui S., sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. — Oremus. *Dirigere* et *sanctificare*, *regere* et *gubernare* dignare, Domine Deus, Rex coeli et terrae, hodie *corda* et *corpora* nostra, *sensus*, *sermones*, et actus nostros in lege Tua et in operibus mandatorum Tuorum; ut hic et in aeternum, Te auxiliante, salvi et liberi esse mereamur, Salvator mundi: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen. — Dies et *actus* nostros in suâ pace disponat Dominus omnipotens. Amen.

Missale Rom. : *Actiones* nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere, ut *cuncta nostra oratio et operatio a Te semper incipiat et per te coepta finiatur* (*Orat. Sabb. Quat. Temp. Quadr.*). — Deus in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris; et quia sine Te nihil potest mortalis infirmitas, praesta auxilium gratiae Tuae, ut in exsequendis mandatis tuis *et voluntate Tibi et actione placeamus* (*Orat. Dom. I. post. Pent.*).

Monachi ad sacerdotium evecti.

S. Siricius, P. (✠ 398): *Monachos*, quos tamen morum gravitas et vitae ac fidei institutio sancta commendat,

Digitized by Google

clericorum officiis aggregari et optamus et volumus; ita ut, qui intra tricesimum aetatis annum sunt, in minoribus per gradus singulos, crescente tempore, promoveantur ordinibus et sic ad diaconatus vel *presbyterii insignia*, maturae aetatis consecratione, perveniant (*Ep.* 1. *c.* 13. *n.* 17. *P. L.* 13, 1144).

Concil. Aquisgran. (*Saec.* VIII) : Statuerunt Episcopi, concordante Dno Papa, ut *Monachi a gravi opere et labore propter honorem sacerdotii cessent* (*Fragm. hist. Conc. Aquisgr. ap. Mab. Analect. t.* 1. *p.* 149).

Eugenius II. († 827) : *Abbates* sacerdotalem quoque honorem sint adepti (*Concil. Rom. an.* 826. *c.* 27. *P. L.* 97, 696).

Concil. Pictaviens. (*a.* 1078) : *Abbates* et *Decani*, qui presbyteri non sunt, *presbyteri fiant* aut praelationes amittant (*c.* 7).

Bonifacius IV. († 614) : Sunt nonnulli... asserentes... monachos, quia mundo mortui sunt et Deo vivunt, *sacerdotalis officii potentiâ* indignos.... Neque enim B. *Benedictus, monachorum praeceptor almificus*, hujus rei aliquo modo fuit interdictor... Nos vero, tantorum patrum instituti exemplis,... credimus *a sacerdotibus monachis* ligandi solvendique officium, Deo operante, *haud indigne administrari* (*Conc. Rom. a.* 610. *P. L.* 80, 104).

Clemens V. (1314) : *Ad ampliationem cultûs divini* statuimus, quod monachi quilibet ad monitionem sui Abbatis se faciant ad *omnes ordines sacros*, excusatione cessante legitimâ, *promoveri* (*c.* "*Ne in agro*" 1. § 8. *tit.* 10. *de stat. monach. in Clem.*).

Clemens VIII. († 1605) : Quisquis recipiendus in aliquo ordine regulari, etiam mendicantium, in eâ sit aetate constitutus, quam ejus ordinis, in quo recipietur, regularia instituta et ordinationes requirunt. Eam vero *literarum scientiam calleat*, aut illius addiscendae spem indubiam prae se ferat, *ut minores et suis temporibus majores ordines juxta decreta S. Concilii Trid. suscipere valeat.* Sed si quis annum vigesimum quintum excedens ad habitum regularem admitti postulaverit et talis eruditionis expers inventus fuerit,

Digitized by Google

in conversorum tantum, quibus literarum scientia non est necessaria, numerum referatur (*Instit. sup. recept. et educ. Novitior. religios. a.* 1603. § 232).

Constitut. Coelestinorum (*approb.* 1629) : Novitii sint tales, qui rite et canonice possint *ad sacros ordines promoveri.* Et si quis vigesimum quintum annum excedens admitti postulaverit et eruditionis expers inventus fuerit, in *conversorum* numerum et habitum admittatur (*c.* 5. § 2).

Congreg. Bursfeld.: Si quis a saeculo conversus diligenter instando pulsaverit et, propositis sibi difficultatibus, perseveraverit, interrogetur coram omnibus vel privatim (praeter alia), an in *susceptione vel exsecutione ordinum* patiatur impedimentum. Interrogatus, si nullo se impedimento obnoxium esse responderit fueritque literis sufficienter imbutus, non erit ejus petitioni negandus assensus, nisi canonicum aliud aliquod obsistat impedimentum. Si notetur in eo canonicum aliquod impedimentum, statim dimittatur (*Constitut. Dist.* 7. *c.* 1).

Congreg. Suevica : Sub primis praecipui Ordinis nostri initiis unus tantum aut alter in singulis monasteriis ad *sacros ordines* promovebatur ; postea vero *ex consensu jussuque summorum Pontificum* patres nostri coeperunt conversioni gentium et saluti proximorum intendere, omnesque et singuli, qui habiles essent, *sacris ordinibus initiari* (*Constitut. p.* 2. *c.* 3. *pct.* 3).

Conversi fratres laici vel barbati.

Instituta Cisterciensium (*Saec.* XII) : Definierunt, se *conversos laicos barbatos*, licentiâ sui Episcopi, suscepturos, eosque *in vitâ et morte, excepto monachatu, ut seipsos tractaturos ;* quia sine adminiculo istorum non intelligebant se plenarie die sive nocte praecepta Regulae posse servare (*Exord. parv. Cisterc. c.* 15. *P. L.* 166, 1508).

Capitul. general. Ord. Cisterciens. (*a.* 1224) : Tales recipiantur in *conversos*, qui in labore taliter occupentur, quod evidens sit et certum, ipsos in officio sibi commisso laborem unius mercenarii compensare (*N.* 1. *apud Martène Thes. IV.* 1338).

Digitized by Google

Constit. Congreg. Camaldulens. (*a.* 1562): *Conversi manibus laborando* otium veluti hostem perniciosissimum semper insectentur (*Constit. c.* 48).

Statuta Cluniac.: Statutum est, ut infirmis ipsis vel quibuslibet in infirmariâ comedentibus nullus, ut fieri solebat, famulorum laicorum serviat, sed monachi tantummodo aut *conversi barbati*. Causa instituti hujus fuit, *honestior conversorum, quam saecularium famulorum, cum monachis cohabitatio*... Statutum est, ne hi, qui vocantur familiares, hoc est nec monachi nec conversi, quorundam monasteriorum pessimi destructores, nec etiam pro maximo lucro alicubi recipiantur (*Statuta Petri Venerab. c.* 24. *P. L.* 189, 1032).

Constitut. Congr. Argentinens.: Quoad fratres nostros *conversos*... ordinamus, ut a Superioribus *ad viliora officia deputentur* (*Declar. ad. c.* 57. *S. Reg.*).

Constitut. Congr. Bursfeld.: Cum Dominus Deus velit omnes salvos fieri, et ad conversionis gratiam venire, etiam S. Pater nullam conditionem a confraternitate Ordinis excluserit, nos etiam *laicas personas* suscipere non abnuimus, quamquam *nec habitum gestare*, nec omnimodam cum aliis rigorem servare teneantur, modo alias sint bonae famae, sufficientis aetatis, utiles ac ad laborem idonei. — Abbas non facile aliquem ad *ordinem conversorum* suscipiat, nisi ejus indolem, fervorem ad observantiam, affectum ad labores cum conventu noverit (*Dist.* 9).

Constitut. Congr. Suevicae: *Conversi pro ministeriis domesticis recipiendi*, quia plerumque ex humano potius et inordinato aliquo affectu, quam zelo perfectionis vitae ad religionem aspirant, multo magis sunt *examinandi* atque *probandi*, quo spiritu, quâ mente atque intentione monasticam vitam elegerint (*P.* 2. *c.* 5. *pct.* 1; 7).

Clemens VIII: Tempore probationis elapso, ii tantum, qui non solum religiosae perfectionis capaces, sed *ad laborem corporalem* apti, novo ac diligenti examine reperti

Digitized by Google

fuerint ad professionem admittantur (*Institut. sup. recept. et educat. Novit. Religios. a.* 1603. § 34).

Innocentius II. (*de a.* 1132): *Conversos* vestros (sc. Cisterciensium) qui *monachi non sunt*, post factam in vestris coenobiis professionem nullus Archiepiscoporum, Episcoporum vel Abbatum, sine vestrâ gratâ licentiâ, suscipere aut susceptum retinere praesumat (*Int. ep. S. Bernardi ep.* 352. *P. L.* 182, 555). *Conversi non sunt monachi.*

Capitul. generale Ord. Cisterc. (*a.* 1188): Provideant Abbates, ne personas generosas et quae in officio monachorum possunt utiliores esse, quam in *labore conversorum*, inter conversos recipiant, sed inter monachos magis. — Secundum Ordinis statuta *nullus conversus monachus fieri debet* a die petitionis suae, factae in capitulo monachorum (*N.* 4. *ap. Martène Thes. IV.* 1263).

Constitut. Congr. Camaldulens. (*a.* 1562): Vetuerunt Patres, *ne aliquis conversus permittatur fieri sacerdos vel clericus* (*c.* 58).

Congreg. Bursfeldens.: Suscepti (*conversi*) quoad probationem eadem erit ratio, quae Novitii (chori), excepto quod de ejus literaturâ et impedimentis ad sacros ordines scrutinium non requiratur (*Statut. dist.* 9. *c.* 1, § 1).

Clemens VIII. (et Urbanus VIII): Qui ad *conversorum habitum* recepti fuerint, *ad clericorum statum transire* etiam durante tempore probationis *non possint* (*Instit. sup. recept. et educat. Novitior. a.* 1605. § 34).

Clemens X. (✠ 1676): *Ne ullus frater* ad nostri ordinis habitum inter laicos seu conversos receptus et admissus, *ad statum clericalem admittatur* (*Constit.* "*Expon. nobis*" *ann.* 1675, § 2. *Cf. Holst. Cod. reg. IV.* 238).

Decret. S. Congr. Episc. et Regul., (*a.* 1837): *Conversi* expleto biennio et die, a publicâ susceptione cappae, professionem emittent; sed *eorum vota erunt tantum simplicia* (*Ap. Reiffenst. Jus Canon. ed. Pelletier. t.* 5. *p.* 668). *Eorum vota sint simplicia.*

Digitized by Google

Non sunt conventuales.

Statuta Capituli general. Ord. Cisterc. (*a.* 1181): Interdicitur generaliter, *ne conversi intersint electionibus* Abbatum (*N.* 2).

Constitut. Congreg. Camaldulens.: Quod ad locum conversi secundum ordinem professionis *post omnes monachos clericos* sua loca inter se servabunt; et in refectorio *separatam mensam* habebunt (*C.* 58).

Regula Conversorum Ord. Cisterciens.: Tenetur apud nos, in tempore Patris nostri piâ consuetudine jam firmatum, quod *conversi* omnes eo modo *se habent in choro suo*, quo et monachi in choro proprio (*C.* 1).

Conversorum divinum officium.

Constitut. Congreg. Camald.: *Participes conversi* sunt *omnium bonorum spiritualium*, quae fiunt in Congregatione, dummodo et ipsi loco divini officii sua « Pater noster » et « Ave Maria » persolvant, nempe pro Matutinis 40 « Pater noster, » pro Laudibus 10 etc. — Placet Patribus, ut Praelatus possit conversis, qui legere sciant, dare licentiam *officiolum Virginis* dicendi loco suorum « Pater noster, » et similiter *officium mortuorum*. Verum illud in propriis cellis persolvant, aut in aliquo alio loco reposito, ne forte spiritu superbiae tententur aut admirationem alicui ingerant vel scandalum (*C.* 58).

Constitut. Eremit. S. Hieronymi (*Confirm. a.* 1571): *Fratres laici*, ad chorum non deputati, *pro divino officio* recitabunt hoc modo orationes Dominicas et salutationes Angelicas: pro Matutinis recitabunt illas tricies et pro singulis aliis horis recitabunt illas decies (*c. VI. n.* 1).

Constitut. Congreg. Bursfeld.: *Conversi* praeter labores, quorum causa admissi sunt, precibus Deum laudare et exorare statutis temporibus debent... *Septies in die*, scilicet Matutini, Primae, Tertiae, Sextae, Nonae, Vesperarum et Completorii tempore, *sicut et Monachi* Creatori suo laudes offerre non negligant; et si extra chorum plures eorum congregati fuerint, Senior eorum incipiat « Deus in adjutorium etc., » ceteris prosequentibus « Domine ad

Digitized by Google

adjuvandum etc.; » dicunt autem pro Matutino « Deus in adjutorium etc., Domine labia etc., » per totum, tertio dein Pater noster etc.; quo finito additur « Gloria Patri, etc. » et hoc trigesies faciant, stant autem sub « Gloria » semper incurvati; absolutâ autem trigesies Oratione Dominicâ dicitur « Kyrie eleison » ter, tum « Pater noster, » tam ad Vigilias quam ad omnes horas adjungendo « per Dominum nostrum etc. Benedicamus Domino etc. » Ad horas diurnas post « Deus in adjutorium » et « Gloria Patri etc. » omnia fiunt ut dictum est de Matutino, excepto quod ad Laudes octies et ad Vesperas decies, ad Primam vero et reliquas minores horas quinquies dicant « Pater noster » cum « Gloria etc. » et hic ordo psallendi semper ab iis teneatur (*Dist.* 9. *c.* 1. § 2).

Constitut. Congreg. Argentinens. : Singulis diebus preces matutinas seu *cursum Marianum* secreto recitent. — Audito tandem signo ad meditationem *lectioni spirituali* vel *meditationi* intendant, quâ finitâ ad *opus manuum*, ad quod sunt destinati, accedant, usque dum ad audiendam Missam primam fuerint vocati (*Declar. ad c.* 57. *s. Reg.* § 10).

Constitut. Congreg. Suevicae : *Magister conversorum* imponet ipsis orationes, quas quotidie loco horarum canonicarum recitent, nempe pro Nocturnis et Matutinis triginta tria Pater noster et Ave, pro Vesperis duodecim et pro quâlibet horarum diurnarum septem (*Ps.* 3. *c.* 3. *pct.* 3. 12).

Eorum diversus habitus vel formâ vel colore.

Constitut. Congreg. Montis Oliveti (*Approb. a. Gregorio XIII. a.* 1573) : *Conversi* hoc discrimine *a clericis in habitu discernantur:* ut eorum scapularis hasta (quam vocamus) contractior sit, nec amplius palmo sub genu demittatur, neque lanâ sit confecta nobiliori. Scotto quoque (quod dicunt) nullo pacto amiciantur (*P.* 2. *c.* 85).

Constitut. Congreg. Argentinens. : *Vestes* (fratrum conversorum) sint simplices *coloris bruni*, ad instar tamen saecularium, scapulare nihilominus parvum habeant, seu tale, in quibus dormiunt monachi (*Declar. ad c.* 57. *S. Reg.* § 8).

Digitized by Google

Statuta Eremitarum S. Augustini (*approb. a.* 1580): Conversis nullo modo concedatur deferre coronam (*P. 2. c. 8. n.* 1).

Statuta Congreg. Bursfel. : Conversi *tondeantur sine coronâ* (*Dist. 9. c. 1. §. 4*).

Instructor conversorum.

Clemens VIII. : *Conversorum religiosa instructio* non sit praetermittenda, quando quidem satis exploratum est, istorum etiam perfectam educationem tum Religioni decorem et ornamentum, tum aliis Christifidelibus aedificationem, exemplum et utilitatem affere. Conversis ipsis *a Clericorum novitiatu separatus* ad dormiendum locus assignari praecipitur. Illi tamen, hâc separatione non obstante, Magistro Novitiorum seu Superioribus Monasteriorum et Conventuum juxta cujusque Ordinis statuta et constitutiones subditi esse et obedientiam praestare debebunt, a quo non tantum circa corporalia obsequia probandi et exercendi, verum etiam, pro eorum capacitate et commoditate, de spiritualibus, praesertim de modo mentaliter orandi, *diligenter instruendi* erunt (*Instit. sup. recept. et educat. Novitior. a.* 1603. §. 33).

Statuta Congreg. Bursfeld. : Susceptus *conversus Magistro committatur*, qui sollicite super eum intendat instruendo eum de moribus et ordine (*Dist. 9. c. 1. § 1*).

Constitut. Congreg. Argentinens. : Declaramus et statuimus firmiter, ut *fratres conversi* de spiritualibus, praesertim de modo mentaliter orandi, pro eorum capacitate instruantur (*Decl. ad c. 58. b. Reg. § 17*).

Constitut Congreg. Suevicae : Qui sub curâ habet *conversos Novitios*, *instruat* eos in catechesi, in oratione et exercitiis, mane et vesperi praesertim examine conscientiae faciendis, in modo purae et accuratae confessionis, in ratione devote communicandi, in recitando rosario tum Salvatoris tum Deiparae Virginis, aliisque, quae captum eorum non excedunt.... *Instruat* praeterea ipsos, quomodo utiliter audire sacras lectiones debeant, quas ipsis statis etiam horis et temporibus ex vitâ Christi germanicâ aut aliis libellis spiri-

Digitized by Google

tualibus simplicibus praeleget et applicabit. *Doceat* denique eos, quomodo formare debeant intentionem suam, ut labores corporales tanto majore cum merito peragant, quomodo se debeant abnegare, mortificare, contra vitia pugnare, in virtutibus proficere, praesertim patientiâ, obedientiâ et humilitate (*P.* 3. *c.* 3. *pct.* 3, 12).

Fraterna eis caritas adhibeatur.

Constitut. Congreg. Argentinens.: Omnes fratres serio admonemus, praesertim sacerdotes, *ne plus aequo fratribus conversis onera imponant vel duris verbis eos excipiant;* nam cum per professionem ipsis concesserimus *confraternitatem* nostram, aequum profecto est, ut eos eodem *fraterno amore amplectamur*, supportantes aeque eorum infirmitates ac aliorum, ne tristitiâ occupati, quasi in servitutem redacti sibi vivere videantur (*Decl. ad. c.* 57. *s. Regul.* §. 13).

Monasticum s. studiorum opus.

Benedictus XII. († 1342): Quia per exercitium lectionis acquiritur *scientiae margarita* et per studium sacrae paginae ad cognitionem excellentiae divinae familiarius pervenitur; ac per agnitionem humani juris animus rationabilior efficitur et ad justitiam certius informatur: Nos cupientes, ut *viri Ordinis* seu Religionis *S. Benedicti* in agro Dominico laborantes, *in primitivis, ac deinde in divini et humani, canonici videlicet jurium scientiis instruantur*, Constitutioni *Clementis P. V.* et praedecessoris nostri, de Monachis in scientiis primitivis instruendis infra Monasteria, quibus degunt, editae inhaerentes, illam volumus et praecipimus firmiter observari. Et nihilominus adjiciendo statuimus et ordinamus, ut quibuslibet Ecclesiis cathedralibus, Monasteriis, Prioratibus et aliis conventualibus et solemnibus locis, quibus ad hoc suppetunt facultates, Ordinis seu Religionis hujusmodi deinceps *habeatur magister, qui monachos eorum doceat* in hujusmodi scientiis primitivis, videlicet: grammaticâ, logicâ, et philosophiâ, proviso attentius, ut saeculares instruendi cum ipsis monachis docendis in eisdem Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus et locis nullatenus admittantur (*Constit.* "*Summi Magistri*" *a.* 1336. *c.* 6).

Digitized by Google

Clemens V. : Ut ipsis monachis proficiendi in scientiâ via opportuna non desit, in singulis ipsorum monasteriis, quibus ad hoc suppetent facultates, *idoneus teneatur magister*, qui eos in primitivis scientiis instruat diligenter (*c.* 1. §. 8. *tit. de statu monach.* 10).

Concil. Trid. (1545-1563): In monasteriis monachorum, ubi commode fieri queat, etiam *lectio sacrae Scripturae habeatur* (*Sess.* 5. *de reform. c.* 1).

Clemens VIII. : *Lectio S. Scripturae* vel *casuum conscientiae* bis in hebdomade, praescriptis diebus, in singulis conventibus habeatur, ad quam fratres omnes conveniant; eâque absolutâ, mutuâ collatione circa explicatam doctrinam sese utiliter exerceant (*Constit.* "*Nullus omnino*" *a.* 1599. §. 1).

Gregorius XVI. : Cum morum probitatis, vitae integritatis ac regularis disciplinae observantiae, individua comes et socia doctrina esse debeat, eodem monasterio (Cisterciensium, vulgo Alta Comba) *doctrinarum studia instauranda* curabis, earum *praesertim, quae ad sacrum pertinent ministerium* (*Constit.* : "*Maxim. inter*" *a.* 1832. §. 4).

Constitut. Congreg. Camald. : Non tacendum est, quod quibusdam *non suffragatur contra nos*, ut videtur eis, *Divi Hieronymi* sententia in s. Canonibus (*Can.* 16. *qu.* 1. *c. Monachus*), ubi dicitur « *monachum non docentis, sed plangentis officium habere* »; cum sanctissimus iste doctor eo in loco de iis loquatur monachis, qui silvas incolebant, nec sacris ut plurimum erant initiati. Atqui *sacerdotes*, qui modo urbes incolunt, rem sacram faciunt, peccatorum confessiones audiunt, et a multis saepe consilia pro animarum salute petuntur, *quis unquam sanae mentis dicat, non debere esse in lege sacrâ peritos et doctos?* Adde his, quod illi, de quibus sacer ille doctor loquitur, otium aliter vitare poterant, labori manuum et agrorum culturae incumbendo, quod nostrae tempestatis monachis minime par est. Et quis, rogo, fuit *Hieronymus*? nonne et *ipse monachus*? Quis, obsecro, *Basilius*? Quisne *Gregorius*? nonne omnes monachi? et tamen

Digitized by Google

suis doctrinis Christi Ecclesiam plurimum illustrarunt. Obmutescant igitur illi omnes, qui haec objiciunt! Ceterum eo res nostrae devenerunt, ut si non reparentur *sacris studiis*, religionem omnem perire necesse sit. *Refriguit siquidem caritas*, et Christi amor devotioque ut plurimum a monasteriis exulat, et nisi lectione *sacrorum librorum et orationibus revocetur*, actum est de nobis. Eia igitur, viri Camaldulenses, otium omne procul abjicientes, erigite mentes, tollite animos, talem literis operam impendite, ut non amplius nummos et fruges consumere nati passim vocitemini. — Quoniam *sacerdotes ignari in S. literis plurimum damnantur*, et pollicetur Deus Opt. Max. eos se repulsurum sacerdotes, qui legem suam ac scientiam abjecerunt, *fierique nequit, ut ab indoctis religiosis divina officia recte persolvantur et cum satisfactione populorum.* Idcirco patres nostri (occasione ejus, quod habetur in hâc parte Regulae in verbis: «Cantare autem et legere non praesumat etc.») bene institutarum religionum exempla sequentes ordinarunt ac praecipiunt districte Praelatis infrascriptorum monasteriorum, ut selectis, cum consilio seniorum, iis juvenibus, qui idonei ad literas perdiscendas censebuntur, eis *magistros assignent, qui diligentissime eos docent* grammaticen primum, deinde rhetoricam ceterasque bonas artes, quae religiosum hominem decent et ad s. Scripturam intelligendam plurimum conferunt; postremo iis studiis se totos tradant, sine quibus confessiones audire periculum est ac pene impossibile. Et si non habeantur in monasteriis tales magistri, ex aliâ Religione petantur (*c.* 47).

Statut. Congreg. Bursfeldens.: Quia sacer *Ordo noster pietate crevit et doctrinâ adolevit, ideoque summos in Ecclesiâ Dei fructus peperit*, majorum nostrorum vestigiis inhaereamus, et statuto S. Patris nostri obediamus, ut *quotidie certis horis in lectione divinâ occupemur.* Curent itaque Superiores, ne in ullâ re desint, quominus in *Philosophiâ*, *Theologiâ* et *aliis disciplinis*, maxime quae ad S. litterarum intelligentiam conducunt ex decreto *Benedicti XII* et aliorum summorum Pontificum occupentur. — Studiis ii sunt

Digitized by Google

Praefecti s. studiorum.

praeficiendi, qui eâ sint *prudentiâ* et *maturitate* et *religiositate praediti*, ut scientiis docendis verbo et exemplo sint pares, qui et novas opiniones parum communes et minus tutas contra Ecclesiae sensum, aut S. Patrum explicationem docere aut tueri non audeant. — In quovis monasterio *lectio philosophica, theologica*, aut certe *moralis* habeatur, ut et fratres non solum debite tempus impendere, sed et ad Ecclesiae catholicae incrementum in studiis litterarum et s. Scripturae intellectu se perficere possint. Nemo sine debitis approbationibus tam Ordinarii quam ipsius praesidis et sine proprii Abbatis licentiâ quicquam edere aut in lucem dare attentet. (*Dist.* 1. *c.* 5. § 1. 2. 6. 7).

Constitut. Congreg. Argentinens.: Quia a monasticâ disciplinâ alienum est inertiâ otioque languescere, et ab antiquorum Patrum nostrorum, qui Ecclesiam omni doctrinarum genere illustrarunt, principiis recedere, hujusmodi notam fugiamus, otiumque et nugas, efficax diaboli virus, evitemus, divinarumque Scripturarum speculationi intensius incumbere possimus, et Congregationi nostrae haec etiam inter cetera *scientiae gemma* non desit, hâc praesenti constitutione decernimus, ut in omnibus monasteriis, in quibus fuerint duodecim monachi, si aliter fieri possit, doceatur *Philosophia, Theologia scholastica* et positiva, sacrique *canones*, omissis tamen quaestionibus inutilibus, et servatis principaliter iis, quae ad Philosophiam experimentalem, dogma, conscientias dirigendas, historiam ecclesiasticam et ethnicam spectant (*Decl. ad c.* 47. *S. Reg.*).

Ne negligantur spiritualia exercitia.

Constitut. Congreg. Suevicae : Studio literarum omnes et singuli statis horis sedulo et diligenter incumbere debeant, sub obtestatione divini judicii eos praecipue, qui curam habent instituendae religiosae juventutis in moribus et litteris, monemus..... Illud imprimis singulos monemus atque hortamur, *ne studiorum amore unquam negligant spiritualia exercitia*, quae apud religiosos ubique primas semper debent obtinere partes, a quibus rectissime loquitur *Gersen*, adveniente die judicii non quae-

Digitized by Google

retur, quid legerint, sed quid fecerint, nec quam bene dixerint, sed quam religiose vixerint, denique ut utilibus et quae ipsis aliquando usui esse possunt, incumbant *studiis, non vanis, curiosis* aut etiam *a religioso statuto omnino alienis* (*P.* 1. *c.* 3. *pct.* 2. § 1 *et* 3).

Monastica studiorum ratio.

Concil. Prov. Pragense (*a.* 1860): In conventibus porro *collationes* et *exercitia de materiis theologicis* vel *aliis utilibus* saepius habeantur et *lector s. Scripturae* juxta praeceptum Concilii Trid. nunquam desideretur (*Sess.* 5 *de reform. c.* 1). *Monastica studia* non tantum merito aequent ceterorum labores, sed et superent (*Tit.* 7. *c.* 4).

Concil. Prov. Ultrajectense: (*a.* 1865): Superiores vigilantissimi sint, ut juxta uniuscujusque Ordinis leges recta *studiorum ratio* in conventibus servetur et promoveatur utque collationes et exercitationes de theologicis materiis vel de aliis utilibus rebus saepius inter religiosos alumnos instituantur (*Decr. tit.* 7. *c.* 2).

Concil. Prov. Colocense (*a.* 1863): Inprimis *S. Scripturae* diurnâ ac nocturnâ manu versandae,... *traditionum monumenta, Patrum scripta, Conciliorum*, inprimis Tridentini et provincialium decreta,... *canonum* sancita, *liturgici commentarii* relustrandi et terendi sunt (*Decr. tit.* 7. *c.* 6).

Paulus V.: De Apostolicae nobis attributae potestatis plenitudine hâc nostrâ perpetuo valiturâ constitutione sancimus, statuimus et ordinamus, ut in cujuscunque Ordinis et instituti regularium quomodolibet exemptorum et Apostolicae Sedi immediate subjectorum *studiis omnium trium linguarum* hujusmodi, *hebraicae* videlicet, *graecae* et *latinae*, in majoribus verum et celebrioribus etiam *arabicae* doctores, regulares quidem et ejusdem Ordinis, si in illo harum linguarum sufficientem notitiam habentes sint,... habeantur (*Constit.* "*Apostolicae servitutis*" *a.* 1610. § 2).

Bibliotheca.

Statuta Congreg. Bursfeld.: *Bibliothecarius* omnes monasterii libros ad divinum non spectantes officium sub custodiâ suâ habeat, quos etiam propriis nominibus et titulis singillatim annotatos habere debet ac saepius revidere, ne

Digitized by Google

forsan distrahantur, sed et, ne in iis aliquid vel a tineis depascatur, vel aliâ quâlibet corruptelâ inficiatur vel exedatur diligenter considerare, insuper eos crebro *lustrare*, num inter eos *libri prohibiti* aut haeretici reperiantur, quos sub unâ speciali serâ consignatos nulli extradat, nisi cui specialem eos legendi licentiam obtinuerit ; sine quâ si quis eos legere repertus fuerit, gravissime punietur (*Statuta, distinctio III c. 6. n. 1 et 5*).

Congregatio Camaldulens. : Quoniam sine libris impossibile est studiis operam dare, praecipiunt dictorum Monasteriorum Praefectis, ut quantocius *bibliothecam* in suo monasterio quisque erigat cum iis libris, qui necessarii censebuntur, et ejus cura uni particulari demandetur, sine cujus licentiâ vel Praelati, nullus ingredi in eam possit, nisi juvenes ibi studentes. Quibus etiam Abbas unum ex Senioribus praeficiet, qui eos intra Religiosorum limites contineat, ne forte studiorum occasione dissolvantur (*Constit. c. 47*).

Statuta Congreg. Argentinensis : Maxime curam habeat *bibliothecarius* de libris ipsi concreditis, ne vel pereant vel distrahantur, memineritque se rationem redditurum de violatâ paupertate, si quid ipsius culpâ negligeretur ; et cum *bibliotheca* sit vel maximum ornamentum ordinis et monasteriorum, admonemus Patres monasteriorum, ut sumptibus non parcant in comparandis libris exquisitis, ut advenientes ad monasteria nostra aedificentur et clare perspiciant, antiquorum nostrorum Patrum institutis pro republicâ christianâ nos inhaerere, ac *studia pro viribus promovere*, monachis vero nostris ea suppeditare, quae viros religiosos vel maxime decent. — Eligatur autem *bibliothecarius*, qui sit prudens, scientificus, linguarum peritus et studiorum amator (*Constit. c. 48. § 10 et 11*).

Missal. Rom. : Deus, qui Ecclesiae Tuae in exponendis s. Scripturis B. *Hieronymum* Confessorem Tuum Doctorem maximum providere dignatus es : praesta quaesumus, ut ejus suffragantibus meritis, *quod ore simul et opere*

Digitized by Google

docuit, Te adjuvante exercere valeamus. P. Dnm (*Orat. in festo S. Hieron.*). — Deus, qui Ecclesiam Tuam B. *Bedae* Confessoris Tui atque Doctoris eruditione clarificas : concede propitius famulis tuis, *ejus semper illustrari sapientiâ et meritis adjuvari.* P. Dnm (*Orat. in festo Ven. Bedae Presb.*). — Exaudi nos, Deus salutaris noster : ut, sicut de B. Teresiae Virginis Tuae festivitate gaudemus, ita *coelestis ejus doctrinae pabulo nutriamur et piae devotionis erudiamur affectu.* P. Dnm (*Orat. in festo S. Teresiae*). — Legem superni Numinis — *Doces magister et facis ;* — Nil scire prodest : sedulo — Legem nitamur exsequi (*Hymn. de S. Joanne Cantio ad Vesp.*). — Deus, qui Ecclesiam tuam B. *Thomae* Confessoris tui *mirâ eruditione* clarificas et *sanctâ operatione* fecundas : da nobis, quaesumus, et *quae docuit, intellectu conspicere, et quae egit imitatione complere.* P. Dnm (*Orat. de S. Thoma Aqu.*).

S. Obedientiae votum.

Joannes XXII. (✠ 1334) : Magna quidem *paupertas*, sed major *integritas;* horum autem et *obedientia maxima*, si custodiatur illaesa. Nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo, quos velut effrenes et liberos ditioni alterius humilis jugo propriae voluntatis astringit (*C.* 1. *Extra tit.* 14).

Concil. Salisburgense (*a.* 1574) : *Obedientia* monachorum ossibus inseparabiliter est affixa (*c.* 2).

Monachus Abbati tanquam Christo obediat.

Clemens XII. : Debet monachus *Abbatem* suum *Christi loco citra omnem disceptationem habere, eidemque in omnibus, peccato excepto, obedire*, et illum honore et amore, tum interno, tum externo prosequi, nihilque eo inconsulto statuere, neque de illius circa fratres regimine subtiliter investigare, omnem propriam conversationem, seu bonam, seu minus rectam, illi plane patefacere, nullas expositiones sive tractatus habere aut scribere, neque concionari aut docere, nisi ipso consulto atque annuente neque epistolam mittere aut accipere, quam illi non antea exhibuerit, neque illo inconsulto depositum aut pignus suscipere, neque mutuum quidpiam dare aut accipere, neque eleemosynam

Digitized by Google

erogare, aut petere, nisi illo annuente, servatis tamen juris solemnitatibus et acceptâ a legitimo Superiore facultate (*Constit. Misericordiarum Pater n. a.* 1740, *c.* 1).

Perfecta obedientia.

Concil. Prov. Strigoniens. (1858) : *Obedientia debet esse perfecta* eo sensu, ut quivis legibus, constitutionibus, regulis sui Ordinis, a Sede Apostolicâ confirmatis, plenum praestet obsequium. Sed nec minore propensione obsequatur unusquisque mandato atque dispositioni *Superioris, in quo Deum intueatur ;* quia « *omnis potestas a Deo data est, et, qui postestati superiori resistit, Deo resistit ; qui autem resistunt, damnationem acquirunt* » (*Decr. tit.* 7. *n.* 2).

Concil. Prov. Pragense (1860) : *Obedientia maximum bonum* et proprie *formam regularis vitae* constituit, quâ non tantum rebus, et carni, sed menti dominatur et animo (*Rit.* 7. *c.* 3).

Synodus Prov. Ultrajectens. (1865) : Virtus maxime propria eorum, qui, ut Dominum sequerentur, semetipsos abnegaverunt, est profecto *obedientia, quâ proprio judicio et sensui renuntiant*, ac non tantum rebus, et carni, sed menti dominantur et animo (*Decr. tit.* 7. *c.* 1).

Obedientia est spiritus S. Regulae.

Congreg. Bursfeld. : *Obedientia*, quam S. Pater summe suis alumnis mandat, quaeque secundum mentem plurium Doctorum est *spiritus Regulae nostrae*, summe ab omnibus observanda est, cum S. Pater c. 68 *promptam* etiam ad impossibilia obedientem voluntatem exigat, quamque c. 5 *velocem, caecam*, et *ex hilari animo profectam* et c. 7. grad. 4 *patientem* et *perseverantem* vult esse, et rursus c. 5. *Superiori ut Deo* exhiberi, summe in omnibus et ab omnibus observetur. Districte inhibetur, ne res a Superiore praeceptas quis examinare praesumat, an sub obedientiam cadant, sed *humiliter simpliciterque* in omnibus et ab omnibus affectu et actu obedientia exhibeatur, quae praecepto divino aut naturali evidenter non demonstrantur contraria (*Dist.* 5. *c.* 1. § 3).

Congreg. Argentinensis : Curandum est a mo-

Digitized by Google

nachis, ut in omnibus rebus *Christi Domini speciem et figuram gerant;* ideo nullus in monasterio sequatur proprii cordis voluntatem, seu proprium arbitrium, sed *ambulantes alieno judicio et imperio*, nihil utcunque parvum sine Abbatis jussione faciant, quia, quod sine proscitu et permissione Patris spiritualis fit, praesumptioni et vanae gloriae deputabitur, et non mercedi. Quod si vero aliquis jussioni et mandato Superioris contrafecerit, dicat culpam in capitulo et puniatur ab Abbate vel Priore secundum delicti qualitatem (*Declar. ad c.* 5. *S. Reg.*).

Perfecta monachi obedientia ex S. Regulâ.

Congreg. Suevica: *Obedientiam* S. Pater noster non qualemcunque, sed *perfectam*, suis numeris absolutam, a nobis exigit, *non trepidam*, non *tardam*, non *tepidam*, non *obnitentem*, non *perfunctoriam*, sed promptam, alacrem, constantem, caecam et simplicem, quae non tantum, in nudâ corporis exsecutione sistat, sed *quae etiam judicium nostrum et voluntatem Superiorum judicio et voluntati penitus conformet et subjiciat;* ita ut idem judicemus, velimus aut nolimus, quod Superiores judicarint, voluerint aut noluerint. Utque nos ad hanc obediendi promptitudinem et animi resignationem incitaret, *Superiores* a nobis considerari voluit, non veluti homines, suis quoque erroribus et infirmitatibus obnoxios, sed veluti *Dei vicem gerentes*, certo sibi persuadens, neminem fore, qui cum cogitaverit, Deum esse, qui per Superiores praecipit omniaque in praestitutos ab aeterno (etsi nobis adhuc occultos) divinae Suae providentiae fines rite sapienterque per eorumdem jussa ordinat, non velit prompte libenterque obsequi seque penitus divinae ejus dispositioni subjicere. « *Veri obedientes sunt*, inquit S. P. N. (*c.* 5 *Reg.*). *qui non suo arbitrio viventes vel desideriis suis vel voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno* (Superiorum sc.) *judicio et imperio, vicino obedientiae pede jubentis vocem factis sequuntur.* » Et rursus: « *Haec ipsa obedientia tunc erit acceptabilis Deo, si quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide aut cum murmure, vel cum responsione nolentis efficiatur, quia obedientia, quae Majoribus praebetur, Deo exhibetur.* » Ergo

Digitized by Google

ut, quod ad perfectionem obedientiae requiritur, Superiorum voluntati et judicio nos semper sine difficultate conformare, prompteque et alacriter obedire possimus, juxta praescriptum S. P. Nostri *in personâ Superiorum suspiciamus et revereamur auctoritatem et sapientiam Christi*, nos per illorum jussa ad aeternam salutem dirigentis, atque ut verbis utamur *S. Caesarii* hom. 8 ad monachos: «*Quidquid nobis a Superioribus fuerit imperatum, accipiamus tanquam de coelo, sicut de ore Dei prolatum, nihil reprehendamus, nihil discutiamus, quia in monasterio servire venimus, non imperare; potius obedire, quam jubere; totum sanctum, totum justum utileque judicemus, quidquid nobis a Praelato viderimus imperatum.*» Sic nos genuinos vereque obedientes S. P. N. filios esse comprobabimus (*P. 2. c. 2. pct. 3*).

Missale Rom. Monast.: Deus, qui *B. Maurum* Abbatem *ad imitandum obedientiae exemplum* sicco pede super aquas ambulare fecisti: concede, ut et virtutum ipsius implere documenta et praemiorum obtinere consortia mereamur (*Oratio de S. Mauro Abb.*).

Brev. Rom.: *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis;* propter quod et Deus exaltavit Illum et dedit Illi nomen, quod est super omne nomen (*Vers. post "Benedictus" in Laudibus Sabbati s.*).

Praestantia s. obedientiae.

Schema Concilii Vaticani: Ea potissimum religiosae perfectionis est virtus, ut qui statum regularem amplectuntur, praeter temporalium *bonorum renuntiationem* et *castitatis professionem*, abnegare semetipsos ac *perpetuum propriae voluntatis holocaustum* Deo offerre teneantur. Nihil igitur magis ad instaurandam servandamque regularem disciplinam conducit, quam *accurata et fidelis religiosae obedientiae observatio;* quandoquidem ipsa ceteras virtutes menti inserit insertasque custodit (*S. Gregor. l. 35 Moral. c. 10*) (1). Magna quidem *paupertas*, sed major *integritas;*

1. *Ex Praenotandis circa schema constitutionis super voto obedientiae regularium*: Necessitatem virtutis obedientiae tam in veteri, quam in novo testamento *S. Scriptura* frequenter inculcat. Consonant *SS. Patres* in hâc divinâ scholâ effor-

Digitized by Google

horum autem et *obedientia* maxima, si custodiatur illaesa; nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo (*Joan. XXII. Extravag.* " *Quorumdam* " *I de verb. signif.*). Hinc si *obedientiae votum* negligatur, Religiosorum corda velut terra sine aquâ arescunt, nec ipsi amplius humilitate, oratione, meditatione delectantur; quinimo religiosae familiae compago disrumpitur. Quapropter sacrosanctae Trid. Synodi decretis inhaerentes, quo facilius et

---

mati tum graeci tum latini. — Quae non solum *necessitatem obedientiae* ostendunt, sed ejusdem etiam inter ceteras morales virtutes *praestantiam*. Hinc *S. Gregorius*, l. 34 Moral. c. 12. " *Obedientia victimis jure praeponitur; quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur... Vir obediens loquitur victorias, quia dum alienae voci humiliter subdimur, nos ipsos in corde superamus.* " ... " *Inter virtutes morales* ", ut recte S. Thomas (2. 2. qu. 104 a. 3), " *tanto aliqua potior est, quanto aliquis majus aliquid contemnit, ut Deo inhaereat. Sunt autem tria genera bonorum, quae homo potest contemnere propter Deum, quorum infimum sunt bona exteriora; medium autem sunt bona corporis; supremum autem sunt bona animae, inter quae quodammodo praecipuum est voluntas, in quantum sc. per voluntatem homo omnibus aliis bonis utitur... Quaecunque alia virtutum opera ex hoc meritoria sunt apud Deum, quod fiunt, ut obediatur voluntati divinae; nam si quis etiam martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi haec ordinaret ad impletionem divinae voluntatis, quod directe ad obedientiam pertinet, meritoria esse non possent, sicut nec si fierent sine caritate, quae sine obedientiâ esse non potest.* "

Quae in genere de *virtute obedientiae* exposita sunt, speciali modo Religiosos afficiunt, qui ex voto illam servare tenentur, quique propterea prae oculis habeant, has laudes obedientiae deberi, *quicumque demum sit Superior*, cui praestatur; *Dei enim vices gerit...* Sed *obedientia ut perfecta* sit, non solum postulat, ut exacte fideliterque exsecutioni mandetur, quidquid a Superiore secundum Regulam praecipitur; sed etiam ut circa rem praeceptam voluntas et judicium subditi quantum fieri potest, subjiciatur et conformetur voluntati judicioque Praelati, qui ipsum loco Dei gubernat; " *nulloque vitio*, ait Cassianus (Collat. l. 2. c. 11) *tam praecipitem diabolus monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quam cum neglectis consiliis Seniorum suo judicio persuaserit definitionique confidere*"; et S. Bernardus de illis qui graviter ferrent imperata sibi minus suavia: " *haec*", inquit, "*si moleste coeperis sustinere, si dijudicare Praelatum, si murmurare in corde, etiamsi exterius impleas, quod jubetur, non est haec virtus obedientiae, sed velamentum malitiae* " (Serm. 3. de circumcis.). Haec ergo perfecta obedientia, dum floruerit in familiis religiosis, *florebunt procul dubio reliquae omnes virtutes, edentque sanctitatis fructus*, quos et sancti Fundatores, qui eas instituerunt, et Apostolica Sedes, quae eas probavit confirmavitque, et ipsa Societas Civilis, quae eas sustentat, exoptant et postulant. Hoc idem nos *docet experientia*. In his Ordinibus, in quibus sanctum Obedientiae votum exacte fideliterque servatur, et alia, quaecumque illa sint, servantur et virtutes omnes exercentur, unio et concordia inter fratres, studium orationis tum mentalis tum vocalis, zelus divini cultus, rerum mundanarum contemptus, sui abnegatio, mansuetudo, humilitas, interna externaque mortificatio, caritas proximorum, pro quorum salute quisque libenter impenditur...

Digitized by Google

securius regularis disciplina, ubi collapsa sit, instauretur, et constantius, ubi conservata est, perseveret, omnibus regularibus... praecipimus, ut... *perfectae praesertim obedientiae animo volenti mancipentur, crucifixum Christum Dominum intuentes*, qui « *factus obediens usque ad mortem,* » nedum nobis dedit hujus virtutis praeceptum, sed magnum quoque in Se Ipso, quod imitaremur, reliquit exemplum. Et quoniam « *omnis potestas a Deo est,* » Regulares omnes *in suis Superioribus Deum Ipsum agnoscant* ac meminerint, non solum ordinationi Dei resistere, qui potestati resistit, verum etiam sese peculiari obligatione teneri vi voti, quod in religiosâ professione emittendâ Deo nuncupant. Quamobrem debitâ *reverentiâ* et *amore suos omnes Superiores prosequantur*, et quae ipsi juxta Regulam injungunt, integre, prompte et humiliter sine ullâ excusatione perficiant. Eos insuper hortamur, ut ad assequendam hujus eximiae virtutis perfectionem, quae est quodammodo « *mater omnium custosque virtutum* » (*S. Aug. de civ. Dei l.* 44. *c.* 12), toto pectore incumbant; nec non a *nequam hujus saeculi spiritu*, qui est Crucis Christi omnisque auctoritatis ac subjectionis inimicus, sibi maxime caveant, seque undique tueantur (*Schema Constitut. sup. vote obedient.*).

Sancti et Doctores.

Homo ad laborem creatus et natus.

S. Basilius : *Deus*, cum *hominem* conderet, eum *inertem et otiosum esse noluit....* Quandoquidem *Adamo* praecepit, ut laboraret in paradiso illumque custodiret. Deinde, posteaquam ex eo ejectus est, pronuntiavit, fore, ut « *in sudore vultus* » sui comederet panem. Ea autem, quae Adamo dicta sunt, dicta esse omnibus ab eo oriundis, ex re perspicuum est. Ceterum possumus etiam pluribus divinae Scripturae testimoniis nostrum sermonem confirmare.... Testem fide dignissimum adducam, S. Paulum, dicentem : « *Audimus, quosdam inter vos ambulare inordinate, nihil operantes.* » Quin et inertiam desertionem Ordinis pronuntiavit : « *Non enim*, inquit, *inordinate gessimus nos inter vos.*

Digitized by Google

neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et fatigatione, nocte et die operantes, » et alibi : « *Ut operantes suum panem manducent* » (*Constit. mon. c.* 4. *n.* 1. *P. Gr.* 31, 1347). — Apostolus aperte praecipit, ut, qui non laborat neque etiam manducet. Quemadmodum igitur necessarium est unicuique quotidianum alimentum, ita labor pro viribus necessarius est... Imo et Dominus cum malitiâ conjunxit pigritiam dicens : « *Serve male et piger....* » Quare metuendum est, ne forte et hoc nobis *in judicii die* objiciatur, cum qui nobis facultatem operandi dedit, opera huic facultati convenientia a nobis exiget. Etenim : « *Cui,* inquit, *commendaverunt multum, plus petent ab eo* » (*Luc.* 12, 48). (*Regul. fus. tract.* 37. *n.* 2. *ibid.* 1011).

S. Joan. Chrysostomus : Moyses, ut dixit: « *Posuit Deus Adam in horto voluptatis,* » addidit, « *ut coleret illum et custodiret.* » Itaque, cum omnibus deliciis potirentur ibi vitam agentes, tam oblectamentis eorum, quae videbant, quam laetitiâ eorum, quibus fruebantur, ut ne immodicâ prosperitate homo insolesceret (omnem enim malitiam docuit *otium*), propterea praecepit Deus, « *ut operaretur illum et custodiret.* » Quid autem, dicet aliquis ; illius curâ indigebat paradisus ? Non hoc dico, sed voluit, ut parvam quandam sibique congruam gereret curam, partim custodiendo, partim operando. Si enim laboris omnis fuisset expers, protinus ex multo otio in ignaviam prolapsus esset ; nunc vero *in operatione occupatus*, quae neque dolorem neque molestiam afferret, *moderatior utique ac continentior esse debuit* (*Hom.* 14. *sup. Genes. n.* 2. *P. Gr.* 53, 113).

S. Bernardus : Cum legatur, *Adam* in loco voluptatis ab initio positus, « *ut operaretur* » (*Gen.* 2, 15), quis sane sapiens filios ejus in loco afflictionis ad feriandum positos arbitretur ? (*Serm.* 15. *de divers. n.* 1. *P. L.* 183, 577).

Joan. Trithemius, Abbas Spanheimens. († 1516) : « *Labores manuum tuarum quia manducabis,* » inquit propheta Domini, « *beatus es et bene tibi erit.* » Si beati censentur omnes, qui proprio manuum victitant de labore, nemo

Labor etiam poena peccati.

Digitized by Google

certe manducat panem sine reatu et crimine otiosus. Omnipotens namque Deus hanc protoplasto *Adae poenam* pro mandati originalis transgressione inflixit, denuntians ei, quoniam in sudore vultus sui cibum de terrâ manibus operaturus esset. *Cum autem in Adam peccaverimus omnes, eisdem necessario poenis subjicimur*, quibus illum constat fuisse suppositum. Manibus ille suis laborabat escam, unde viveret, nec panem otiosus manducabat (*De labor. mon. man. hom.* 7).

Monachus homo laboris.

S. Epiphanius : *Laborant in singulis monasteriis* tum in Aegyptiorum regione, tum in aliis omnibus *velut apes*, in manibus quidem habentes ceram opificii, in ore vero guttas mellis, cum propriâ hymniferâ voce universorum Dominum juxta proprium sensum laudant (*Haeres.* 80. *n.* 4. *P. Gr.* 42, 762).

S. Augustinus : Multo mallem, per singulos dies certis horis, quantum *in bene moderatis monasteriis* constitutum est, aliquid manibus operari, et ceteras horas habere ad legendum et orandum aut aliquid de divinis litteris agendum liberas, quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati (*De opere Monach. c.* 29. *P. L.* 40, 576).

Otiositas monachi iniqua.

Trithemius : Divus Pater noster *Benedictus* otium detestans monachorum, in regulâ, quam nobis tradidit, inquit : « *Otiositas inimica est animae, et ideo certis temporibus occupari debent monachi in labore manuum, certisque iterum horis in lectione divinâ. Tunc enim vere sunt monachi, si labore manuum suarum vivunt, sicut et patres nostri fecerunt et Apostoli.* » Unde et sanctus Christophilus Paulus in epistolâ dicit : « *Qui non laborat, non manducet* » (2 *Thess.* 3). Erat in primordio monastici status ista *consuetudo monachorum*, ut nullum sine labore admitterent in sui consortium, non tam propter victûs necessaria, quam propter animae salutem, ne perniciosis cogitationibus per otium daretur occasio. Non erant monachis illo tempore census, non decimae, non reditus, non proventus ulli annales, sed *victum et vestitum, omnes in communi conversantes, manibus sibi procurabant*, neminem debiti actione gravantes. Sancti quoque

Digitized by Google

Salvatoris nostri *Apostoli*, cum haberent potestatem de praedicatione Evangelii vivendi, manibus suis laborare maluerunt, ne quem fidelium gravasse viderentur, et ut haberent non solum, unde ipsi viverent, sed etiam quod indigentibus necessaria ministrarent..... « *Homo*, » Scripturâ testante, « *nascitur ad laborem, quemadmodum avis ad volandum* » (*Job.* 5). Ne igitur panem vestrum manducetis otiosi, *semper vos aliquo labore honesto et utili oportebit esse mancipatos*, quo et mens a taedio relevetur observantiae regularis et inopia gravis vel in parvo saltem reparetur. *Messis tempore ad foenum*, et *autumni diebus ad vindemiam* vos dumtaxat extra monasterium consuevimus occupare, quando videlicet et labor multum est necessarius, et mercenariorum caritas pretium mercedemque adauget famulorum. Reliquo vos tempore in coenobio decrevimus continere (*Hom. l.* 1. *hom.* 7. *De lab. monach. man.*). — Si vere monachi sunt, qui de laboribus manuum suarum vivunt, *sequitur, ut vere monachi non sint, qui otiose viventes, laborare contemnunt.* Qui autem in coenobio verus monachus non est, qui, obsecro, est? Non est, qui verus non est. *Prorsus monachus non est*, qui verus non est; quia omne, quod veritati contrarium est, non est, ut esse debet. Quod autem non est, ut esse debet, summae Veritati contradicit, quae omnibus rebus debitum ordinem essendi constituit. Et ergo veraciter non est. Laborandum itaque nobis est, fratres, ne offendamus Apostolum otiose manducantes; ne desinamus esse quod ut essemus, monasterii claustra subivimus. — *Otiositas mater et scaturigo est omnium vitiorum*, et omnium interitus virtutum. Nam tempus acceptabile infructuose et turpiter expendit, virtutum fomenta deserit, libidinem suggerit, vires minuit, animam occidit. *Otium itaque fugite*, qui ad vitam aeternam cupitis pervenire, quae non otiosis, sed rite laborantibus repromissa est. Et maxime in monachis haec desidia reprehenditur, qui non de labore ad otium, sed de otio ad laborem vocantur. — *Conversionem morum* tuorum vovisti secundum Regulam S. Benedicti, quae monachos in tantum laborare praecipit,

Non est monachus, qui otiosus.

Otiositas vitiorum mater.

Digitized by Google

ut otiosos monachos esse negaverit (*De laude script. manual. c.* 5. *et* 13).

Operatio cum precatione jungenda.

S. Basilius : Quoniam precum et psalmodiae obtentu nonnulli opera refugiunt, sciendum est, in aliis quidem quibusdam rebus proprium esse cujusque rei tempus, juxta Ecclesiastem, qui dixit: « *Omni negotio tempus est* » (*c.* 8. *v.* 6) ; sed precationi et psalmodiae, sicut et pluribus aliis rebus, nullum non tempus idoneum esse ; ita *ut interea, dum admovemus manus ad opera*, modo quidem ipsâ *linguâ* (quando id fieri potest aut conducit potius ad fidei aedificationem), sin minus, *corde* in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus Deum *collaudemus*, uti scriptum est, et ita *inter operandum precationem expleamus, gratias quidem agentes Ei*, qui et manuum vires ad conficienda opera, et mentis solertiam ad cognitionem comparandam suppeditavit, quique materiam largitus est, tam eam, quae in instrumentis, quam eam, quae in excultis a nobis artibus adhibetur ; *precantes* vero, *ut huc spectent manuum nostrarum opera, ut Deo placeamus.* Hoc modo etiam mentem a vanis cogitationibus avocamus, cum in quâlibet actione a Deo exposcimus felicem operis successum, et Ei, qui vim agendi impertivit, rependimus gratias, cumque, uti antea dictum, propositum Ei placendi custodimus. Etenim nisi haec ita se habeant, quî fieri potest, ut cohaereant inter se, quae ab Apostolo dicta sunt, et illud videlicet : « *Sine intermissione orate* » (*I Thess.* 5), et illud : « *Nocte et die operantes?* » (*II Thess.* 3, 8). (*Regul. fus.* 37. *n.* 2. *et* 3. *P. G.* 31, 1011).

Cassianus : Omnis monachi finis cordisque perfectio ad jugem atque indisruptam *orationis perseverantiam* tendit, et, quantum fragilitati humanae conceditur, ad immobilem *tranquillitatem mentis* ac perpetuam nititur *puritatem.* Ob quam possidendam omnem tam *laborem corporis* quam *contritionem spiritus* indefesse quaerimus et jugiter exercemus ; et est inter alterutrum reciproca quaedam inseparabilisque conjunctio. (*Coll. I.* 9. *c.* 2. *P. L.* 49, 771).

Digitized by Google

S. Nilus : Cum *ad labores manum* moveris, *lingua* psallat et mens oret (*Paraenes.* 80. *P. Gr.* 79, 1255).

S. Bonaventura : «*Semper aliquid boni facito, ut te semper diabolus inveniat occupatum.*» In his ergo maxime exerce te. In frequenti et ferventi *oratione*, in *lectione* et in *servitiis*. Et per *ista tria tota vita* tua decurrat, et semper ores aut legas aut servias (*In reg. Novit. c.* 4). — *Funem, ne facile rumpatur, e triplici reticulo componas*, videlicet ex sacrarum Scripturarum devotâ lectione, ex sedulae orationis compunctione, ex bonarum actionum humili exercitatione. *Lectio* dat materiam, et quasi semen bonae cogitationi. *Oratio* rigat et ad perfectum roborat et cor illuminat ad intelligentiam, et impinguat affectum ad saporem. *Bona actio*, maxime condita pinguedine caritatis et obedientiae vel alterius virtutis, laetificat conscientiam et dat fiduciam spei in Deum, et si ad horam intercipit devotionis quietem, tamen meretur postea majorem dulcedinis infusionem et gratiam puritatis (*De inform. Novit. c.* 4).

Trithemius : Sicut *otiositas* inimica est animae, sic *labor moderatus* spiritualis conservator est vitae. *Monachus* enim, quia *miles* est Regis aeterni, nunquam debet esse otiosus. Otium namque parit acediam, et illa introducit animae perniciosae mortis egestatem. Labores autem monachorum ita sunt moderandi, ut nunquam a divinis vacent colloquiis, sed *inter opera manuum in corde meditatio ferveat Scripturarum*, quae, posteaquam in odorem spiritus mentem perduxerit, mox in *orationem* devotissimam commutetur. Sit ergo monachus Christi miles *sicuti animal Dei mundum, quod ruminat*, habens semper in ore cordis sui sanctarum pabula Scripturarum, ne vanis et perniciosis cogitationibus mens pateat, aut verbum ex ore loquentis turpe sive otiosum erumpat. Memor sit semper *inter operandum* Scripturae dicentis: «*Beatus vir, qui in lege Domini meditabitur die ac nocte*» (*Ps.* 1). Omnis enim, qui Dominum Jesum in veritate diligit, doctrinam simul et passionem Ejus in corde suo

Digitized by Google

cum lacrymis et orationibus quotidie revolvit (*L.* 1. *hom.* 7. *de labore monachorum manuali*).

Servi vel fideles vel nequissimi.

S. Hildegardis : Dominus homines sic alloquitur: *De operibus vestris judicari debetis.* Sed *quidam in divino honore laborant ;* quidam autem in molestiâ taedii torpescunt. *Et qui Deum honorant,* dicunt : «De suggestione diaboli in casu «Adae in peregrinatione cecidimus et in operibus nostris «multa vitia contraximus ; quam transgressionem flebiliter «plangemus. Propter gloriam autem Nominis Tui promit- «timus, quod a peccatis nostris abstinere desideramus. At- «tamen honorem Tuum, justitiam et Scripturas per Te «datas, venerati sumus in dilectione !» Et Dominus, qui incomprehensibilis est, illos laudat, ac supra multa bona constituit, nec eos damnat, quia Ipsum poenitendo invocabant. *Qui autem in taedio divinorum torpescunt, dicunt* : « Honor «Tuus nos afflixit, justitia Tua nos vulneravit, multitudo «Scripturarum Tuarum nos suffocavit, voluptatem mentis «nostrae viriditas spiritus Tui evertit, atque effusio zelus «Tui nos fatigavit, ita quod in laetitiâ Te inspicere non «possumus nec nos excusare valemus. » Et *Dominus illos dicit nequissimos servos* esse, et quod in justitiis suis adjutorii eorum non indiguerit, dicens, cur non erubescant, quod Ipsum in temeritate verborum suorum invadunt ; unde et *ligandi* sint et *in poenas mittendi,* dum omnia vitia sua in semetipsis aestimant. *Tu autem, o miles Christi, haec etiam ad te ipsum intellige !* Cum enim in saeculo fuisti, pauca bona fecisti ; sed admonitio Spiritus S. te concussit et ad bonum te convertit. *Cave autem, ne sedentem servum imiteris,* scilicet.... Deum in bonâ voluntate et opinione semper amplectere et amplectendo retine et vives ! (*Epist.* 131. *P. L.* 197, 359).

Otiositas inimica animae.

S. Augustinus : *Omnem otiositatem expellite,* semper aliquid boni facite, et quem taedet orare vel psallere, laborare manibus non differat ; cogitans, quod, quamdiu *David* exercitavit se in militiâ, non insultavit ei luxuria ; sed post-

Digitized by Google

quam in domo otiosus remansit, laboravit adulterio et homicidium commisit. *Samson*, dum cum Philistaeis pugnavit, non potuit capi ab hostibus ; sed postquam dormivit in sinu feminae et otiose cum eâ remansit, mox capitur et caecatur ab hostibus. *Salomon*, dum occupatus esset in aedificatione templi, non sensit luxuriam, sed mox recedens ab opere persensit insultum luxuriae, et deficiens, feminâ instigante ad idola, adoravit in thalamo vitulum aureum. *Vigilate ergo, fratres mei*, et nolite deficere, *quia nec sanctiorem David, nec fortiores Samsone, nec sapientiores Salomone* vos esse cognovi. — Per *otiositatem*, fratres, rigorem sanctae solitariae Religionis fastidimus ; per hanc eremum saepe exire tentamur; per hanc accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam (*Serm.* 17. *ad. fratres in erem. in app. P. L.* 40, 1264).

S. Hieronymus : Facito aliquid operis, ut te diabolus inveniat occupatum (*Ep.* 125. *n.* 11. *P. L.* 22, 1078). — *Semper aliquid agendum, ne ager pectoris* nostri, cessante manu, malarum cogitationum *sentibus occupetur* (*L.* 5. *in. Ezech. c.* 16. *v.* 49. *P. L.* 25, 162).

S. Chrysost. : *Otium* malitiae causa est et radix : omnem quippe malitiam docuit otium (*Serm.* 16. *sup. epist. ad. Ephes. n.* 1. *P. Gr.* 62, 112). — *Quid injucundius homine otioso?* quid aerumnosius? quid miserius? Nonne hoc plurimis vinculis deterius? .... Nihil *vacatione* molestius, nihil otio perniciosius.... Sicut otium mala res est, ita et *operatio, quae non congruit ;* igitur fugiendum est et opus otio deterius (*Hom.* 35. *sup. Act. Apost. n.* 3. *P. Gr.* 60, 257. *sq.*).

Cassianus : Operam detis, ut *quieti sitis*, i. e. in vestris cellulis commorantes, nec diversis rumoribus, qui solent *otiosorum votis vel fabulis* generari, inquieti effecti, aliis quoque inquietudines inferatis. Et ut vestra negotia agatis, non vestrâ *curiositate* actus mundi velitis inquirere, ac diversorum diversationes explorantes, opera vestra non ad correctionem vestram seu virtutum studia, sed ad detractiones fratrum velitis impendere. *Numquam potest* nec apud eos

Otiosorum curiositas et vitia.

Digitized by Google

quidem, qui saeculi homines sunt, *honeste incedere, qui nequaquam claustris cellae et operi manuum suarum inhaerere contentus* est, sed necesse est eum inhonestum esse, dum necessaria victûs requirit, adulationi quoque operam dare, novitates etiam rumorum sectari, causarum fabularumque occasiones conquirere, per quas sibimetipsi aditum paret ac facultatem, quâ diversorum domos valeat penetrare (*De Coenob. Instit. l.* 10. *c.* 7. *P. L.* 49, 373). — *Mens otiosi nihil aliud cogitare novit, quam de escis ac ventre*, donec inventâ quandoque sodalitate cujusquam viri vel feminae tepore aequali torpentis, rebus eorum ac necessitatibus involvatur; et ita paulatim reddatur noxiis occupationibus irretitus, ut tanquam serpentinis spiris obstrictus, nunquam deinceps ad perfectionem professionis antiquae se valeat enodare (*L.* 10. *c.* 6. *ibid.* 370). — Haec est apud Aegyptum ab antiquis Patribus sancita sententia, *operantem Monachum daemone uno pulsari, otiosum vero innumeris spiritibus devastari* (*l.* 10. *c.* 23. *ibid.* 394).

Otiositas locum dat diabolo.

S. Gregorius M. : Dum lassum se quisque *in otio* remittit, dissolutam mentem corruptori prostituit (*L.* 2. *Mor. c.* 49. *n.* 79. *P. L.* 75, 594).

Guillelmus, Abb. S. Theodorici († *c.* 1150): *Omnium tentationum* et cogitationum malarum et inutilium *sentina est otium* .... (*Epist. ad. fratres de Monte Dei. l.* 1. *c.* 8. *n.* 21. *P. L.* 184, 321).

Petrus Blesens. Cancell. et Archidiac. († 1200): Effeminari *otio* et torpere *pigritiâ* nihil aliud est, quam *suffocare virtutem*, nutrire superbiam vitamque construere ad gehennam (*Ep.* 9. *P. L.* 207, 27).

S. Bernardus : Fugienda est otiositas mater nugarum, noverca virtutum (*Lib.* 2. *de Consider. c.* 13. *P. L.* 182, 756).

Gerson, Paris. Cancellar. († 1429): Non est aliqua cogitatio tam turpis, tam abominabilis, mala et exsecranda, quam non inveniat *detestanda otiositas.* Nam *cor vacantis otio est adinstar molendini*, quod cum non habeat ad molendum bonum frumentum, quia in continuo motu est, molit et

Digitized by Google

consumit seipsum, et jam usque ad totalem sui consummationem aut destructionem, nisi prohibeatur alicujus diligentiâ. Et aeque cito molit advolantes foedas muscas, sicut granorum electorum adipes (*Part.* 3. *tract. de exercit. discretis*).

S. Joan. Chrysost. : Et oculus et os et venter et unumquodque membrorum, nisi, quod suum est, operetur, in extremum incidit morbum... Uter *equus* utilis, is, qui in deliciis, an qui exercetur? Utra *navis*, ea, quae navigat, an quae in littore manet? Utra *aqua*, eane quae fluit, an quae stat? Utrum *ferrum*, quod movetur, an quo nemo utitur? Nonne illud quidem splendet atque argento simile est; hoc autem *rubigine consumitur* et ubique inutile est, etiam aliquid suae materiae amittens? *Tale quiddam fit etiam in animâ otiosâ*. Rubigo enim quaedam apprehendit illam et consumit splendorem atque alia omnia (*Hom.* 35 *in Acta Ap. n.* 3 *et* 2. *P. Gr.* 60, 258, 256). — *Corpus, quod otiosum* quidem et immobile, *magis morbis obnoxium et foedum;* quod autem movetur et laborat et aerumnis exercetur, formosius est ac sanius (*Hom.* 54, *in Act. Apost. n.* 3. *ibid.* 378).

S. Hieronymus : Aegyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animae salutem, ne vagaretur perniciosis cogitationibus mens (*Epist.* 125. *n.* 11. *P. L.* 22, 1079).

Guerricus, Abb. : *Opus* onus est, quo, *sicut pondus navibus*, ita quies et gravitas inquietis additur cordibus (*Serm.* 3 *in Assumpt. n.* 5. *P. L.* 185, 196).

S. Thomas Aquin. : Valet *studium* ad vitandam carnis lasciviam (*II. II. quaest.* 188. *art.* 5).

Laborandum in vineâ Dei.

Thomas a Kemp. : Vade ad opus tuum et *labora in vineâ Dei pro denario aeternae vitae*, ne tibi improperet paterfamilias : « *Quid hic stas totâ die otiosus* »? Laudat Scriptura bene operantem; remunerat Christus servum fidelem; arguit pigrum et negligentem; jubet ab eo tolli gratiam concessam et dari eam ferventius operanti. *Veniet namque tempus, quando non poteris amplius operari* nec unum quidem

Digitized by Google

Exemplum Christi et Sanctorum.

verbum loqui prae infirmitate. Hoc debes modo praecogitare et semper de extremâ horâ pavere, ne vacuum te inveniat. Unde Dominus JESUS discipulis suis dixit : « *Me oportet operari opera Ejus, qui misit Me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari. Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi* (*Joan.* 9). » Accipe ergo exemplum bona operandi a Christo JESU, a s. Paulo, a s. Antonio, a s. Augustino, a s. Hieronymo, a s. Benedicto, a s. Francisco, a s. Dominico et ab omnibus Patribus, qui regulas monachorum scripserunt et religionem instituerunt (*De discipl. claustr. c.* 6).

S. Isidorus, Hisp. : Qui viribus corporis et integritate salutis consistunt, si in opere *otiosi* sunt, *dupliciter peccare noscuntur, quia* non solum *non laborant*, sed etiam *alios vitiant* et ad imitationem suam invitant (*Reg. monach. c.* 5. *n.* 3. *P. L.* 83, 874).

Trithemius : *Labora sicut bonus miles Christi* JESU, et diligenter operare manibus, quodcunque tibi ex obedientiâ injungitur... Nullus labor gravis, nullum tempus longum, nulla monacho dura videri observantia debet, quibus gloria aeternae beatitudinis acquiritur (*L.* 1 *ad monachos. hom.* 7 *de lab. monach. man.*).

S. Thomas Aqu. : Qui *operibus spiritualibus* publice vacant, excusentur per hujusmodi opera spiritualia ab *opere manuali*... Illi vero, qui praedictis operibus non quasi publicis, sed quasi privatis vacant, non oportet, quod per hujusmodi opera a manualibus operibus abstrahantur (*II. II. qu.* 187. *art.* 3. *ad* 3).

Spirituales labores praeferendi.

Petrus Venerab., Abb. Cluniac. (✠ 1158) : Videtur indecens, imo indecentissimum, ut fratres, qui assidue in claustro morari, silentio, orationi, lectioni ac meditationi ac ceteris *Regulae praeceptis et ecclesiasticis ministeriis* intentissime operam dare praecipiuntur, his omnibus dimissis, rusticationi et vulgaribus operibus intendant, et qui, ut *byssus tabernaculi*, interiora suâ pretiositate et subtilitate, hoc

Digitized by Google

est coelestium subtili contemplatione ornare debuerant, ut *cilicium extrinsecus positum*, ventorum impulsiones, imbrium inundationes et universas aëris perturbationes, h. e. mundanorum operum nimias occupationes, eos ab intimis extra trahentes, sustineant (*L.* 1 *ep.* 28. *P. L.* 189, 145).

Trithemius : Si dixeris mihi, non possum scribere, *in cellâ* per totum diem non valeo permanere, ad labores exteriores libenter ibo, fodere, aut portare lapides minime recusabo, tantum ne angustiam patiar in his, quae mihi sunt omnino contraria, breviter respondebo. Non est bona comparatio, quae a profectu meliori discedit. *Melius est scribere, quam fodere*, libros sacros legere, quam lapides portare... Si verus monachus esses, non abhorreres secretum cellae, quod tuae vel maxime congruit honestati. Non est tanta in monachis nostrâ aetate devotio, ut veterum exemplo in *operibus agriculturae* possint proficere... His laboribus quasi quibusdam distractionum vinculis absoluti, ad interiora animum convertentes, *cellae secretum amemus, orationi et lectioni crebrius insistamus*, libros sanctorum Patrum cum devotione scribamus, *escas animam pascentes quaeramus!* — Nullus in coenobiis labor est, qui magis nos deceat, magis expediat nostraeque professioni plus appropinquet, quam *officium scribendi*. Nam divinis mancipati officiis fodere non valemus; duros gravesque agrorum labores ferre non possumus, quia si foris in operibus rusticis per diem nos fatigari contingeret, *divinum a choro servitium periret*. Sed *cum Dei famulatus omnibus sit praeponendus laboribus*, valde inconveniens esset, ut interioribus omissis, exterioribus se monachi immergerent (*De laude Scriptorum manual.* 13 *et c.* 15).

Rupertus Tuitiens. († 1135) : De illo *opere manuum* quo maxime victus acquiritur, quod est arare, seminare et metere silvasque succidere perspicuum est, quia non est *B. Benedicti* praeceptum, sed tantummodo permissum (*In Reg. S. Ben. l.* 3. *c.* 5, *P. L.* 170, 513). — Pater monachorum *B. Benedictus* non ita de opere manuum monachis ordinem scripsit, ut inquietari vellet *otium sanctae contemplationis*, cui locum

Digitized by Google

faciunt munificentiae fidelium divitum, de qualibus in psalmo mystice dictum est: « *Saturabuntur ligna campi et cedri Libani, quas plantavit. Illic passeres nidificabunt* » (*Ps.* 103). Passeres illi sumus vel esse debemus nos, parvuli in oculis nostris, attamen volantes in sublime pennulâ contemplationis; et hujusmodi passeribus ligna campi et cedros Libani, i. e. divites saeculi, Deus praeparavit, ut in facultatibus eorum quiesceremus, quicunque sumus spiritualis propositi (*L.* 3. *c.* 7. *ibid.* 515). — Igitur bonum quidem est monachis, operando manibus otiositatem effugere, quae inimica est animae, *optimum* autem *et otiositatem effugere et nihilominus cum verbo Dei sancto otio sabbatizare:* « *Martha, Martha,* inquit Dominus, *sollicita es, et turbaris erga plurima; porro unum est necessarium* » (*Luc.* 10). Quod est illud unum necessarium? Utique *sedere secus pedes Domini et audire verba oris Ejus.* Ubi autem sunt pedes Ejus, nisi in Sacramento altaris Ejus? Hi enim sunt vestigia passionis Ejus, vestigia resurrectionis et ascensionis Ejus. Ergo *sacramento altaris inservire,* et ob hoc omnibus negotiis expeditum esse, ut vacet tibi meditari sacramenta salutis nostrae, quam Ille est « *in medio terrae operatus* » (*Ps.* 73), hoc sedere est ad pedes Domini et audire verba oris Ejus... Quando pugnabat Israël contra Amalec, Moyses et Aaron et Hur ascenderunt super verticem collis (*Ex.* 17), « *Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israël, sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Manus autem Moysi erant graves. Sumentes igitur lapidem posuerunt subter eum, in quo sedit, Aaron autem et Hur sustentabant manus ejus ex utrâque parte. Et factum est, ut manus ejus non lassarentur usque ad occasum solis.* » Numquid illuc Aaron et Hur otiosos fuisse dicemus? Non utique. Nam etsi non oraverunt, suâ tamen operâ egerunt, ut manus orantis non lassarentur. Sic nimirum, salvo sacratiore intellectu, monachi illiterati, ac per hoc neque sacerdotalibus neque leviticis apti officiis, non omnino otiosi sunt, dum sacerdotibus et levitis quotidianum in divinis officiis ferunt solatium, quantum licet et quantum sciunt, ac

Digitized by Google

deinde quas noverunt, exercent artes, intus dumtaxat, intra claustra monasterii (*L.* 3. *c.* 8. *ibid.*). — In illis, qui simpliciter monachi sunt, illa consideratur inchoatio, quam suam esse Regulam B. Benedictus profitetur; in his autem, qui *monachi simul et clerici* sunt, apostolica perfectio est. Perfectionem autem dico non pro merito, sed pro officio... *Optimum est dignitas sacrorum ordinum*, quorum sanctissimae functioni nullo melius modo, quam vivendo sub monachicâ disciplinâ, quispiam praeparatur, ut iisdem ordinibus dignus habeatur... Rectissimus atque ordinatissimus iste processus est, ut sanctam atque caelibem, sub obedientiae jugo prius assuescat vitam, et tunc demum ejus obedientiae suscipiat coronam, scilicet sacerdotalem stolam (*L.* 3. *c.* 9. *ibid.* 516 *et* 517). — Multi fuere Patres scientiam non habentes... At nunc alius status Ecclesiae est; et impletum est illud, quod olim in Canticis Canticorum dilectus dilectae, Christus Ecclesiae pollicens: « *Veni*, inquit, *de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sayr et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum* » (*Cant.* 4). (*l.* 3. *c.* 11. *ibid.* 519).

Haeftenius, Praepos. Affligeniensis (✠ 1648): Ut in eâdem domo germanae habitabant sorores, *Maria* et *Martha*, ita *in monasteriis quidam orationibus et choro* sive contemplativae vitae exercitiis deputantur, *quidam externis operibus* aliorumque obsequiis et activae vitae obsequiis se ex obedientiâ impendunt. Hos *laicos* communi nomine dicimus, tanquam de populo, cum alii clerum olim repraesentarent et jam plerumque ex illo sint. Sunt hi *laici* in corpore monasticae Congregationis *velut manus et pedes.* Nam.... *S. Dorotheus* Coenobium corpori comparans et singula officia membris accommodans: « *Qui opera*, inquit, *exercent, manibus comparantur; qui reddunt responsa et huc atque illuc ad ministeria diriguntur, vicem exsequuntur pedum.*» Et hos mox admonens: « *Manus*, inquit, *es? operare et viriliter te exerce! Pes es? obsequere et ministerium tuum*

Monachi et laici sunt sicut Maria et Martha.

Digitized by Google

exple! Unusquisque demum vestrum communi corpori deserviat, et munus suum non segniter, sed pro viribus suis exsequatur » (*Disquis. monastic. l.* 3. *disquis.* 8).

Fratres conversi vel oblati.

Mabillonius : Non ante saeculum undecimum admissi sunt fratres illi, quos *Conversos* vocamus, solis addicti ministeriis. (*Annal. Bened. l.* 3. *n.* 8). — Juxta *Regulam S. Isidori* officia monasterii erant penes Abbatem, Praepositum, custodem sacrarii, janitorem, cellerarium, hebdomadarium et laicos. Ejusmodi *laici* monasterio addicti erant ut fratres nostri *conversi* vel *oblati*, adeoque monachi haud laici tum censebantur (*l.* 12. *n.* 42). — Praeter monachos choro addictos *admissi sunt* etiam *a Joanne Gualberto viri laici*, qui « in bonis moribus fere nihil a monachis distabant extra vestium qualitatem et silentium, quod, in exterioribus occupati, nequibant plenius observare. Tales igitur tam probatos conversos pater ad mercatum et omnia exteriora mittebat. » Quae ipsis Joannis vitae scriptoris verbis referre visum est, quippe qui e primis hujusmodi conversos in suum coetum admisit (*l.* 58. *n.* 40). — Cisterciensis Congregationis monachi inter sese deliberare coeperunt.... Et ab eis definitum est, *ut conversos laicos* seu *barbatos*, ut tum vocabant, *fratres in suam familiam admitterent* ad praedia sua regenda et terras excolendas, eosque in vitâ et morte, excepto monachatu, i. e. monasticâ professione, ut semetipsos tractarent (*L.* 70. *n.* 1). — Cum *Conversi* in privilegio ab Innocentio a. 1132 Cisterciensibus indulto *monachi non esse dicuntur*, id eâ ratione dictum est, quod vitae actuosae exterioribus addicti sunt, non contemplativae et solitariae, ut monachi, sed *tamen religiosi censendi* sunt post factam professionem (*L.* 75. *n.* 152).

Marianus Brockie, mon. S. Jac. Ratispon. († 1756): *S. Joannes Gualbertus* curam hospitum et aegrotantium, imo bonorum omnium temporalium, *fratribus laicis* tradidit, et proin primus dicitur, qui tales fratres in monasteriis instituit. In omnibus enim Vallis-Umbrosanae familiae coenobiis erat hospitale et domus hospitum, ab ipso monasterio sepa-

Digitized by Google

rata, quibus tales fratres praefuerunt. Et quamvis *veri Religiosi*, tribus votis monasticis adstricti, *non tamen choro et divino officio deputati*, a reliquis monachis clericis et presbyteris *omnino distincti* erant ac saepius ab aliis *per distinctum habitum discreti*. Sic apud Vallis-Umbrosanos hi fratres laici nec cucullam monasticam aut caputium induere audebant, sed tunicâ longâ et amplo scapulari ferrugenei coloris induti pro capitis tegumento bonetam ex pellibus agninis confectam portare debebant (*Codex. Regular. t.* IV, *p.* 361).

Heymo, mon. Hirsaugiens. (✠ 1091) : *Guilelmus*, fidelis servus Domini et prudens, religiosos monachos simul cum *conversis laicis* deputavit. Enimvero amabilis pater, zelo animarum fervens, primus *instituit, ut monachi ministerio fideli laicorum conversorum in exterioribus administrandis uterentur*, et versâ vice iidem laici a monachis, quod ad curam animarum pertinet, consequerentur eorumque claustralem disciplinam, pro posse suo, extra claustrum in corrigendis moribus imitarentur etc. (*Vita S. Guilelmi Abb. Hirsaugiens. n.* 23. *P. L.* 150, 914).

Haeftenius : *Conversi* censentur *veri nominis Religiosi* in ordine nostro, apud Cistercienses, Bursfeldenses, apud Carthusianos, Praemonstratenses, Praedicatores, Carmelitas. — Apud omnes aliqua est *distinctio habitus*, quaedam et *diversitas obligationis ac observantiae inter monachos et conversos*. Hos declarant fratrum nomine censeri et in eorum numero computari omnibusque indulgentiis et immunitatibus sicut ceteri monachi, plenissime gaudere.... Possunt ex causis dimitti et a *votis* absolvi, quae tantum censentur *simplicia* (*Disquis. monastic. l.* 3. *disquis.* 8).

Cassiodorus, Abb. Vivariens. (✠ 560) : *Nec ipsum est a monachis alienum hortos colere*, agros exercere et pomorum fecunditate gratulari. Legitur enim in Ps. 127 : « *Labores manuum tuarum quia manducabis ; beatus es, et bene tibi erit* » (*De instit. div. litterar. c.* 28. *P. L.* 70, 1142).

Opus manuum a monacho non alienum ;

S. Isidorus Hisp. : *Monachus operetur manibus suis,*

Apostolicum est ;

Digitized by Google

ita, ut quibuslibet variis opificum artibus laboribusque studium suum impendat, sequens Apostolum, qui dicit: « *Neque panem gratis manducavimus ; sed in labore et fatigatione nocte et die operantes ;* » et iterum : « *Qui non vult laborare, non manducet* » (2 *Thess.* 3). Per otium enim libidines et noxiarum cogitationum nutrimenta concrescunt, per laboris vero exercitium vitia nihilominus elabuntur. — *Nequaquam debet monachus dedignari, versari in opere aliquo monasterii usibus necessario.* Siquidem et Petrus, princeps Apostolorum, piscatoris officium gessit, et *omnes Apostoli corporale opus faciebant*, unde vitam corporis sustentabant (*Reg. monach. c.* 5. *n.* 1 *et* 2. *P. L.* 83, 873).

Petrus Ven. Abb. Clun. : Statutum est, ut antiquum et sanctum *opus manuum ex parte saltem aliquâ restauretur*, ita ut omni tempore praeter festivos dies, quibus operari non licet, quolibet semper fratres utili opere exerceantur (*Statut. n.* 39. *P. L.* 189, 1037).

S. Bernardus : *Labor* et latebrae et voluntaria paupertas, haec sunt monachorum insignia, haec vitam solent nobilitare monasticam (*De offic. Episc. c.* 9. *n.* 37. *P. L.* 182, 833).

Humiliat corpus et animam.

S. Dorotheus : *Labor corpus humiliat* atque demittit. Humiliato vero ac *demisso corpore humiliatur pariter et anima.* Unde probe asseritur, labore corporeo animam ad humilitatem dirigi atque a Deo deduci (*Serm.* 2. *n.* 9. *P. Gr.* 88, 1651).

JESU *exemplum.*

S. Justinus Mart. : Cum JESUS *fabri lignarii filius* haberetur, infamis videlicet, quemadmodum Scripturae annuntiaverunt, apparens faber, atque adeo et Ipse putaretur esse ; *fabrilia* namque, cum in hominibus esset, *faciebat opera*, aratra et juga conficiens (*Dial. cum Tryph. n.* 88. *P. G.* 6, 687).

S. Basilius : Ad ipsam jam progrediar *Servatoris nostri vitam*, quam in carne transactam omnibus pie vivere volentibus *virtutis formam ac exemplar* proposuit, ut reliqui, conspectâ hâc effigie, similem in vitâ suâ formam exprimerent..... In primâ aetate subditus parentibus, omnem *laborem*

Digitized by Google

corporalem leni ac obedienti animo cum ipsis sustinuit (*Const. monast. c.* 4. *n.* 486. *P. Gr.* 31, 1351).

Praecipuus monachi labor s. studia.

S. Pachomius (*Saec.* IV) : *Qui rudis monasterium fuerit ingressus, docebitur* prius, quae debeat observare ; et cum doctus ad universa consenserit, dabunt ei viginti psalmos et duas Epistolas Apostoli aut alteram Scripturae partem. Et si litteras ignoraverit, horâ primâ et tertiâ et sextâ *vadet ad eum, qui docere potest* et qui ei fuerit delegatus. *Et stabit ante illum et discet studiosissime*, cum omni gratiarum actione. Postea vero scribentur ei elementa, syllabae, verba ac nomina. Et etiam nolens legere compelletur, et omnino *nullus erit in monasterio, qui non discat litteras* et de Scripturis aliquid teneat; qui minimum, usque ad novum Testamentum et Psalterium (*Regul. n.* 139 *et* 140. *P. L.* 23, 82).

Scientia sit humilis et pia.

S. Hieronymus : *Litterarum* radices amarae sunt, fructus dulces (*Lib.* 1. *sup. Jer. c.* 19. *v.* 12. *P. L.* 24, 711). — Magis ego velim rusticitatem justam, quam *doctam malitiam ;* quia in altero, licet minor, tamen gloria est, in altero juxta scientiae profectum, majora supplicia sunt (*Prol. l.* 3 *sup. ep. ad Ephes. P. L.* 26, 547). — *Scientia pietatis* est nosse legem, intelligere Prophetas, Evangelio credere, Apostolos non ignorare. *Absque pietate* notitia veritatis delectat ad praesens, sed aeternitatem non habet praemiorum (*Sup. ep. ad. Tit. c.* 1. *v.* 1. *P. L.* 26, 593).

S. Augustinus : *Scientia*, ait Apostolus, *inflat.* Quid ergo ? Scientiam fugere debetis et electuri estis, nihil scire potius, quam inflari ? Ut quid vobis loquimur, si melior est ignorantia, quam scientia ? Ut quid, quod non nostis, inferimus, quod nostis admonemus, si scientia cavenda est, ne inflet ? Ergo *amate scientiam, sed anteponite caritatem !* Ibi ergo *inflat scientia, ubi caritas non aedificat ;* ubi autem aedificat, solidata est. Non est ibi inflatio, ubi est petra fundamentum (*Serm.* 354. *c.* 6. *P. L.* 39, 1566).

Ut oratio, ita scientia monachi propria.

S. Leander Hispal. († *c.* 600) : *Lectio* tibi sit assidua, jugisque *oratio.* Dividantur tibi tempora et officia, ut

Digitized by Google

postquam legeris, ores; postquam oraveris, legas (*Reg. S. Leandri c.* 6. *P. L.* 72, 883).

S. Ferreolus, Ep. Ucetiens. (*Uzès in Gallia,* ✠ 581): Omnis qui vult monachi nomen vindicare, *literas* ei ignorare non liceat..... *Scribere* praecipuum monachorum est opus (*Reg. c.* 11 *et c.* 28. *P. L.* 66, 963).

Regula Magistri : Si in viam longiorem dirigatur *frater, codiculum* modicum cum aliquibus lectionibus de monasterio *secum portet,* ut, quâvis horâ in viâ repausaverit, aliquantulum tamen legat (*C.* 57. *P. L.* 88, 1018).

S. Beda : *Expers doctrinae* tenebras patietur ubique (*Proverbia c.* 5. *int. spur. P. L.* 90, 1096).

Scientia cum sanctitate.

Richard. a S. Victore (✠ 1173): *Scientia* sanctitatis sine intentione bonâ, quid aliud est, quam imago sine vitâ? *Scientia sola sine sanctitatis effectu* et bonitatis affectu, quid aliud est, quam simulacrum vanum sine motu (*L.* 1. *de erud. hom. inter. c.* 38. *P. L.* 196, 1292).

Hugo a S. Vict. : Sciat monachus, ad propositum suum non conducere, ut *inani raptus desiderio scientiae,* obscuras et profundae intelligentiae Scripturas exquirat, in quibus magis occupetur, quam aedificetur animus (*L.* 5. *erudit. didasc. c.* 7. *P. L.* 176, 795). — *Studium* acuit ingenium, fugat otium, scientiae parit amorem, scientiam conservat, avertit animum a vanis et inutilibus, peccati odium gignit, quietem et pacem quaerit (*L.* 4. *Miscell. c.* 17. *inter apocr. P. L.* 177, 161). — Summopere cavendum est ei, qui quaerit scientiam, ut *non negligat disciplinam* (*L.* 3. *Didasc. c.* 13. *P. L.* 176, 773).

S. Gregor. Naz. : Nihil apud Deum ita amplum et magnificum est, ut *doctrina perpurgata* et anima, veritatis dogmatibus instructa ac perfecta (*Or.* 42. *n.* 8. *P. Gr.* 36, 467).

S. Ephrem : Si *lectioni* incumbas, cave, ex ea, quae ad fastum et elegantiam tantum pertinent sermonis, persequaris ; et eo usque dumtaxat tuum extendatur studium, ut *spiritus arrogantiae* cor tuum feriat (*Serm. de rect. viv. rat. n.* 36. ; *tom. II p.* 62).

S. Isidor. Hisp. : In lectione *non verba, sed veritas* est

Digitized by Google

amanda (*L.* 3. *sent. c.* 13. *n.* 3 *P. L.* 783, 687).— Utile est *multa scire et recte vivere ;* quod si utrumque non valemus, melius est, ut bene vivendi studium, quam multa sciendi, sequamur (*L.* 2. *c.* 1. *n.* 11. *ibid.* 601). — Nihil aliud agit *amor mundanae scientiae*, nisi extollere laudibus hominem (*L.* 3. *c.* 13. *n.* 9. *ibid.* 688). — *Scientia a malis abstinet.* Summum enim bonum est, scire quid caveas ; summa miseria, nescire quo tendas (*L.* 2. *Synon. c.* 66. *ibid.* 860).

S. Gregorius M. : Viri *arrogantes et docti*, cum recte non vivunt, sed tamen recta dicere doctrinae impulsionibus compelluntur, *ipsi damnationis suae aliquo modo praecones* fiunt ; quia, dum ea, quae agere respuunt, praedicantes insinuant, suis se vocibus damnatos clamant. Contra quos bene per Psalmistam dicitur : « *Conversi sunt in arcum perversum.* Arcus quippe perversus ipsum, a quo intenditur, percutit. In dictis autem suis arrogantium linguae arcui perverso sunt similes ; quia, dum contra elationem verba faciunt, in suis auctoribus sagittas figunt. Unde summâ curâ providendum est, *ne accepta sapientia*, cum ignorantiae tenebras illuminat, *lumen humilitatis tollat et jam sapientia esse nequeat.* Quae etsi virtute locutionis fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obscurat (*Mor. L.* 27. *c.* 46. *n.* 75. *P. L.* 76, 442). — Valde *otiosum est doctoris studium*, si per hoc, quod ab illo in terris agitur, *coeleste aedificium non augetur* (*L.* 3. *in* 1 *Regum c.* 5. *n.* 32. *P. L.* 79, 218). — Tolerabilius Deo est, ut in infirmitate atque *ignorantiâ cum humilitate* quisquis jaceat, quam cum elatione cordis alta comprehendat (*L.* 17. *Moral. c.* 11. *n.* 15. *P. Gr.* 76, 18). — Omnes *elati* scientiam habere non appetunt, sed ostentare (*L.* 23. *c.* 10. *n.* 17. *ibid.* 261). — *Perfecta scientia* est scire omnia et tamem juxta quendam modum scientem se esse nescire (*L.* 27. *c.* 37. *n.* 62 *ibid.* 436). — *Vera scientia* afficit, non extollit ; nec superbientes, quos repleverit, sed lamentantes facit. Cum quis verâ scientiâ repletus fuerit, *primo se scire* appetit et, jam sui conscius, tanto per illam robustius sapit, quanto se infirmum in illâ verius recognoscit (*L.* 23. *c.* 17. *n.* 31. *ibid.* 270).

Scientia aedificet.

Digitized by Google

S. Joan. Chrysost. : Ipse per se *librorum* aspectus segniores nos reddit ad peccandum. Quod si peccaverimus ; reversi domum, conspectisque libris, acrius nos condemnat conscientia ; reddimurque contentiores ad eadem repetenda. Rursum si in sanctimoniâ perstiterimus, ex libris reddimur tutiores firmioresque. Nam simul atque tetigit aliquis *Evangelium*, mox composuit suam ipsius mentem et a rebus mundanis abduxit, idque ex ipso solo aspectu. Quod si accesserit *diligens lectio*, non aliter, quam in sacris aditis rebus divinis vacans anima, repurgatur meliorque redditur, *Deo cum ipsâ per ipsas Scripturas colloquente* (*Conc.* 3. *de Lazar. n.* 2. *P. Gr.* 48, 994). — Illud *scire bonum* est, *quod proficit ad aedificationem* scienti ; hoc autem scire, quod nihil prodest, magis nocet et superfluum est (*Opus. imperf. sup. Matth. hom.* 50. *P. Gr.* 56, 922).

Diabolus s. scientiae inimicus.

B. Rhab. Maurus, Abb. Fuldens. et Archiep. Moguntin. (✠ 856) : Diabolus partim per paganos, partim per haereticos, partim per falsos christianos prohibere studet, ne sint *doctores in Ecclesiâ, qui, spiritualia arma frabricantes, accommodent pugnantibus christianis.* Pagani enim prohibuerunt, ne christiani liberalibus studiis, quae illi pro maximo ducebant, imbuerentur. Haereticos similiter legimus persuasisse principibus gentium, ut catholicae fidei defensores in exilium truderent, quo facilius plebem, pastore destitutam, a veritate avertere possent. Nunc etiam idem hostis antiquus simili modo, in pace Ecclesiae eos, qui populis praesunt, ab instantiâ eruditionis avertere satagit, ne subditis dogma veritatis impendant, quatenus illos incautos lenius decipere possit (*In* 1 *Reg. c.* 13. *P. L.* 109, 42).

Finis scientiae caritas.

S. Augustinus : *Scientia, ad finem caritatis adhibita*, multum est utilis ; per se autem ipsa sine tali fine, non modo superflua, sed etiam perniciosa est (*Ep.* 55. *c.* 21. *n.* 39. *P. L.* 33, 223). — *Fons* et *origo omnis scientiae Deus* est, quem quanto plus quis bibet, tanto plus sitiet (*De tripl. habitac. c.* 5. *in appendice. P. L.* 40, 996).

S. Guillelmus, Abb. S. Theodorici : *In studiis sanctis*

Digitized by Google

discutit se animus et invenit et emendat, *mundans se* ab omni inquinamento carnis et spiritus, *perficiens sanctificationem* in timore Dei. Amorem ergo Dei in homine ex gratiâ genitum lactat lectio, meditatio pascit, oratio confortat et illuminat (*Epist. ad fratr. de Monte Dei, l. 2. c. 2. n. 6. P. L.* 184, 342).

Gillebertus de Hoilandiâ, Abb. († 1172): Suspecta est omnis *doctrina* aut certe despecta, quae nullam inducit de Christo mentionem (*Serm. 5. sup. Cant. n. 3. P. L.* 184, 33). — *Debet lectio orationi servire*, praeparare affectum, non horas praecripere nec succidere moras. Cum legis, erudiris de Christo, orans vero familiare cum Ipso seris colloquium. Et quanto suavioris est gratiae cum Illo, quam de Illo loqui (*Serm. 7. n. 2. ibid.* 43).

Petrus Blesens.: *Labor scholasticus* otium est, sed otium negotiosum, et quod animum reddit ad honesta sollicitum (*Ep. 9. P. L.* 207, 25).

Hugo a S. Charo, Card.: *Frangitur navis Religionis, quando subest parum aquae*, i. e. *doctrinae.* Tunc enim terra colliditur, i. e. terrenorum amori et sic frangitur (*In Ps. 106. v. 30*).

Thom. a Kempis: Docent *libri pii* ignaros, arguunt otiosos, excitant torpentes, stimulant dormientes, corrigunt errantes, erigunt corruentes, terrent ridentes, consolantur lugentes, laudant humiles, vituperant superbientes, confortant debiles (*Opusc. Doctr. juvenum c. 3*).

Schola Dei.

S. Birgittam JESUS allocutus est: *Amici Mei aliqui sunt scholares Mei*, qui *habent tria:* primo *conscientiam intelligentem* supra naturam cerebri; secundo *sapientiam* sine homine, quia personaliter doceo eos intus; tertio, *pleni sunt dulcedine et divinâ dilectione*, quâ vincent diabolum. Sed e contrario nunc addiscunt *homines:* primo volunt esse *scientes propter jactantiam*, ut dicantur boni clerici; secundo volunt esse scientes, *ut habeant et obtineant divitias;* tertio volunt esse scientes, *ut obtineant honores et dignitates.* Propterea, cum adeunt scholas suas et ingrediuntur, Ego exeo ab eis,

Schola hominum.

Digitized by Google

quia ipsi addiscunt propter superbiam et Ego eos docui humilitatem. Ipsi ingrediuntur propter cupiditatem, et Ego non habui, ubi caput Meum reclinarem. Ipsi ingrediuntur, ut habeant dignitates, invidentes aliis, se esse superiores, et Ego judicabar a Pilato et ab Herode deridebar. Ideo Ego exeo ab eis, quia *non addiscunt doctrinam Meam.* Sed tamen, quia mitis sum et bonus, do unicuique, quod petit. Qui enim petit a Me panem, ipse habebit; qui autem stramen, dabitur ei. *Amici autem Mei ipsi petunt panem*, qui *sapientiam divinam, in quâ est caritas Mea*, quaerunt et addiscunt. Sed alii petunt stramen, id est mundialem sapientiam. Quia *sicut in stramine nulla est utilitas*, sed est cibus animalium irrationabilium; *sic in mundi sapientiâ*, quam ipsi quaerunt, nulla est utilitas, nulla animae refectio, nisi tantum nomen modicum et labor vacuus. Quia cum homo moritur, omnis sapientia ejus annihilatur, et a quibus laudabatur, non potest videri. Unde Ego sum quasi magnus Dominus, multos habens servos, qui dispensant ex parte Domini, quae omnibus necessaria sunt; sic Angeli boni et mali stant ad imperium Meum. *Qui* autem *sapientiam Meam*, i. e. *servire Mihi addiscunt, his administrant boni Angeli*, reficientes eos consolatione, et delectabili labore. *Sapientibus autem mundi assistunt Angeli mali*, qui eis, quod volunt, inspirant, et informant eos juxta voluntatem eorum, et inspirant cogitationes cum labore magno. Verumtamen si ad Me respicerent, Ego sufficerem eis dare panem absque labore, et mundum ad satietatem, de quo nunquam satiantur, quia dulce vertunt sibi in amarum (*Revel. l.* 1. *c.* 33). — *Divina sapientia non est praecise in litteraturâ, sed in corde et bonâ vitâ.* Quicumque cogitat sedulo viam ad mortem, qualitatem ipsius mortis, et judicium post mortem, hic sapiens est. Quicumque abjicit a se vanitatem mundi et superflua, quicumque contentatur de solis necessariis et laborat in amore Dei, quantum potest, hic habet *edulium sapientiae*, quo voluntas bona et divina praemeditatio sapiunt melius. Quando enim homo *cogitat mortem*, et in morte nuditatem, quando enim homo perpendit

Sapientia divina panis, humana stramen.

Divinae edulium sapientiae.

Digitized by Google

judicium Dei terribile, ut nihil occultatur, nihil dimittitur impunitum; quando et cogitat *mundi instabilitatem et vanitatem*, numquid non tunc gaudet et dulciter sapit in corde, reliquisse voluntatem suam Deo et abstinuisse se a peccatis? Numquid non tunc confortatur caro et sanguis melioratur, i. e., omnis infirmitas animae, scilicet acedia et morum dissolutio propellitur, sanguis divinae caritatis fit recentior; quia considerat, rationabilius fore diligere ea, quae aeterna sunt, quam quae casura. Ergo *divina sapientia* non est praecise in litteraturâ, sed in bono opere, quia *multi sapientes sunt secundum mundum et ad desideria sua*, sed omnino insipientes sunt ad Dei mandata et voluntatem Ejus, et refrenationem corporis sui. Et hi non sunt sapientes, sed insipientes et caeci, quia sciunt ea, quae casura sunt et ad momentum utilia, aeterna vero despiciunt et obliviscuntur. *Alii sunt insipientes ad mundi delectabilia et honorem ejus et sapientes ad considerandum, quae Dei sunt, ferventes in obsequio Ejus.* Hi *veraciter sapientes* sunt; quia sapit eis praeceptum Dei et voluntas Ejus. Isti *veraciter illuminati* sunt et apertos habent oculos; quia considerant semper, quomodo veniant ad veram vitam et veram lucem. Alii vero ambulant in tenebris, et delectabilius eis videtur, esse in tenebris, quam viam inquirere, per quam venire possent ad lucem (*Revel. l. 2. c. 25*). — *Magis peccant contra Me, qui nunc dicuntur sapientes.* Ego enim dedi eis sensum et intellectum et sapientiam, ut Me diligerent, sed ipsi nihil, nisi ad suam utilitatem temporalem intelligunt. Oculos habent in occipite, videntes sunt ad sua delectabilia; sed caeci sunt ad gratias agendas Mihi, qui dedi eis omnia, quia sive boni sive mali, nullus posset sine Me sentire et intelligere, licet permitto malis voluntatem suam flectere, ad quod voluerint (*Revel. l. 1. c. 19*).

Scientia et zelus.

S. Bernardus: Videar forsitan nimius in suggillatione scientiae, et quasi reprehendere doctos ac prohibere *studia litterarum.* Absit! Non ignoro, quantum Ecclesiae profuerint et prosint literati sui, sive ad refellendos eos, qui ex adverso sunt, sive ad simplices instruendos; denique

Digitized by Google

legi : « *Quia tu repulisti scientiam, repellam et Ego te ut non fungaris Mihi Sacerdotio* » (*Serm.* 36. *in Cant. n.* 2. *P. L.* 183, 967). — Importabilis *absque scientiâ* est *zelus*. Ubi ergo vehemens aemulatio, ibi maxime discretio est necessaria, quae est ordinatio caritatis. Semper enim *zelus absque scientiâ* minus efficax minusque utilis invenitur, plerumque autem et perniciosus valde sentitur. Quo igitur zelus fervidior, ac vehementior spiritus profusiorque caritas, eo vigilantiore opus scientiâ est, quae zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet caritatem (*In Sermon. serm.* 49. *n.* 5. *ibid.* 1018). — Sunt, qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, et *turpis curiositas* est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, et *turpis vanitas* est; scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Et sunt, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant pro pecuniâ, pro honoribus, et *turpis quaestus* est. Sed *sunt, qui scire volunt, ut aedificent, et caritas est;* et item, qui scire volunt, *ut aedificentur, et prudentia est* (*Serm.* 36. *sup. Cant. n.* 3. *ibid.* 958). — Quam *salubrius disceres* JESUM, *et hunc crucifixum!* quam scientiam haud facile, nisi qui mundo crucifixus est, apprehendit. Falleris, fili, falleris, si te putas invenire apud mundi magistros scientiam, quam soli *Christi discipuli*, i. e., *mundi contemptores*, Dei munere assequuntur. Non hanc lectio docet, sed *unctio*, non littera, sed *spiritus*, non eruditio, sed *exercitatio in mandatis Domini*. Non recte proditur ad lumen scientiae, nisi germen justitiae praecedat ad animam, ex quo formetur *granum vitae, non palea gloriae*. Nondum tibi ad justitiam seminasti; nondum spei manipulos messuisti, et veram te praesumis sectari scientiam! (*Ep.* 108. *n.* 2. *P. L.* 182, 250). — Multi *multa sciunt* et *seipsos nesciunt;* alios inspiciunt et seipsos deserunt (*Medit. c.* 1. *in append. P. L.* 184, 485). — Multi quaerunt *scientiam*, pauci vero *conscientiam*, si tanto studio et sollicitudine quaereretur conscientia, quanto quaeritur saecularis et vana scientia, et citius apprehenderetur et utilius retineretur (*De inter. domo, c.* 9. *in append. ibid.* 516). — *Vinum scientiae saecularis* inebriat quidem, sed curiositate, non caritate; implens, non nutriens; inflans, non aedificans;

Finis scientiae.

Christi scientia.

Sapientia saecularis.

Digitized by Google

ingurgitans, non confortans (*Serm. 9. sup. Cant. n. 7. P. L. 183, 818*).

S. Bonaventura: *Terrenae sapientiae studia* sunt infructuosa, imo periculosa (*Expos. 2, sup. Ps. 118. c. 2*). — Non est reputandus otiosus, qui insistit *labori cognoscendae veritatis*, eo quod pluris meriti est, quam exercitatio corporalis (*Serm. 2. Dom. 1. Quadrag*). — *Fructus omnium scientiarum* est, ut in omnibus aedificetur fides, honorificetur Deus, componantur mores, hauriantur consolationes (*De reduct. art. ad Theologiam*). — Fratres, qui *scientiae curiositate* ducuntur, in die tribulationis invenient manus suas vacuas. Ideo vellem, eos magis roborari virtutibus, ut cum tempus tribulationis venerit, secum haberent Dominum in angustiâ (*In suis op. coll. 15*). — *In libro crucis lege*; et mundanae ac curiosae scientiae ne vacaveris (*Apopht. 32*).

Fructus verae scientiae.

Imit. Christi: Ita libenter *devotos et simplices libros* legere debemus, sicut altos et profundos. Non te offendat auctoritas scribentis, utrum parvae vel magnae litteraturae fuerit, sed amor purae veritatis te trahat ad legendum (*L. 1. c. 5*). — Quanto plus et melius scis, tanto gravius inde judicaberis, nisi sanctius vixeris (*L. 1. c. 2*).

Mabillonius: Sic *libris* utendum set, ut eorum subsidio pietas foveatur, ut rebus seriis, non inanibus occupetur animus, atque ut ad actionem magis idoneus reddatur. — Si corpori cibum et alimenta subtrahimus, cito deficiet et ad omne opus ineptum et invalidum fiet. *Cibus animae lectio* est, quam si non subinde ipsi suppedites, jejuna et languens ad omnia erit. Non experientia quaevis, non labor, qui corpore exercetur, non ipsa divina officia sapient, si *animus piarum lectionum usu* non fuerit *recreatus*. Inde cor siccum et aridum erit; pigra erunt rerum spiritualium desideria, quae flammae instar, sublato lectionis oleo et alimento, restinguentur. — Tunc demum ad *verae sapientiae* gradum se pervenisse sciat, cum uno divinarum Scripturarum gustu fuerit recreatus. Huc maxime tendant, huc colliment omnia *studia Religiosorum*, quibus praecipua esse debet cura *de intellectu*

Digitized by Google

Psalmorum, quos passim recitant, *de Evangelii lectione ac meditatione*, nec non *Pauli Epistolarum*, quae summum Christianae doctrinae apicem comprehendunt (*De monasticorum studiorum ratione ad juniores monachos; int. opusc. posth. t. 1. p.* 410).

Sacra Scriptura monachorum lectio.

S. Joan. Chrysost. : *Monachi non canentes tantum et orantes, verum et libris affixi* jucundum sunt videntibus spectaculum. Cum enim chorum dissolverint, hic quidem Isaiam sumens cum eo loquitur; hic autem cum Apostolis conversatur; alius ab aliis elaborata percurrit. Et *de hoc universo philosophantur*, de Deo, de visibilibus, de intelligibilibus, de vitae praesentis utilitate, de futurorum beatitudine. Et *optimo cibo pascuntur*, non brutorum carnes elixatas habentes appositas, sed *eloquia Dei super mel et favum*, mel admirabile et multo melius, quam quod Joannes per desertum olim degustabat. Hoc enim mel non sylvestres quaepiam apes, floribus insidentes, colligunt, neque rorem maturantes alvearibus immittunt, sed Spiritûs gratia construens, pro favis et alvearibus et fistulis, in sanctorum animis reponit, ut volenti liceat cum libertate jugiter vesci. Has igitur *apes* ipsi imitantes, *sanctorum voluminum favos circumvolant*, magnam hinc decerpentes voluptatem (*Hom.* 68 *sup. Matth. n.* 4 *et* 5 *P. Gr.* 58, 646). — Sicut aromata, quanto magis digitis atteruntur, tanto majorem fragrantiam reddunt; ita et *in Scripturis* usu venit. Quanto quis eis est familiarior, tanto magis videre potest latentem in ipsis thesaurum pluresque percipere ineffabilium divitiarum fructus (*Hom.* 13 *Sup. Gen. n.* 1. *P. Gr.* 53, 106). — Non est syllaba vel apiculus in *sacris litteris*, in cujus profundo non sit grandis quispiam *thesaurus* (*Hom.* 21. *in Gen. n.* 1. *ibid.* 175). — Nulla est in humana natura vel corporis vel animae passio, quae *medicinam ex S. Scriptura* accipere nequeat (*Hom.* 29. *n.* 1. *ibid.* 261). — *Scripturae thesaurum praebent* paratum iis, qui quaerunt opes in ipsis reconditas. Satis est introspexisse, ut omni expleti fructu discedant, satis est tantum aperuisse, ut illico videant *gemmarum splendorem* (*Hom.* 2 *de verbis Isaiae. n.* 2.

S. Scriptura thesaurus, medicina, mensa, mater.

Digitized by Google

P. Gr. 856, 110). — Magnum praecipitium, *profundum barathrum est Scripturarum ignoratio;* et magna salutis perditio, nihil de divinis legibus scire (*Conc.* 3 *de Lazaro. n.* 3. *P. Gr.* 48, 995). — Omnium *medicinarum thesaurus* divinae Scripturae sunt. Sive stultitiam exuere, sive affectus sedare, sive pecuniarum cupiditatem expellere, sive dolores contemnere, sive fortem animum induere, sive adversa aequo animo tolerare velimus, quam plurima hinc remedia invenire possumus (*Hom.* 37. *sup. Joan. n.* 1. *P. Gr.* 59, 207).

S. Ambrosius: *Ede Scripturarum coelestium cibos;* et ede, ut permaneant tibi in vitam aeternam; et ede quotidie, ut non esurias; ede, ut replearis, ede, ut verborum coelestium eructes saginam (*Serm.* 22. *in Ps.* 118. *n.* 19. *P. L.* 15, 1517).

S. Augustinus: Divinarum Scripturarum consideratione et tractatione *pascamus animum atque potemus* (*De vera Relig. c.* 51. *P. L.* 34, 165). — Tanta est *Christianarum profunditas litterarum,* ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritiâ usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio, conarer addiscere. Non quod ad ea, quae necessaria sunt saluti, tantâ in eis perveniatur difficultate; sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine quâ hic pie recteque non vivitur, tam multa tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus, quae intelligendae sunt, *latet altitudo sapientiae,* ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: « *Cum consummaverit homo, tunc incipit* (*Eccli.* 18, 6.) (*Ep.* 137. *n.* 3. *P. L.* 33, 516). — Non praecipit *Scriptura* nisi caritatem nec culpat nisi cupiditatem, et eo modo *informat mores* hominum..... *Non asserit Scriptura nisi Catholicam fidem* rebus praeteritis et futuris et praesentibus; praeteritorum narratio est, futurorum praenuntiatio, praesentium demonstratio (*Lib.* 3. *de doctrina Christ. c.* 10. *n.* 15. *ibid.* 71). — *Quidquid homo extra Scripturam didicerit,* si noxium est, ibi damnatur; si

S. Scripturae profunditas et utilitas.

Digitized by Google

utile est, ibi invenitur ; et cum ibi quisque invenerit omnia, quae utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea, quae nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine et mirabili humilitate discuntur (*L. 2 de Doctr. Christ. c. 42. ibid.* 65). — *Scriptura sic loquitur*, ut *altitudine* superbos irrideat, *profunditate* attentos terreat, *veritate* magnos pascat, *affabilitate* parvulos nutriat (*Lib. 5. de Genes. c. 3. n. 6. ibid.* 323). — *Quidquid est in Scripturis sacris, altum et divinum est.* Inest omnino veritas et reficiendis instaurandisque animis accommodatissima disciplina et plane ita modificata, ut nemo inde haurire non possit, quod sibi satis est, si modo ad hauriendum devote ac pie, ut vera religio poscit, accedat (*De utilit. credendi c. 6. P. L. 42, 74*). — *Litterae*, quae de coelesti civitate nobis venerunt, ipsae sunt Scripturae (*Sup. Ps. 90. conc. 2. n. 1. P. L. 37, 1159*). — *In Scripturis sanctis profunda sunt mysteria*, quae ad hoc absconduntur, ne vilescant ; ad hoc quaeruntur, ut exerceant ; ad hoc aperiuntur, ut pascant (*Sup. Ps. 140. n. 1. ibid. 1815*). — *Thesaurus* magnus est divinarum Scripturarum, habens in se mirabilia praecepta multa, tanquam multas *gemmas*, et preciosa *monilia* et *vasa* ingentia et magni metalli. Sed quis potest scrutari thesaurum istum et uti eo et pervenire ad omnia, quae ibi sunt? (*De discipl. Christian. c. 2. P. L. 40, 670*). — Sacrarum *lectio Scripturarum* divinae est *praecognitio non parva beatitudinis ;* in his enim *quasi in quodam speculo* homo seipsum considerare potest, qualis sit vel quo tendat.... *Lectio assidua* Scripturarum purificat omnia ; timorem incutit gehennae ; ad gaudia superna cor instigat legentis.... Sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis *interior homo nutritur et pascitur*, et beatissimus est ille, qui divinas Scripturas vertit in opera (*Serm. 302. n. 2. in app. P. L. 39, 2324*). — Merebitur homo *Scripturam intelligere*, si *orando* pulset et non rixando accedat ad ostium veritatis (*Tract. 8. sup. Joan. n. 7. P. L. 35, 1454*).

S. Hieronymus : *Nostrae divitiae* sint, in lege Domini

Digitized by Google

meditari die ac nocte (*Ep.* 30. *n.* 13. *P. L.* 22, 444). — *Ama scientiam Scripturarum*, et carnis vitia non amabis (*Ep.* 125. *n.* 11. *ibid.* 1078). — *Pinguissimus* est sermo divinus ; omnes habet in se delicias. Quidquid volueris, ex eo nascitur; sicut tradunt Judaei : quoniam *manna*... secundum voluntatem uniuscujusque sapiebat in ore (*Brev. in Ps.* 147. *v.* 14. *in app. P. L.* 26, 1334). — *Sint divinae Scripturae semper in manibus* tuis et jugiter mente volvantur ; nec tibi sufficere putes mandata Dei memoriâ tenere, et operibus oblivisci (*Ep.* 148. *n.* 14. *P. L.* 22, 1210). — *Crebrius lege*, disce quam plurima. Tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat (*Ep.* 22. *n.* 17. *ibid.* 404). — Nepotianus lectione assiduâ et meditatione diuturnâ *pectus* suum *bibliothecam Christi* fecerat (*Ep.* 60. *n.* 10. *ibid.* 595). — *Pro gemmis et serico divinos codices amet*, in quibus non auri et pellis Babylonicae vermiculata pictura, sed ad fidem placeat emendata et erudita distinctio. Discat primo *Psalterium* ; his se canticis avocet ; et in *Proverbiis* Salomonis erudiatur ad vitam. In *Ecclesiaste* consuescat, quae mundi sunt, calcare. In *Job* virtutis ei patientiae exempla sectetur. Ad *Evangelia* transeat, nunquam ea positura de manibus. *Apostolorum Acta*, et *Epistolas* tota cordis imbibat voluntate. Cumque pectoris sui cellarium his opibus locupletaverit, mandet memoriae *Prophetas Heptateucum*, et *Regum*, et *Paralipomenon* libros, *Esdrae* quoque et *Esther* volumina. Ad ultimum sine periculo discat *Canticum Canticorum ;* ne si in exordio legerit, sub carnalibus verbis, spiritualium nuptiarum epithalamium non intelligens, vulneretur. Caveat omnia *apocrypha* (*Ep.* 107. *n.* 12 *ibid.* 876). — Totum, quod legimus *in divinis libris*, nitet quidem et fulget, etiam in cortice ; sed *dulcius in medullâ* est ; qui edere vult nucleum, *frangat nucem* (*Ep.* 58. *n.* 9. *ibid.* 585).— Maximum ad justitiam auxilium est, implere *divinis eloquiis* animum, et, quod opere exsequi cupias, semper corde meditari (*Ep.* 148. *n.* 15 *in app. ibid.* 1210). — *Ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi* est (*In Isai. Prol. P. L.* 25, 17).

S. Gregorius M. : *Sacra Scriptura omnem scientiam*

Digitized by Google

atque doctrinam sine aliquâ comparatione *transcendit.* Vera praedicat ; ad coelestem patriam vocat ; a terrenis desideriis ad superna amplectenda cor legentis immutat ; dictis obscurioribus exercet fortes, et parvulis humili sermone blanditur. Nec sic clausa est, ut pavesci debeat, nec sic patet, ut vilescat. Usu fastidium tollit, et tanto amplius diligitur, quanto amplius meditatur (*L.* 20. *Mor. c.* 1. *P. L.* 76, 135).

S. Isidorus Hispal. : Quanto quisque magis *in sacris eloquiis assiduus* fuerit, tanto ex eis uberiorem intelligentiam capit, sicut *terra quae* quanto *amplius excolitur* tanto *uberius fructificat. Eloquia sacra* exterius incompta verbis apparent, intrinsecus autem mysteriorum sapientiâ fulgent (*Sentent. l.* 3. *c.* 9. *n.* 2. *et c.* 13. *n.* 3. *P. L.* 83, 681).

S. Petrus Dam. : Sacrarum Scripturarum paginae *semper versentur in manibus;* in his totus esto, his immorare, in his jugiter requiesce (*L.* 6. *ep.* 29. *P. L.* 144, 470).

S. Scripturae triplex intellectus.

Hugo de Folieto : *Triplices intellectus sunt divinae Scripturae*, quasi *tres mensae*, videlicet *historialis, mysticus* et *moralis.* Prima mensa simplicibus, secunda doctoribus, tertia communis est utrisque. In primâ cibus grossior, in secundâ subtilior, in tertiâ dulcior. Prima saporem continet exemplorum, secunda vim mysteriorum, tertia dulcedinem morum. In unâ Christus vinum ministrat, in secundâ frangit panem, in tertiâ docet. Prima pascit miraculis, secunda figuris, tertia verbis. Res miraculorum corroborat fidem, impletio figurarum spem, doctrina morum caritatem (*L.* 3. *de claustr. anim. c.* 8. *P. L.* 176, 185).

Hugo a S. Victore : *Divina Scriptura* in quibusdam locis, quasi panis difficile editur, in quibusdam sicut *vinum* facile sorbetur, in omnibus quasi *medicamentum et oleum* animae, dum sumitur, medetur (*Lib* 3. *Miscellan. cod.* 1. *Tit.* 56. *int. spur. P. L.* 177, 672). — Divina Scriptura ceteris omnibus scripturis, non solum in materiâ suâ, sed etiam in modo tractandi, *subtilitate et profunditate praecellit* (*Lib.* 1. *de Sacram. Prolog. c.* 5. *P. L.* 175, 185).

Hugo a S. Charo. : Ad hoc tendit tota *Scriptura*,

Digitized by Google

ut revocet a malo *per timorem*, et promoveat ad bonum *per amorem* (*Sup. lib. Judic. prol.*). *S. Scriptura est vas ciborum et potuum* spiritualium, quibus reficiuntur et inebriantur spiritaliter animae Sanctorum (*Sup. Prov.* 25, *v.* 4). — *S. Scripturam*, per quam cognoscitur Deus, *pie legite*, et perfecte intelligite. Pie legit, qui cum devotione legit sed studiose inquirit (*Sup. Sap. c.* 1. *v.* 1).

Ejus auctor.

S. Thom. Aqu. : *Auctor s. Scripturae, est Spiritus* S. non solum verborum, sed etiam rerum (*Sup.* 1. *sent. quest.* 3. *Prolog. artic.* 5). — *S. Scripturae auctoritas* superior est omni ratione (*Sup.* 1. *sent. dist.* 2. *art.* 1).

Est solamen, vita, speculum.

S. Odo, Abb. Clun. († 942) : Deus sanctificatam *Scripturam*, quae dissolvi non potest, majori gratiâ misit in mundum, quatenus, ut ait Petrus, «*in caliginoso vitae hujus loco*» pedibus nostrae actionis resplendeat, et inter quaelibet adversa «*patientiam et consolationem*,» juxta Pauli vocem, administret. Si ergo quidquam est, quod sapientem virum aequo animo inter mundanos turbines continere possit, id esse quam plurimum reor *meditationem Scripturarum.* Omnis namque ratio, quâ *vel Deum vel nos cognoscimus*, divinis libris continetur. Et in hoc non solum a ceteris animalibus, sed etiam a quolibet stulto maxime distamus; et, sicut ait Salomon, illuc, «*ubi vita est*», ad cognitionem videlicet Scripturarum perreximus. Nam, quod in Scripturis vita sit, testatur Dominus dicens : « *Verba, quae loquor vobis, spiritus et vita sunt.* » Ipsa est et *speculum*, per quod nunc in aenigmate divina mysteria videamus ac nos, quales simus, intueri queamus, ita ut ibi appareat, quantum proficimus in bono vel quantum deficimus. Ibi cuncta produntur, quae dissipant, cuncta narrantur, quae aedificant. *Et tamen plerique libentius scurrilitatem audiunt, quam hoc paradigma Dei!* Tale autem est negligere sacram lectionem, quale esset, si quis in tenebris lumen, in aestu umbram, vel in aegritudine medicinam respueret (*Collat. l.* 1. *P. L.* 133, 519).

Capessendus s. Scripturae spiritus est.

Guillelmus, Abb. s. Theodorici : Quo Spiritu Scripturae factae sunt, eo *Spiritu legi desiderant;* Ipso etiam

Digitized by Google

intelligendae sunt. Nunquam ingredieris in sensum *Pauli*, donec usu bonae intentionis in lectione et studio assiduae meditationis spiritum ejus imbiberis. Nunquam intelliges *David*, donec ipsâ experientiâ ipsos psalmorum affectus indueris. Sicque de reliquis. *Hauriendus est saepe de lectionis serie affectus, et formanda oratio*, quae lectionem interrumpat, et non tam impediat interrumpendo, quam puriorem continuo animum ad intelligentiam lectionis restituat. Intentioni servit lectio. Si *vere in lectione Deum quaerit*, qui legit, omnia, quae legit, cooperantur ei in bonum; et captivat sensus legentis et in servitutem redigit omnem lectionis intellectum in obsequium Christi. Si in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post semetipsum, nihilque tam sanctum, tam pium invenit in Scripturis, quod seu per vanam gloriam seu per distortum sensum, seu per pravum intellectum non applicet vel malitiae vel vanitati. *In omnibus enim Scripturis legendis initium debet esse timor Domini*, ut in eo primo solidetur intentio legentis, et ex eo exsurgat et ordinetur totius lectionis intellectus et sensus (*Ep. ad. frat. De Monte Dei. l.* 1. *c.* 10. *n.* 31. *P. L.* 184, 327).

In ejus lectione Deum quaere.

Non exhauritur.

Gillebertus de Hoilandiâ, Abb. († 1172): *Semper nova* reperiri possunt *in Christo* semperque ad nova potest *in Scripturis* penetrari. Multi sunt in Illo recessus, thesauri sapientiae innumerabiles; non est uno contentus vellere, saepius tonderi potest. «*Laetabor super eloquia Tua, sicut qui invenit spolia multa.*» His ergo te vesti spoliis, involve velleribus, ut calefiant, sicut scriptum est, latera tua (*Serm.* 14. *in Cant. n.* 1. *P. L.* 184, 68).

Sacri libri claustro necessarii, venerandi,

Thom. a Kempis: *Clericus sine sacris libris* quasi *miles sine armis*, navis sine *remis*, scriptor sine *pennis*, avis sine *alis*, sagittator sine *jaculis*, viator sine *baculo*, caecus sine *ductore*. Omnes isti parum vel nihil valent nec proficiunt sine instrumentis et bono instructore. *Similiter claustrum* et congregatio clericorum sine sacris libris, quasi *mensa sine cibis*, puteus sine *aquis*, rivus sine *piscibus*, hortus sine *floribus*, vinea sine *botris*, turris sine *custodibus*, domus sine

Digitized by Google

utensilibus (*Opusc.* 11. *Doctrin. Juven. c.* 7). — Sic accipe *librum in manibus* tuis ad legendum, *sicut Simeon justus puerum Jesum in ulnas* suas, ad portandum et osculandum. Et postquam legisti, claude librum, et gratias age de omni verbo ex ore Dei, quia invenisti in agro Dominico *thesaurum occultum*. Ab omni igitur sorde servandus est *thesaurus Ecclesiae*, a sanctis doctoribus elaboratus et editus, a bonis scriptoribus scriptus et collectus, pro multorum consolatione a Deo provisus (*Opusc.* 11. *de Doctrin. Juven. c.* 5).

Sunt thesaurus occultus,

Isidorus Pelus. : *Sacrosancta volumina*, quae divinarum Scripturarum testimonium habent, *scalae* quaedam sunt, quibus ad Deum ascenditur. — Quamobrem ea omnia, quae *in Ecclesiâ* proponuntur, tanquam *probum aurum* excipe, ut quae divinae veritatis Spiritu, veluti igne, purgata sint. (*L.* 1. *ep.* 369. *P. L.* 78, 391).

Scalae ad Deum.

Trithemius : *Duo* sunt, quae *Ordinem in observantiâ tenuerunt, amor videlicet Dei et studium Scripturarum ;* quibus deficientibus monachi quoque a sanctâ institutione recesserunt. Nonnulli enim rudes, inexperti et sine scientiâ Scripturarum, cum non haberent, ubi cor suum delectabiliter figerent, *ad amorem saeculi conversi*, disciplinam Ordinis misere destruxerunt (*De viris illustr. l.* 1. *c.* 8). — *Daemonis haec impostura* est, pietatis fuco *studiorum neglectum commendare ;* et humilitatis titulum affingere ignorantiae. Aufer doctrinae hunc *solem* a religiosis ordinibus, quid nisi cymmerias vel Aegyptiacas speres tenebras ? Deme *arma* militibus Christi, et *gladium* verbi Dei ; quomodo stabunt fortes, in fide adversus phalangas dissectarum sectarum ? (*Disc. monast. Tract.* 4. *de lecti. dis.* 2). — *Sacra scientia*, velut «*turris David aedificata cum propugnaculis, ex quâ mille clypei pendent, omnis armatura fortium,*» tantam virtutem et fortitudinem in se continet, ut verum amatorem suum quasi *invincibilem reddat*, dum illius mentem ab omni voluptate terrenâ segregat... «*O quam dulcis est, Domine, Spiritus tuus,*» qui amore sanctarum Scripturarum ab humilis cordis puritate imbibitur ! (*De vir. illustr. l.* 2. *c.* 145).

Amor Dei et studium Scripturarum.

Doctrina sol et armatura.

Digitized by Google

Orandum ante lectionem.

S. Ephrem : Cum autem legis, *intentissime lege atque diligenter*, cum multâ constantiâ versum bis terve *ponderans* et *penetrans sensum*. Verum, ut dixi, bis, terque ac saepius eundem repete versum, ut ipsius intelligentiam consequaris. Cum autem te ad sedendum et legendum vel etiam ad alium legentem audiendum paras, *Deum* cumprimis *ora*, dicens : Domine JESU CHRISTE, aperi aures et oculos cordis mei, ad audiendum et intelligendum sermonem Tuum faciendamque voluntatem Tuam, Domine ! (*Sermo de patient. et consum. saec. tom. III. p.* 101).

Saecularium literarum studia.

Cassiodorus : Nec illud Patres sanctissimi decreverunt, ut *saecularium litterarum studia* respuantur, quia exinde non minimum *ad s. Scripturas intelligendas* sensus noster instruitur ; si tamen, divinâ gratiâ suffragante, notitia ipsarum rerum sobrie ac rationabiliter inquiratur. Non ut in ipsis habeamus spem profectûs nostri, sed *per ipsa transeuntes*, desideremus nobis a Patre luminum proficuam salutaremque sapientiam debere concedi. Quanti enim *philosophi* haec solummodo lectitantes ad fontem sapientiae non venerunt, et vero lumine privati, ignorantiae caecitate demersi sunt! Quoniam, sicut a quodam dictum est, nunquam potest plenissime investigari, quod non per viam suam quaeritur. Multi iterum Patres nostri talibus literis eruditi et in lege Domini permanentes, ad veram sapientiam pervenerunt, sicut *B. Augustinus* in libro de Doctrinâ Christianâ meminit (*L.* 2. *c.* 4); dicens : « *Non aspicimus, quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus, et doctor suavissimus et martyr beatissimus ? Quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius?* » Nos addimus *Ambrosium* ipsumque *Augustinum* atque *Hieronymum* multosque alios innumerabiles Graecos. Hoc etiam ipse fidelissimus Dei famulus *Moyses* fecit, de quo scriptum est (*Act. Apost.* 7, 22), quod *eruditus* fuerit *omni sapientiâ Aegyptiorum*. Quos nos imitantes, cautissime quidem ac incunctanter utrasque doctrinas, si possumus, legere festinemus. Quis enim audeat

Digitized by Google

habere dubium, ubi virorum talium multiplex praecedit exemplum? Scientes plane (sicut saepe jam dictum est) rectam veramque sapientiam Dominum posse concedere, sicut ait liber Sapientiae (*Eccli.* 1, 1) : « *Sapientia a Domino Deo est, et cum Illo fuit semper et permanet in aeternum.* » (*De instit. divin. liter. c.* 28. *P. L.* 70, 1142).

S. Guilelmus, Abb. Hirsaugiens. († 1091) : Licet et vere decet nos *saecularem philosophiam* investigando *aurum in luto quaerere, Aegyptum spoliare, odoriferos fructus in spinis carpere*, si tamen effossum ibi metallum ad purgatissimum sacri eloquii thesaurum transferamus; si evulsa ibi plantaria inter pigmentiferas arbores agri pleni, quem benedixit Dominus, decenti ordine conseramus... Omnibus catholicis inidiotis liquido patet, quia, excepto Filio hominis, qui super omnes est, in omni humanâ propagine, illo *protoplasto Adam nihil unquam sanctius fuerit* nec erit, scilicet qui ante transgressionem bonum naturaliter sciens, malum nesciebat. Siquidem tantae erat sanctitatis, ut, postquam illo in hujus mundi exsilio procul dubio pro culpâ damnato, ingenita mentis ejus puritas a posteritatis ipsius malignitate coepit depravari, pius Factor dolens, ab originali divinae rationis dignitate facturam suam denobilitare, primo per *Patriarchas*, deinde lege ex *Prophetis*, novissime proprio *Filio Suo et Ejus Evangelio*, signis et prodigiis Ejus, *discipulorumque* Ejus, nec non omnium *Ecclesiae doctorum* verbis et exemplis ad id humanum genus provocaverit, quatenus coelestem vitalis spiraculi et similitudinis Dei sublimitatem haereditariâ animi virtute velit repossidere. Verum etiam *cujus innatam sanctitatem imitari debemus, physicum quoque scientiae acumen studio, quo possumus, sequi* non solum licet, sed et omnibus, qui practice viventes talentum ingenii a Domino consecuti sunt, ab hoc exercitio subsistere fas non est. — Videamus autem, si sapientiae ejus plenitudini haec, de quâ agimus, disciplina defuerit. In *libro Collationum*, qui maximae auctoritatis habetur, ita scriptum est : « *Ab illâ verâ physicae philosophiae disciplinâ homines exciderunt, quam*

Adami, ut sanctitas, ita scientia restituenda.

Digitized by Google

primus homo ille, qui universarum naturarum institutionem e vestigio subsecutus est, potuit evidenter attingere, et suis posteris certâ ratione transmittere, quippe qui mundi ipsius infantiam adhuc teneram et quodammodo palpitantem rudemque conspexerat, et in quem tanta fuit non solum sapientiae plenitudo, sed etiam gratia prophetiae divinae illâ insufflatione transfusa, ut non solum omnigenarum bestiarum atque serpentium furores virusque discerneret, sed etiam virtutes herbarum et arborum lapidumque naturas, ac temporum necdum expertorum vicissitudines partiretur, ita ut potuerit efficaciter dicere : « *Dominus dedit mihi eorum, quae sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum et virtutes elementorum, initium et consummationem et medietatem temporum, vicissitudinum immutationes et divisiones temporum, annorum cursus et stellarum dispositiones, naturas animalium et iras bestiarum, vim spirituum et constitutionem hominum, differentias arborum et virtutes radicum, et quaecunque sunt abscondita, in promptu cognovi* » (*Sap.* 7, 17-19). Ecce, ex quam limpidissimo fonte nos totius *quadrivii disciplinam* per naturale ingenium quasi per quaedam spiramina etiam inviti attrahimur! Ideoque omnibus, qui maligna loquuntur, plane confusis, in nomine Ejus, qui « *numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat,* » astronomiam nostram proposito dialogicae confabulationis itinere percurramus (*Praefatio in sua astronomica. P. L.* 150, 1641).

Monastica traditio confirmat scientiarum studium.

Trithemius : Adhuc *S. Benedicto* vivente et Ordine per diversa terrarum spatia diffuso, plerique *nobiles eruditissimique juvenes,* monasticis institutis secundum Regulam ejus colla submiserunt, qui *non solum in Scripturis divinis, sed etiam in saecularibus literis peritissimi* habebantur. E quibus clarissimus ille senator *Cassiodorus,* vir undecunque doctissimus, senatoriâ dignitate depositâ, pro Dei amore monachus coenobialis efficitur. Succedente vero tempore *summum monachis erat studium Scripturarum et in omnibus doctrinis bonarum artium amor discendi continuus.* Nam qui docti ad

Digitized by Google

conversionem venerant, junioribus fratribus praecepta discendi utiliter ministrabant. Nec minor aetas proficiendi desiderium impedire potuit, quae magistrorum imperio regebatur. Ut vero paucos e pluribus in exemplum demus, *Bonifacium* et *Rhabanum*, Archiepiscopos Moguntinos, *Bedam* quoque pesbyterum intueamur.... Hi sanctissimi viri atque in Scripturis peritissimi doctores quidquid de scientiâ Scripturarum norunt, in monasteriis sub regulâ Ordinis didicerunt. Non mittebantur causâ discendi ad exteras nationes, *cum in coenobiis semper haberent bonarum artium praeceptores.* Taceo de ceteris pluribus eruditissimis viris, qui ad monasticam vitam in pueritiâ venientes, *tam doctrinâ quam sanctitate gloriosi* effulserunt.... Juniores etiam fratres disciplinis instituebantur scholasticis, prout unicuique eorum conveniebant, alii in *grammaticâ*, alii in *orthographiâ ;* in *rhetoricâ* nonnulli, vel *dialecticâ ;* quidam in *musicâ*, *arithmeticâ* et *arte computisticâ ;* alii in *philosophicâ ;* atque alii, in his jam fundati, ad *Scripturas* introducebantur theoreticas. Nullus in coenobiis locus dabatur otio, sed suis studiis atque laboribus singuli insistebant. Unde etiam multi sanctissimi doctissimique in omni scientiâ Scripturarum viri, cum magnâ laude nominis sui et Ordinis evaserunt (*In vir. illustr. O. S. B. l.* 1. *c.* 6).

V. Blosius : Sic fratres permittimus pro tempore vel aetate *dare operam politioribus literis*, ut tamen per illarum studium labem superbiae et vanae gloriae in se non trajiciant, sed *omnia ad honorem Dei pure referant.* Alioquin praestat monachos idiotas esse, quam elegantes. Utilis satis est simplicitas ; per quam melius conservatur humilitas (*Coll. ex vita S. Birgittae c.* 4).

Ante laborem orandum.

S. Fructuosus, Abb. Complut. et Ep. Bragens. († *c.* 670): Dato signo sumptis ferramentis, congregentur in unum, *factâque oratione* pergent recitantes ad opus usque ad horam diei tertiam (*Reg. c.* 6. *P. L.* 87, 1102).

S. Dunstanus, mon. et Archiep. Cantuar. († 988):

Digitized by Google

Si opus habuerint, pulsatâ tabulâ, Prior auxilium prius invocet divinum dicens tertio : « *Deus in adjutorium meum intende* » (*Stat. c.* 1. *P. L.* 137, 483).

Devote laborandum.

S. Franciscus Assis. : *Laborent fideliter ac devote*, ita quod, excluso otio animae inimico, *sanctae orationis ac devotionis spiritum* non exstinguunt, cui debent cetera temporalia deservire (*Reg. c.* 5).

Monachi instar Seraphim alati.

Haeftenius, († 1648) : *Seraphim* illi, quos Isaias olim videbat, *sex alis instructi* erant. *Opera Benedictinorum Monachorum*, qui habitu suo (ut Bonifacius IV. aliique dixerunt) senas Seraphinorum alas repraesentant, *totidem piis conditionibus ex mente S. Benedicti sunt exornanda*, ut ita ad coelum evolent et divinae sint accepta Majestati. Prima autem ala sit, ut opera manuum fiant in Dei praesentiâ, unde S. Pater ait : « *Aestimet se homo de coelis semper a Deo respici omni horâ, et facta sua in omni loco ab aspectu divinitatis videri* »....

Sex laborum conditiones.

Secunda ala est, ut fiant cum diffidentiâ de viribus propriis : « *Ad omnia quae sibi injunguntur* (ait S. Legislator noster) *velut operarium malum et indignum se judicet* » Monachus (*c.* 7). Tertia..., ut confidens de divino auxilio, Dei opem imploret, quod S. Pater his verbis extulit : « *Quidquid agendum inchoas bonum, a Deo perfici instantissimâ oratione deposcas* » (*Prolog.*)... Quarta ala, sive conditio monastici operis est, ut cum humilitate exerceatur, quod passim et praesertim c. 7 S. Reg. inculcatur. Et alibi ait : « *Artifices si sunt in Monasterio, cum omni humilitate et reverentiâ faciant ipsas artes* » (*c.* 57)... Quinta, ut fiat cum obedientiâ. « *Cum voluntate enim Abbatis omnia agenda sunt* » (*c.* 49)... Sexta et ultima operum nostrorum ala est, ut religiosus ipso se opere quasi abdicans et exproprians, totum Deo attribuat, ad Ejus gloriam dirigat, Ipsique offerat. Insinuat id S. Bened., cum ait : « *Bonum aliquid in se cum viderit, Deo applicet, non sibi* » (*C.* 4. *instr.* 42). Quod clarius exponit in prologo : « *Timentes Dominum pro bonâ observantiâ suâ non se reddunt elatos, sed ipsa in se bona non a se posse, sed a Domino fieri existimantes, operantem in se Domi-*

Digitized by Google

num magnificant, illud cum Propheta dicentes : « *Non nobis, Domine, non nobis ; sed nomini Tuo da gloriam.* » Atque hic est sublimissimus omnino finis, quem in operando homo intendere potest, ut nimirum *omnia referat ad Dei gloriam*, ad quam etiam Beati omnia sua referunt. Imo Ipse Deus in omnibus operibus ad extra, ut theologi loquuntur, semper agit ex affectu et intentione suae gloriae. Gloria enim Dei excellentius bonum est, quam omne bonum creaturae. Quare magnae perfectionis erit, agnoscere in se operantem Deum, et ipsum opus non quasi nostrum, sed quasi Ipsius Dei ad Ejus solius gloriam dirigere Illique offerre. His alis opera nostra, quae alioquin humi reperent, in coelum subvolant et spiritualia efficiuntur (*Disquisit. monast. l.* 9. *tract.* 2. *De laboris qualitate disq.* 3).

Finis laboris Dei gloria.

S. Basilius M. : Assignato jam sibi artificio, vacare unusquisque attente debet studioseque invigilare, et nihilo secius, quasi inspectore Deo, summâ sedulitate et attentiore curâ accuratissime illud exercere, ut fidenti animo semper dicere illud possit : « *Ecce sicut oculi servorum ad manus spe-* « *ctant dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum* « *nostrum* » (*Reg. fusior.* 41. *n.* 2. *P. Gr.* 31, 1023).

In praesentiâ Dei laborandum.

S. Joan. Chrysost. : Servus laborando oculos heri sui respicit ; mercenarius operator ad operis sui dominum praemia daturum, *discipulus* ad praeceptorem (*Hom.* 17. *sup. Ep. ad. Rom. n.* 5. *P. Gr.* 60, 571). — Non propter spem regni coelestis, sed ut Deo placeat, viro bono est laborandum (*Hom.* 43. *sup.* 1. *Cor. n.* 4. *P. Gr.* 61, 372).

Ex puro amore laborandum.

S. Bernardus : *Non sine praemio diligitur Deus*, etsi absque praemii intuitu diligendus sit. Vacua namque vera caritas esse non potest, nec tamen mercenaria est, quippe « *non quaerit, quae sua sunt.* » Affectus est, non contractus ; nec acquiritur pacto nec acquirit. Sponte afficit et spontaneum facit ; *verus amor se ipso contentus est.* Habet praemium, sed id, quod amatur ; nam, quidquid propter aliud amare videaris, id plane amas, quo amoris finis pertendit, non propter quod tendit. *Paulus* non evangelizat, ut

Digitized by Google

comedat, sed comedit, ut evangelizet, eo quod non amet cibum, sed Evangelium. *Verus amor praemium non requirit, sed meretur.* Praemium sane necdum amanti proponitur, amanti debetur, perseveranti redditur. Denique in rebus inferioribus suadendis invitos promissis vel praemiis invitamus, et non spontaneos. Quis enim munerandum hominem putet, ut faciat, quod et sponte cupit? (*L. de dilig. Deo. c. 7. n. 17. P. L.* 182, 984). — *Exigit Deus* timeri ut Dominus, honorari ut Pater, *ut Sponsus amari.* Quid in his praestat, quid eminet? nempe amor, absque hoc et timor poenam habet, et honor non habet gratiam. Servilis est timor, quamdiu ab amore non manumittitur; et, qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. Is per se sufficit, is per se placet, et propter se. Ipse meritum, ipse praemium sibi est; *amor praeter se non requirit causam, non fructum;* fructus ejus usus ejus. Amo, quia amo; amo, ut amem. Cum amat Deus, non aliud vult, quam amari; quippe non ad aliud amat, nisi ut ametur, sciens ipso amore beatos, qui se amaverint. Expedit omni animae, *Deum semper attendere tanquam* proprium non modo *adjutorem*, sed etiam *inspectorem.* Quomodo enim negligens poterit fieri, qui *intuentem se Deum nunquam desinit intueri?* Aut quomodo non quasi proprium Illum habere videtur, qui sic Eum super se videt intentum, ut omnia interiora ejus et exteriora omni horâ considerare non cesset, omnesque non solum actus, sed etiam ipsos subtilissimos animae motus perscrutetur atque dijudicet? (*Serm. 2. in Ps. 90 n. 3. P. L.* 183, 190).

Deus laborum adjutor et inspector.

Dulcis amantium labor.

S. Augustinus: Nullo modo sunt onerosi *labores amantium*, sed etiam ipsi delectant.... In eo enim, quod amatur, aut non laboratur, aut et labor amatur. Quam pudendum et dolendum est, si delectat labor, ut fera capiatur, ut cuppa et sacculus impleatur, ut pila jaculetur; et non delectat, ut Deus acquiratur (*De bono vid. c. 21. P. L.* 40, 484).

Labor praemio dulcescit.

S. Cyrillus Hieros.: Promptius fit omnis operarius ad perferendos labores, si *praemium laborum* praeviderit; qui

Digitized by Google

vero sine praemio laborant, et anima et corpus illis concidit. (*Catech.* 18. *c.* 1. *P. Gr.* 33, 1018).

Hugo a S. Charo Card.: *Ut delectet labor*, Dominus *condimentum triplicis herbae* apponit, dans *pietatem* in intentione, *alacritatem* in affectione, *humilitatem* in exsecutione (*Sup. Gen. c.* 48. *v.* 8).

S. Bernardus: Qui in labore hominum non sunt, in labore daemonum profecto erunt (*Serm.* 23. *sup. Cant. n.* 13. *P. L.* 183, 891). — Nullus ibi apparet *labor*, ubi verus est *amor* (*Serm.* 14. *de Coenâ Dom. n.* 2. *in app. P. L.* 184, 944).

Diligenter laborandum.

S. Hieronymus: Labore terreris; at *nemo athleta sine sudore coronatur* (*Ep.* 14. *n.* 10. *P. L.* 22, 354).

S. Augustinus: In unoquoque opere bono mater est *diligentia* (*Serm.* 16. *ad. Fratr. in Erem. in app. P. L.* 40, 1262).

Tempus irrevocabile.

S. Joan. Chrysost.: Omnia potius sunt amittenda, quam tempus; aurum amittas, poterit recuperari, *amissum* autem *tempus* numquam (*Hom.* 57. *sup. Joan. n.* 5. *P. Gr.* 59, 321). — *Temporis opportunitas* non nobis, sed illi cognita est, qui factor est temporis (*Hom.* 4. *sup. Ep. ad Coloss. n.* 4. *P. Gr.* 62, 331).

S. Hieronymus: Omne *tempus* in quo te non meliorem senseris, hoc aestima perdidisti (*Ep.* 13. *int. apocr. P. L.* 30, 180).

Parce tempori!

S. Augustinus: Curramus, dum lucem habemus, ne praetereuntia *salutis tempora* negligamus (*Serm.* 252. *n.* 2. *in app. P. L.* 39, 2212).

S. Beda: *Omnis dies velut ultimus* tractandus est (*Prov. c.* 14. *int. spur. P. L.* 90, 1104).

Temporis pretium.

S. Bernardus: *Nemo vestrum, fratres, parvi aestimet tempus*, quod in verbis consumitur otiosis; siquidem tempus acceptabile est et dies salutis. Volat verbum irrevocabile, volat *tempus irremeabile*, nec advertit insipiens quid amittat. « *Libet confabulari,* » aiunt, « *donec hora praetereat.* » O donec praetereat hora! o donec pertranseat tempus! Donec hora praetereat, quam tibi *ad agendam poenitentiam*,

Digitized by Google

ad obtinendam *veniam*, ad acquirendam *gratiam*, ad *gloriam* promerendam miseratio Conditoris indulget! « *Donec transeat tempus!* » qui divinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam haereditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. Sic, nimirum, sic *agricolae*, cum diu desiderata adfuerit opportunitas seminandi, sic *vinitores*, cum exspectatum tempus putationis advenerit, invenisse occupationes et quasi irreprehensibiliter sine opere diem transegisse laetantur? Sic, instantibus nundinis, *institores* nectere moras, occasiones quaerere solent, ne quem forte sibi ex eis quaestum provenire contingat? Sic denique pauperes *mendicantes*, cum multis clamoribus evocatus tandem adfuerit eleemosynarum distributor, diverticula captant et, concurrentibus sociis, vacuos ambiunt occupare recessus et fovere latebras in angulis platearum? Utinam tamen vel solum *tempus vitae amitteretur* in verbis! sed multi in his etiam *vitam amittere comprobantur;* nec modo ipsi amittere, sed adimere quoque; et hoc fratribus suis. An non amittunt vitam detrectatores, Deo odibiles, odibiles vitae (*Serm.* 17. *de divers. n.* 3 *et* 4. *P.*. 183, 584).

S. Bonaventura: Praetereunt *tempora* more *fluentis aquae* (*Sup. Ps.* 76). — *Nihil pretiosius tempore*, quia nihil pretiosius poenitenti, nihil pretiosius proficiscenti, nihil pretiosius pervenienti (*Expos.* 2. *sup. Ps.* 118 *art.* 14). — Omne *tempus* tibi *impensum*, requiret Deus qualiter sit *expensum.* — O quam infestus est diabolus homini in hoc tempore, et tanto certe infestior, quanto *tempus* infestinandi suscipitur brevius (*Serm. I. Dom. I. Quadr.*).

Imit. Christi: Nunc *tempus est valde pretiosum*, sed, proh dolor! quod hoc utilius non expendis, in quo promereri vales, unde aeternaliter vivas! Veniet, quando unum diem seu horam pro emendatione desiderabis, et nescio, an impetrabis (*L.* 1. *c.* 23).

S. Bernardinus Senens.: Habet justus *tempus*,

Digitized by Google

quod bene expendit ; huic tempus habenti, tempus in fine datur. Ille vero tempus non habet, qui male vivendo tempus amisit pretiosissimum (*Serm.* 13. *fer.* IV, *post. Dom. I. Quadrag. art.* 3. *c.* 4). — Tanta *pretiositas temporis*, quod parvo tempore lucrari posset homo veniam et gratiam et gloriam (*Serm.* 42. *Dom.* 5. *Quadrag. art.* 2. *c.* 2).

S. Laurent. Just. : *Quid pretiosius tempore*, quid quaeso, illo *fructuosius ?* quid carius? quid *excellentius?* quid *amabilius ?* Sed proh dolor ! pene ab omnibus nihil habetur vilius, nihil tractatur inutilius, nihil indignius possidetur. Nullum *temporis momentum* praeterit, in quo merita non valeant cumulari aeterna (*Serm. de vitâ solitar. c.* 10). — Nihil aeque tam nostrum tamque proficuum ad merendum coelestia, quam *tempus ; misericorditer nobis indultum* est, quatenus per commendabilia opera, ipso mediante, vitam mereamur aeternam (*De Compunct. et complanct. c.* 2).

Trithemius : Nullus labor gravis, *nullum tempus longum*, nulla monacho dura videri observantia debet, quibus gloria aeternae beatitudinis acquiritur. *Brevitatem hujus vitae, fratres mei, perpendite, et agite bonum*, quamdiu licet ; quoniam qui nunc parce seminat, post mortem quoque parce et metet ; et pro suo unusquisque opere mercedem condignam recepturus est, non pro alieno. *Laborandi tempus brevissimum* est, mercedis vero, quae bonis debetur operibus, sempiternum. *Considerate, fratres mei, homines mundo implicatos* et omnes hujus saeculi amatores, quam fortes sunt in rebus terrenis atque caducis, in coelestibus vero debiles et infirmi, ut vos intantum Deo placere curetis, quantum illi ut mundo divites appareant et gloriosi, continue laborant. Nam *pro temporali gloriâ multi usque ad mortem desudare non refugiunt ;* sed pro spe futurae felicitatis etiam parum vel agere vel sustinere contemnunt. *Pro terrenis lucris* quaslibet injurias patientissime tolerant ; et pro coelesti mercede sustinere vel tenuissimi verbi contumeliam recusant. *Regi terreno*, principi vel judici toto die fortes possunt assistere ; in oratione autem coram omnipo-

Digitized by Google

tenti Domino ad unius horae spatium nequeunt perdurare. Multa *pro acquirendis perituris divitiis* adversa libenter tolerant ; superna vero bona quaerere tanto magis negligunt, quanto in amore terrestrium delectabilius occupantur (*Hom. 7. de lab. manuali*).

In SS. P. Benedicti Regulâ est ejusdem vita.

Haeftenius : Praepos. Affliginens. (✠ 1648) : *Regulae observantia* in tanto Legislatore est plane singularis, de quâ ita Gregorius M. : « *Scripsit Benedictus Monachorum Regulam, discretione praecipuam, sermone luculentam. Cujus si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eâdem institutione Regulae omnes magisterii illius actus invenire ; quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere quam vixit.* » Quibus verbis SS. Pontifex plane innuit *S. Benedictum* omnibus illis ornatum virtutibus, quas in Regulâ suâ discipulis aut praescripsit aut commendavit. Atque hanc allegat S. Gregorius velut sufficientem causam, cur quaedam de hoc venerabili Patre studiose praetereat, quod *ejus vita, virtutes* et *mores in Regulâ, tanquam lucidissimo quodam speculo, clarissime appareant.* Quid amplius de *exactâ Regulae observantiâ* dicam, nisi quod haec sit « *via, quâ dilectus Domini coelum Benedictus ascendit ?* » Quae est enim via, (inquit in declamationibus Bernardus) ab ejus cellâ progrediens, nisi Ordo, quem idem vir beatus instituit, et forma vitae, quae ab eo sumpsit exordium ? Quâ nimirum viâ Domini dilectus ascendit, quia non potuit vir sanctus aliter docere quam vixit (*Comment. in vit. S. Bened. c.* 37).

Obedientissima s. Regulae observantia.

S. Obedientiae palmare votum.

S. Hieronymus : Non satis est perfecto et consummato viro opes contemnere, pecuniam dissipare et projicere, quod in momento et perdi et inveniri potest. Fecit hoc Antisthenes, fecerunt plurimi, quos vitiosissimos legimus. Plus enim debet Christi discipulus praestare, quam mundi philosophus, gloriae animal et popularis aurae atque rumoris venale mancipium. *Tibi non sufficit, opes contemnere*, nisi et Christum consequaris (*Ep.* 66. *n.* 8. *P. L.* 22, 644). — *Te ipsum vult Dominus, hostiam viventem, placentem Deo* (*Ep.* 119. *n.* 5.

Digitized by Google

ibid. 964). — *Prima apud monachos confoederatio* est *obedire* majoribus, et quidquid jusserint facere (*Ep.* 22. *n.* 35. *ibid.* 419).

S. Thomas Aqu. : *Nihil majus* potest homo dare Deo, *quam quod propriam voluntatem propter Ipsum voluntati alterius subjiciat.* — Dicendum, quod *votum obedientiae* est *praecipuum* inter tria vota religionis.... Praefertur etiam ipsi virginitati ex voto observatae (*II.* 2. *qu.* 186. *art* 5. *et* 8. *in Corp.*). — Per se laudabilior est obedientiae virtus, quae propter Deum contemnit propriam voluntatem, quam aliae virtutes morales, quae propter Deum aliqua alia bona contemnunt (*II. II. qu.* 104. *art.* 3).

Adam, Abb. Perseniae (1203) : Per lorum promissae *stabilitatis* tanquam pia jumenta ad coeleste praesepium religamur ; per exhibentiam *obedientiae* ipsa angelica ministeria imitamur (*Ep.* 1. *P. L.* 211, 588).

Trithemius : Inter omnes virtutes monasticas *maxima est obedientia*, sine quâ nullus monachus esse poterit, quia *primum est et principale votum* promittentibus Regulam servare vel secundum Regulam vivere. Nam *absque obedientiâ castitas sive paupertas monachum non faciunt.* Nobilissimum enim triumphi genus est, *vincere se ipsum*, ut dicit Sapiens ; sed verus obediens hoc facit, alterius implendo mandatum, victo se ipso (*Comment. in c.* 7. *s. Regulae*).

S. Augustinus : Hoc *in Mariâ magnificavit Dominus, quia fecit voluntatem Patris*, non quia caro genuit carnem (*Tr.* 10. *in Joan. n.* 3. *P. L.* 35, 1468).

Thom. a Kempis : *Per obedientiam fit homo dilectus Deo*, et tam familiaris Christo, ut frater ejus esse mereatur. « *Quicunque*, inquit, *fecerit voluntatem Patris Mei, qui in « coelis est, ipse frater Meus et soror et mater est* » (*De discip. claust. c.* 4. *n.* 4).

Cum Deo sancte jungit.

S. Laurent. Just. *Obedientiam* in specialem eligat *sponsam*, quisquis Deo famulari desiderat..... Praecipue in coenobiis et congregationibus Deo dicatis haec tenaciter custodienda est (*De discipl. et perf. monast. convers. c.* 7).

Obedientia monachi sponsa.

Digitized by Google

Est perfectionis norma.

Thom. a Kempis: Obediens *tanto amplius proficit* et Deo gratius placet, *quanto citius et alacrius implet*, quod voluntas Superioris facere dictat. Et si melius sciret et clarius sibi mandatum innotesceret, omni nutatione remotâ *promptissimum* se *ad obediendum Deo et vicario Ejus* exhiberet (*P. 1. serm. 7. ad novit.*). — Tanto plus proficiet in virtutibus et sapientior erit, quanto humilius superioribus se submittet (*In Dialog. Novit. c. 2*).

Imit. Christi: *Qui se subtrahere nititur ab obedientiâ, ipse se subtrahit a gratiâ.* Et qui quaerit habere privata, amittit communia. Qui non libenter et sponte suo Superiori se subdit, signum est, quod caro sua necdum perfecte sibi obedit, sed saepe recalcitrat et remurmurat. Disce ergo celeriter Superiori tuo te submittere, si carnem propriam optas subjugare. Citius namque exterior vincitur inimicus, si interior homo non fuerit devastatus (*l. 3. c. 13*).

Perfecta monachi obedientia:

S. Bonaventura: *Religiosi in primis voluntatem propriam ingenti curent studio captivare.* Quid enim prodest sub unius ordinatione viventibus, quod facultates suas abjiciunt, si proprias voluntates non relinquunt, cum sit praestantius voluntatibus renuntiare quam rebus? *Tota Religionis perfectio in voluntatis propriae abdicatione consistit.....* Profecto in duobus erit subjectae probatio voluntatis, si videlicet in injunctis devote obediat, et in agendis suis semper habere auctoritatem obedientiae non omittat...

1) Devote in omnibus obediendum,

Nam quidquid *vice Dei praecipit homo*, quod non scit tamen certum displicere Deo, hoc omnino sic accipiendum est, quasi praecipiat Deus. Ad meritum etiam *melior est obedientia, quam victimae;* sanctaeque *obedientiae holocausto nihil Deo gratius* exhibetur. Nemo ad perfectionis semitam currendam magis expeditus, quam verus obediens. Quamobrem obedientiae filii se totos ad obediendum exponant moxque, ut praelati vocem audierint, *quasi divinitus imperetur*, moram pati nesciant, sed relictis omnibus, ad injuncta quaelibet fideliter exsequenda promptâ devotione consurgant, ut viciniori pede obedientiae velut uno momento jubentis vocem

Digitized by Google

et facti exhibitionem sequantur. *Perfecta obedientia* sua imperfecta relinquit. Quinimo nec obediens verbum exspectat, ubi de Superioris sibi constiterit voluntate. Illum autem optimum dixerim obedientiae gradum, quum eo animo opus injunctum recipitur, quo et praecipitur, *cum ex voluntate jubentis pendet intentio exsequentis.* Nunquam de majorum sententiâ judicent, quorum officii est obedire et implere, quae jussa sunt. Deinde si ad profectum volunt obedientiae pervenire, constanti secum deliberatione proponant, *devote ad omnia semper obedire.* Si quid igitur grave vel impossibile forte injungitur, suscipiant quidem cum omni mansuetudine jubentis imperium..... Non solum majoribus, sed *sibi etiam invicem obedientiam certatim impendant.* Incumbit Christi discipulo, ut omni petenti se tribuat. Exemplo Apostoli *voluntarios se omnium servos constituant.* Sint ut scriptum est «*subjecti invicem in timore Christi....*» Habenda est plane in agendis obedientiae sanctae auctoritas, sine quâ nec etiam bona sunt bona..... Itaque novi *Christi discipuli semetipsos penitus abnegantes in agendis suis*, id est, in operationibus, locutionibus et rerum quarumlibet usu, non propriam voluntatem, sed *Superiorum in omnibus dispositionem sequantur. Pro conventualibus operationibus*, quae commune simul attingunt collegium, exsequendis non est licentia requirenda..... *Pro specialibus ad proximi alterius fratris necessitatem spectantibus*, nullum communis seu conventualis vitae consuetudini aut exsecutioni specialiter injunctorum impedimentum praestantibus, nequaquam ad Superiores pro licentiâ dixerim recurrendum, cum secundum Apostolum alter alterius onera portare et per caritatem spiritus servire invicem debeamus..... *Pro specialibus ad personam operantis spectantibus*, sive ad carnis mortificationem pertineant, ut sunt vigiliae nimis longae vel abstinentiae singulares, sive ad exercitium spectent operis manualis per se vel per alium faciendi, *licentia quaeratur, sine quâ Religiosus suas singularitates facere non debet*, quippe cui nec corpus suum habere licet in propriâ voluntate; et quod sine

2) Persistendum in s. obedientiae auctoritate,

Digitized by Google

permissione patris spiritualis fit, praesumptioni deputabitur et vanae gloriae, non mercedi. Non potest sibi operari pro volito, sive pro scribendo sive alia faciendo, sive in rebus suo usui deputatis (uti sunt libri, vestes, lecti et alia hujusmodi) pro alia immutando. Nec tamen negaverim *ad minima seu exilia* quaedam et vix reputanda alicujus momenti solum *sufficere consensum Praelatorum..... In commodandis pro cohabitantium indigentiâ rebus* non est lex posita caritati. Possum rem fratri petenti exponere concedendam, non tamen impendere vendicandam. Non rem, alterius fratris usui deputatam, eo inscio occupare licebit. Genus est furti, et plerumque turbationis occasio, rem fratris usui deditam eo, si adsit, inscio detinere. Potest fidelis servus et prudens nonnulla pro loco et tempore facere de tacito vel probabiliter praesumpto Superiorum assensu, ad ipsum denique finaliter acta quaeque per ausum hujusmodi relaturus. De cetero, quidquid Religiosus boni *facit aut dicit, quod suo non noverit displicere Praelato*, a verae obedientiae merito non fraudatur. *Felix haec servitus, imo gloriosa libertas, quâ quis sponte in regiam venditus servitutem*, Deum et Ejus vicarios potius, quam se ipsum super se regnare constituens, suae prorsus renuntiat voluntati (*Spec. p.* 1. *c.* 4).

S. Obedientiae laus.

S. Gregorius M. : *Obedientia victimis jure praeponitur;* quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque *Deum citius placat*, quanto ante ejus oculos, repressâ arbitrii sui superbiâ, gladio praecepti se immolat (*Moral. l.* 35. *c.* 14. *n.* 28. *P. L.* 76, 765). — « *Melior est obedientia, quam victimae, et auscultare, quam offerre arietum adipem* » (*I Reg.* 15, 22) ; quia longe altioris est meriti, propriam voluntatem alienae semper voluntati subjicere, quam magnis jejuniis corpus atterere ac per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare. Quid est enim adeps arietum, nisi pinguis et interna devotio electoris ? Adipem ergo arietum offert, qui in studio secretae conversationis devotae orationis affectum habet.

Victimis praeponitur.

Digitized by Google

« *Melior est* autem *obedientia quam victimae et quam offerre adipem arietum ;* » quia qui perfecte voluntatem praeceptoris sui implere didicit, in coelesti regno et abstinentibus et flentibus excellit. Omnia opera bona postponenda sunt his omnibus, quae jubentur (*L.* 6. *in l. I Reg. c.* 2. *n.* 23. *P. L.* 79, 431).

Gloriosus triumphus et martyrum palma.

Thom. a Kempis : *Magnum certamen* est, se ipsum vincere ; *gloriosus triumphus*, cervicem superbiae flectere, proprium videre relinquere, propriam sapientiam deponere et in nullo se velle ostentare. Omnis, *qui propter Deum sponte obedit, opus fortissimi militis facit ;* quia contra se ipsum certat et divini timoris gladio propriae voluntatis motus enecat. Ideoque *cum martyribus coronam perennis gloriae accipiet*, quia viriliter certavit et vicit. Quicunque ergo Superiori, aut etiam inferiori, humiliter obedit et sensum suum alterius sensui libenter subjicit, iste nil perdit, sed cedens alteri amplius lucratur. Omnis, *qui se sic vincit et humiliat, caput superbi Luciferi conculcat*, qui contraria humilitati suadet, ne homo alteri cedat, sed ad argumenta callida se vertat. Cur hoc ? Ne tacendo foris vilescat et quasi fatuus aut inscius appareat, quia se defendere nescit aut superari permittet. *Heu superbia*, quam caeca et fatua semper, quam longe devias a regno Dei, et praecipitanter curris ad portas inferni ! Quanta bona et laudabilia dicta sunt de te, *humilitas sancta, semper obedire parata !* Tibi enim apertae januae coeli, ad videndam gloriosam faciem JESU CHRISTI. Non ergo grave sit, nec indignum videatur, propter Deum obedire homini in licitis et honestis, quando Christus factus est obediens usque ad ignominiam crucis (*Serm.* 7 *ad novit.*). — Si quis obedierit ad omnia sibi injuncta, *praemiabitur cum martyribus*, quorum manus vinculis fuere ligatae et pedes in equuleo suspensi. Cogitare ergo debet bonus obediens frater, quod *proprii corporis non habet potestatem*, sed praelatus, cui propter Deum se resignavit libere, ut eat et faciat, quod ille jusserit, pro animae suae salute. Sic enim *obtinebit cum martyribus patientiae palmam* et aeternae vitae coronam,

Digitized by Google

praestante Domino nostro JESU CHRISTO, regnante in saecula saeculorum. Amen (*Sermonum ad Novit. p.* 2. *serm.* 2).

Christum imitatur et Angelos.

Trithemius : *Monachus, qui pro Dei amore omni obedientiâ se subdit majori*, et in omni loco, tempore, arte cupit super se habere Majorem, sine dubio *Dominum imitatur*, qui factus est obediens Deo Patri usque ad mortem. O quam *vicinus est iste sanctis Angelis*, qui Deo ad nutum in omnibus obediunt ! (*Comment. in c.* 7. *S. Regulae*). — Obedientia est *arbor aeternae salutis*, quae crescit in horto monasticae humilitatis. Obedientia est *Spiritus Sancti domicilium.* Obedientia est *supernae felicitatis meritum*, et unicum monasticae disciplinae documentum. *Obedientia* est elationis et superbiae omnis exterminium, et cunctorum persecutrix vitiorum. *Obedientia* omnem vincit malitiam, et cunctam exstinguit carnis inordinatam voluptatem. *Obedientia* puram et mundam facit conscientiam, et veram in mente conservat humilitatem. *Obedientia* est animae vulneratae remedium, et totius observantiae monasticae fundamentum. *Obedientia* est omnium bonorum operum fidelis custodia, et sincerae mentis disciplina. *Obedientia* est mortificationis principium, et gloriosum monachi ornamentum. *Obedientia* est conservatrix pacis et concordiae, sine quâ vigor perit monasticae disciplinae. *Obedientia* mentis aciem ad Deum semper dirigit, et qui vere mortificatus est animo, cuncta hujus mundi solatia contemnit. *Obedientia* monachum facit Deo proximum, et a cunctis animae sordibus alienum. *Obedientia* est animae decor, et indumentum pulchritudinis, sine quâ nemo ad regnum perveniet aeternae claritatis. *Obedientia* est mater victoriae, et qui novit pro Dei honore subesse humiliter, martyrii coronam in coelis consequetur. *Obedientia* monachum discernit a saeculo, et qui eam sequitur in toto corde suo, magnus erit coram Altissimo. *Obedientia* est christianae perfectionis consummatio, in cujus humili ergasterio, quanto monachus amplius profecerit, tanto sanctior evadit. *Obedientia* est certa horae mortis securitas, quoniam tanto monachus hinc migraturus evolabit securior, quanto fuit ad

Excelsum obedientiae praeconium.

Digitized by Google

obedientiam mandatorum paratior. *Obedientia* est remuneratrix humilium, et praecipuum insigne meritorum. *Obedientia* est norma christianae mansuetudinis, et fortissimum internae nutrimentum caritatis. *Obedientia* est castitatis umbraculum, et innocentiae, puritatisque ornamentum. *Obedientia* est monachorum sapientia, et acquiescere mandatis praelatorum summa claustralium philosophia. *Obedientia* et humilitas monachorum sunt opes atque divitiae ; et memoriam Dominicae Passionis in mente jugiter possidere super omnes mundi epulas dulcedo est maxima. *Obedientia* monachum facit et humilitas ; qui autem rebellis est et superbus, habitum sine causâ portat monasticum. *Obedientia* est in mente vivâ membrorum voluntaria mortificatio, cujus tantum est dignitatis meritum, ut homo nihil habeat majus, quod sit in Dei honorem offerendum. Offerat unusquisque pro Dei amore, quod potest ; ille proculdubio *plus omnibus obtulit, qui voluntatem propriam propter Deum per obedientiam mactavit.* Magnum quidem est bonum, facultates suas propter Christi amorem in usus pauperum distribuere et inopiam egentium eleemosynis relevare. Verum quantum parti praeponderat totum, quanto necessitate nobilius est liberum voluntatis arbitrium, quantum a terrâ distat coelum, tanto magis ille obtulit, qui semetipsum pro Dei amore spontaneâ voluntate perpetuo abnegavit. Quidquid enim substantiae temporalis obtuleris Deo, non tuum sed alienum est, et minoris, quam proprium, tam aestimationis quam mercedis. *Unum habes proprium, quod super omnia Deo placet oblatum.* Quid hoc nisi *voluntas libera*, quam omnipotens Creator in tuâ potestate collocavit ? Voluntas autem bona cunctis est major divitiis, quâ nihil offertur Deo ditius, nihil consecratur acceptius (*Hom.* 20 *de verâ obed. Monachor.*).

Fons malorum voluntas propria.

S. Ephrem : Quanto quis *propriam voluntatem* rescindit atque submittit, tanto amplius proficit. Quanto autem quis in voluntate suâ propriâ persistit obstinatior, tanto majorem sibi injuriam detrimentumque acquirit (*De vita spir. c.* 12*; tom.* 1, *p.* 261).

Digitized by Google

S. Anselmus : *Propria voluntas*, quia Dei voluntati non subjicitur, sed supra eam extollitur, ob hoc recte *superbia* dicitur. Sicut *corona soli regi competit*, sic *propria voluntas soli Deo.* Et sicut regem aliquem inhonoraret, qui suam coronam ei auferret ; sic homo inhonorat Deum, qui aufert ei *propriae voluntatis privilegium*, habendo quod ille debet habere solum. Sed sicut *propria voluntas Dei* fons est et origo totius boni, ita *propria voluntas hominis*, totius est exordium mali. — *Omnia vitia* in familiâ propriae voluntatis exsistunt.... et illi velut cuidam dominae obediunt (*Similitud. c.* 7, 8, 36. *apud Eadmer. P. L.* 159, 607 *et* 618).

Monachi est, eam mortificare.

Cassianus : Multis experimentis edocti tradunt, *monachum* ne voluptatem quidem concupiscentiae suae refrenare posse, nisi prius *mortificare per obedientiam suas* didicerit *voluntates.* Ideoque pronuntiant.... nec in coenobio diutius permanere eum posse, qui prius voluntates suas non didicerit superare (*De coenob. inst. l. c.* 8. *P. L.* 49, 160).

Est arx diaboli.

S. Dorotheus, mon. (*Saec.* VI) : Cum perstamus *in voluntate nostrâ*, tunc *fortior est diabolus*, tunc magis nocet, tunc amplius operatur, tunc sub praetextu boni nobis magis insidiamur, nec novimus, quomodo ipsi pereamus. — Quomodo *Dei voluntatem* vel cognoscere, vel quaerere possumus, cum nobis ipsis credimus, cum *propriam voluntatem* in cunctis sequimur ? — Interitus est *justitia cum voluntate propriâ commixta*, summum periculum, maximus pavor ; tunc omnino periclitatur, imo perit infelix. Quis enim valeat huic persuadere, ut credat, qui per se videns, quid praestet, quid magis utile sit, maxime tamen adducitur, ut *propriae voluntati* inhaereat ? (*Doctr.* 5. *n.* 1. *P. Gr.* 88, 1675).

Onus est et tyrannus.

S. Petrus Dam. : Nullum aliud *onus* est gravius homini, quam homo ipse. Quis enim *tyrannus* crudelior, quae saevior potestas homini, quam hominis ipsius *propria voluntas ?* — Hoc proprium *propria voluntas* habet, ut quo obediens obedientior fuerit sibi, eo amplius eum crudelioribus vinculis internectat. Sola diligitur, cum sola digna sit

Digitized by Google

odio, principium iniquitatis, mortis infusio, destructio magna virtutum (*Serm.* 9. *de S. Benedicto. P. L.* 144, 549).

S. Bernardus : Rogo et obsecro vos, fratres, *fugite angulos propriae voluntatis !* (*Serm.* 1. *in Dom.* 6. *p. Pent. n.* 3. *P. L.* 183, 338). — Nihil sic *spiritum discretionis exstinguit*, quomodo voluntas propria, subvertens corda hominum et rationis oculos claudens (*Serm.* 2. *Paschae n.* 8. *ibid.* 286). — In corde *duplex est lepra, propria voluntas* et *proprium consilium ;* lepra utraque nimis pessima eoque pernitiosior, quo magis interior.... Cesset voluntas propria, et *infernus* non erit.... *Crudelis* plane et omnino exsecranda malitia, *fera pessima*, rapacissima *lupa*, et *leaena* saevissima, voluntas propria (*Sermo* 3. *Paschae n.* 3. *ibid.* 289). — Caveamus a propriâ voluntate, tanquam a *viperâ* pessimâ et nequissimâ (*Serm.* 11. *de div. n.* 3. *ibid.* 571). — Totius *humilitatis summa* in eo videtur consistere, *si voluntas nostra subjecta* sit voluntati divinae (*Serm. de divers.* 26. *n.* 2. *ibid.* 610). — *Via peccatorum* est propria voluntas (*Serm.* 72. *de div. n.* 3. *ibid.* 693). — *Propria voluntas* naturae docet non parcere, rationi non acquiescere, non obtemperare seniorum consilio vel exemplo, non obedire praelato (*Serm.* 19. *sup. Cant. n.* 7. *ibid.* 866). — Unde sunt scandala, unde turbatio, nisi quod *propriam* sequimur *voluntatem* (*Serm.* 26. *de divers. n.* 3. *ibid.* 611).

Est lepra, fera pessima, vipera, via peccatorum.

Hugo a S. Charo, Card. : Clauduntur oculi eorum, qui *voluntatem propriam* sequuntur (*Sup. Genes. c.* 3. *v.* 7). — *Hostis noster* est propria voluntas, ad quam expugnandam mittit Dominus contumelias, ignominias, persecutiones (*Sup. Eccl. c.* 9. *v.* 17).

Obcaecat et infestat.

S. Laurent. Justin. : *Voluntas propria* est peccatorum origo, criminum fomes, et omnium malorum incentivum. Nemo sine eâ corruit ; nullus cum ipsâ stetit (*De ligno vitae Tract.* 6. *de Obed. c.* 1). — Gravissimum a se *onus* rejecit, qui suam repulit voluntatem ; propria enim voluntas *Deo semper inimicatur.* Semper *procax* est, *effrenata* in locutione, *incomposita* in moribus, *inordinata* in affectionibus, *ignara sui*, et a proximi *dilectione aliena* (*De discipl. monast. convers.*

Malorum origo.

Digitized by Google

c. 7). — Nihil sic humilitati adversari cognoscitur, sicut *propriae voluntatis* ambitiosa libido (*De humil. c.* 19). — *Propriâ voluntate* nil arbitrandum est esse deterius, nihilque illâ homini perniciosius (*De obed. c.* 27).

Eâ nihil pejus in monacho nec pretiosior oblatio.

Trithemius: Monachus, qui non dimisit *propriam voluntatem*, non est, quod dicitur, imo irritator Dei est. — *Primum instrumentum monachi* est *abdicatio propriae voluntatis*, sine quo nullus monachus est. — Quisquis Deo offerre sacrificium acceptabile voluerit, nihil pretiosius *propriâ voluntate* habebit. — Damnabile in monacho est, si adhuc propriam non desinit perficere voluntatem. — *Nihil pejus in monacho*, quam semel relictam resumere voluntatem (*Sup. Prolog. Reg. S. Benedict. c.* 2). — Nihil *detestabilius in monacho* reperitur propriâ voluntate ; quippe alterius, non suo, regendus est imperio, et subesse venit, non praeesse (*In. c.* 3. *Reg. S. Benedict.*). — Valde magnum est, nec quidquam Deo offerre homo pretiosius potest, quam si *propriam voluntatem* ob ejus amorem derelinquit (*In c.* 4. *instr.* 59. *Reg. S. Bened.*). — Nihil adeo corrumpit hominem, quam *voluntas propria* (*In. c.* 7. *grad.* 1. *Reg. S. Ben.*). — Offerat unusquisque pro Dei amore, quod potest ; ille procul dubio plus omnibus obtulit, qui *voluntatem propriam* mactavit (*Lib.* 1. *Hom.* 20, *ad mon.*).

S. Joan. Climacus: Humilis corde *suam voluntatem* semper tanquam deceptricem exsecratur... Crux est et grave onus humili, quando sibi credere cogitur ; uti superbo, quando alterius sententiae stare jubetur (*Scal. parad. grad.* 25. *P. Gr.* 88, 999).

S. Bernardus: Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit (*Ep.* 87. *n.* 7. *P. L.* 182, 215).

Obedientia invincibilem reddit et securum.

S. Joan Climac.: Quemadmodum arbores a ventis agitatae altiores radices agunt, ita qui sub obedientiâ decertant, *fortes* et *invincibiles* redduntur.... — Qui seipsum sincerâ et purâ conscientiâ perfectissime religiosi patris obedientiae subjecit, mortem deinceps *intrepidus* velut somnum seu potius vitam quotidie exspectat, certus, in excessu vitae

Digitized by Google

non a se, sed a praeside suo rationem exactum iri.... Qui animam religiose mortificaverit (obedientiâ), de omnibus sese defendet (*Scal. parad. grad.* 4. *P. Gr.* 88, 729 *et* 706 *et* 679).

S. Petrus Dam.: *Primus ille parens* acceperat in praecepto, ut voluntatem Creatoris praeponeret suae ; sed usus, imo abusus propriâ voluntate, cum beare se voluit, perdidit semetipsum. Depulsus ergo homo ab illâ felici haereditate, exilium sortitus est pro patriâ, mortem pro vitâ, pro gloriâ ignominiam. Si vis ergo tu ad tuam haereditatem reverti, tuam abnega voluntatem.... *Abnegatio* igitur *voluntatis, haereditatis est recuperatio* (*Serm.* 47. *de exalt. S. Crucis P. L.* 144, 764).

S. Laurent. Justin. : « *Obedite praepositis vestris... ipsi enim invigilant quasi rationem reddituri* » (*Hebr.* 13, 17)... Optimum sane consilium, super aliorum humeros onera propria imponere, et alterum pro seipso apud Deum instituere debitorem (*De obed. c.* 12).

S. Obedientia mater et custos virtutum.

S. Augustinus : Obedientia est virtus, quae in creaturâ rationabili *mater* quodammodo est omnium *custosque virtutum* (*De civit. Dei l.* 14. *c.* 12. *P. L.* 41, 420).

S. Gregorius M. : Sola virtus est *obedientia*, quae virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit (*Moral. l.* 35, *c.* 14. *n.* 28. *P. L.* 76, 765).

Expedit obedire.

S. Hieronymus : Mihi placet, ut habeas sanctorum contubernium, ne ipse te doceas, ne absque ductore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es (*Ep.* 125. *n.* 9. *P. L.* 22, 1077). — *Bonum est obedire* majoribus, parere perfectis, et post regulas Scripturarum vitae suae tramitem ab aliis discere, nec praeceptori uti pessimo, scilicet praesumptione suâ (*Ep.* 130. *n.* 17, *ibid.* 1121).

S. Vincentius Ferrer. O. Pr. († 1419): Christus, sine quo nihil possumus, nunquam suam gratiam ministrabit illi, qui cum habeat, qui eum ducat in viâ perfectionis, negligit ductum ejus. *Obedientia via est regia*, quae homines inoffenso pede ducit *ad summum scalae*, in quâ Dominus apparet innixus (*In tract. de vit. spirit.*).

Digitized by Google

Pacem parat et fiduciam.

Imit. Christi : Curre huc vel illuc, non invenies *quietem*, nisi in humili subjectione sub Praelati regimine. — Multo tutius est stare in subjectione, quam in praelaturâ (*L.* 1. *c.* 9).

S. Obedientia palmaris virtus. S. Obedientiae meritum.

S. Basilius : *Obedientiae* major merces, quam abstinentiae virtuti tribuitur (*Serm. ascetic.* 2. *n.* 2. *P. Gr.* 31, 883).

Cassianus : *Obedientiae virtutem* non solum operi manuum seu lectioni vel silentio et quieti cellae, verum etiam *cunctis virtutibus* ita *praeferunt;* ut huic judicent omnia postponenda et universa dispendia subire contenti sint, dummodo hoc bonum in nullo violasse videantur (*De coenob. instit. l.* 4. *c.* 12. *P. L.* 49, 165).

S. Petrus Dam. : Solis *obedientibus aeterna salus* haereditario jure debetur (*Serm.* 9. *de s. Bened. P. L.* 144, 549).

Haeften.: Consideremus, melius esse facere, quod agendum praecipitur, quam quod in manibus habetur et obedientiae intuitu praetermittitur. Si enim *Dei vocem in Superioris voce* aut signo communi agnoscas, quis dubitet *melius* tum esse, *omisso quod agebas, huic obedire?* Illo enim instanti ita actus ille imponitur, ut alium Superior a te non requirat, quantumvis ille ex objecto esset melior. Possunt siquidem ac *debent meliora ex objecto intermitti pro minus bonis, Superiore imperante;* nobilitatur enim hic actus ab obedientiâ, quae melior est, quam victimae (*Disquis. monast. l.* 6. *tract.* 4. *disqu.* 8).

Cornelius a Lap.: Religio in se melior majorque est virtus, quam sit obedientia. *Obedientia* tamen dicitur *melior*, quia magis necessaria et in praxi praeponenda religioni. Quod enim Deus jussit, hocabsolute faciendum est Eique obediendum; actus vero religionis, ut victimae et sacrificia, sunt liberi; quare obedientiae cedant oportet (*Comment. in* 1. *Reg. c.* 15, 22).

S. Obedientia Deum praesentem habet.

S. Gregorius M. : Longe *altioris est apud Deum meriti*, propriam voluntatem alienae semper voluntati subjicere, quam magnis jejuniis corpus atterere aut per

Digitized by Google

compunctionem se in secretiori sacrificio mactare,... quia, qui perfecte praeceptoris sui voluntatem implere didicit, in coelesti regno et abstinentibus et flentibus excellit (*In I Regum. l.* 6. *c.* 2. *n.* 23. *P. L.* 79, 431).

S. Bernardus : Si in die jejunii mei inveniatur voluntas mea, non tale jejunium eligit Dominus *nec sapit Illi jejunium meum, quod non lilium obedientiae, sed vitium voluntatis propriae, sapit.* Ego autem non solum de jejunio, sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremo *de omni observantiâ monachi*, ubi invenitur voluntas sua in eâ, et non *obedientia* magistri sui, idipsum sentio; minime prorsus observantias illas, etsi bonas in se, inter virtutes censuerim deputandas (*In Cantic. Serm.* 71. *n.* 14. *P. L.* 183, 1128).

S. Thomas Aqu. : Quaecunque *virtutum opera ex hoc meritoria* sunt apud Deum, *quod fiunt, ut obediatur voluntati Divinae.* Nam si quis etiam martyrium sustineret, nisi haec ordinaret ad impletionem Divinae voluntatis, quod directe ad obedientiam pertinet, meritoria esse non possent (*II. II. qu.* 104. *a.* 3).

Thomas a Kemp. : Revera, fratres, *si quis obedierit* aut servierit fratri propter Deum, hic *exhibet Deo maximum in suâ subjectione honorem*, et habebit in fine Christum sui laboris praemium ac sanctae servitutis remuneratorem, ita dicentem : « *Quod uni de his fratribus Meis minimis fecistis, Mihi fecistis.* » Sine obedientiâ namque et fraternâ caritate aut parva aut nulla sunt opera nostra. Cum humili vero obedientiâ *placent Deo etiam vilia et parva obsequia*, fratribus impensa. Verus et perfectus obediens non tardat vocatus, non se excusat occupatus aut fatigatus; timet enim Dei incurrere offensam, si non sequitur jubentis vocem, secundum suam possibilitatem. Sive ergo obediens orat vel laborat, sive legit aut scribit, sive tacet aut loquitur, sive vigilat aut quiescit, sive comedit aut jejunat, *omnia* ipsi *in bonum ex merito s. obedientiae computantur.* Nam in omnibus actis suis faciendis vel dimittendis aeque bene meretur, si seipsum

Digitized by Google

intus plene resignat, si in his beneplacitum et honorem Dei veraciter quaerit et intendit (*P.* 1. *serm.* 7 *ad Novit.*). — Cum studiosus lector Scripturarum aut diligens scriptor librorum vocatus, codicem claudit et pennam de manu ponit, et ad sonum campanae pulsantis statim surgit et ad chorum vadit aut ad communem laborem conventûs incunctanter properat, tunc *novi flores in horto cordis* ejus per gratiam Spiritûs s. *cum fructibus obedientiae incipiunt oriri, dilatari et magnificari*, et ipsi ad *maximum meritum* et pulchriorem coronae ornatum computabuntur (*P.* 3. *serm. ad Novit. n.* 16).

S. Obedientia Deum praesentem habet.

S. Basilius M. : Ut *faber* ferrarius quandocumque dolabram aliquam sive asciam cudit, assidue illius memor sit, unde instrumentum illud faciendum ex pacto acceperit, et praescriptam ab illo sibi formam et magnitudinem animo versat, ad ejus voluntatem, qui condixit opus, dirigit quod facit..., sic *Christianus*, si *actiones* suas omnes, sive majores sive minores, *ad Dei voluntatem direxerit*, is sine controversiâ et egregie illud opus perficit et assiduam in animo sibi *memoriam conservat, a quo id jussus est facere.* Et vere illud dicere poterit (*Ps.* 15) : « *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear* (*In regul. fus.* 5 *P. Gr.* 31, 922).

S. Bernardus : Obedientia est virtus, quae animam perfecte Deo subditam, sub umbrâ alarum Ipsius secure facit vivere (*Serm.* 64. *de divers. n.* 2. *P. L.* 183, 687).

Admirabile J. Christi exemplum.

S. Basilius : Usque ad quem modum obedire oporteat, qui placendi Deo regulam implere cupit, hoc Apostolus ostendit, ubi nobis obedientiam Domini, qui « *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,* » ita proposuit, ut praemiserit illud : « *Hoc autem sentite in vobis quod et in Christo* JESU » (*Reg. brev.* 116. *P. Gr.* 31, 1167).

S. Hildegardis, Abbat. († 1179) A Deo audivit haec verba : O ipse *fortissimus populus Meus*, cum in eis afflictionem illam attendo, quam *Filius Meus* in carne suâ passus est, quoniam et *ipsi secundum mortem Illius moriun-*

Digitized by Google

tur, quum, voluntatem suam deserentes et propter vitam aeternam magisterio se subjicientes, secundum imperium praelatorum suorum gradiuntur (*Scivias l.* 2. *Visio.* 5. *P. L.* 197, 487).

S. Bernardus: Est sane quidam obedientiae limes secundum tempus, ipsa temporis extremitas, ut is sit *terminus obedientiae, qui et vitae.* Hunc nobis maxime Unigeniti Dei commendat exemplum, qui factus est Patri « *obediens usque ad mortem* » (*De praecept. et disp. c.* 6. *P. L.* 182, 868). — Disce, homo, obedire; disce, terra, subdi; disce, pulvis, obtemperare! De Auctore tuo loquens Evangelista: « *Et erat*, inquit, *subditus illis ;* » haud dubium, quin Mariae et Joseph. *Deus se humiliat, et tu te exaltas ?* Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te praeponis Auctori ? Utinam mihi aliquando, tale aliquid cogitanti, Deus respondere dignetur, quod suo increpando respondit Apostolo: « *Vade*, inquit, *post me, satana ; quia non sapis, quae Dei sunt* » (*Hom.* 1. *sup. Missus. n.* 8. *P. L.* 183, 60).

Obedientia JESU *et Mariae.*

Thom. a Kemp. : *Christus* reliquit templum et doctores legis, et obedivit Matri et Joseph, sicut bonus filius *subditus parentibus suis*, ad exemplum omnibus religiosis (*Pars* 1. *Serm.* 7). — O felix et venerabilis obedientia, quam praedicavit et servavit JESUS CHRISTUS, Dominus noster, aeterna Patris sapientia, dicens: « *Quia descendi de coelo, non ut faciam voluntatem Meam, sed Ejus, qui misit Me.* » Et cum iret ad locum Passionis, ita oravit cum abnegatione propriae voluntatis: « *Pater, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas Tua.* » Hanc etiam promptissime exhibuit et plenissime expressit beatissima mater JESU, virgo *Maria*, his verbis dicens ad Angelum: « *Ecce ancilla Domini ; fiat mihi secundum verbum tuum.* » Sic decet omnino, sic debet niti facere et etiam dicere bonus subditus coram praelato suo cum humilitate ac reverentiâ: « Ecce, pater, sicut dicitis et consulitis, ita libenter faciam pro viribus meis! » (*Opusc.* 6. *c.* 4. *n.* 4).

Digitized by Google

In Vita Patrum : Dixit Abbas *Hyperichius : Ministerium Monachi est obedientia.* Quam qui possidet, quod poscit, exaudietur et cum fiduciâ Crucifixo astabit. Etiam *Dominus* sic venit ad crucem, *factus* scilicet *obediens usque ad mortem* (*L.* 5. *libell.* 14. *n.* 11. *P. L.* 73, 950).

Bernhardus, Abb. Montis Cass. et Card. (✠ 1282): *Sicut ovis, quae deputata est occisioni,* ad hoc nutritur, ad hoc pascitur, ad hoc conservatur, ut postmodum occidatur, *sic et monachus* ab aliis aestimatur et in se debet aestimare, quod non ob aliud pascatur in refectorio, non ob aliud serviatur in infirmitorio, non ad aliud conservetur in claustro, nisi ut sit *Christi hostia, Christi victima,* et *sub obedientiae gladio moriatur* (*Commentar. in Reg. S. Bened. c.* 7. *P. L.* 66, 387).

Trithemius : « *Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus* » per obedientiam videlicet, ut non faciam jam, quod ego volo, sed quod jusserit Abbas, Vicarius Christi. *Christus* enim, *a quo Christiani dicimur,* eo quod Ipsum sequi debeamus, *Suo nos exemplo Superioribus nostris docuit obedire,* cum diceret in Evangelio : « *Non veni facere voluntatem Meam, sed Ejus, qui Me misit.* » Et ne putares, Eum hoc solum voluisse et non fecisse, quasi affectum obediendi expressisset et non operationem ; audi, quid aperte dicat in agoniâ constitutus ad Patrem : « *Pater, si fieri potest, transeat a Me calix iste. Verumtamen non sicut Ego volo, sed ut Tu.* » Et iterum : « *Si potest transire calix iste, nisi bibam eum, fiat voluntas Tua.* » Et ne hoc parum existimes in fine, audi, quid fecerit vitae praesentis principio, « *Et erat,* inquit Evangelista, *subditus parentibus.* » Si Creator omnium et Redemptor noster, Christus, factus est, non solum Patri obediens, sed etiam hominibus propter nos, quid miseri respondebimus nos, qui obedire contemnimus hominibus, quos nobis Deus praefecit ? Obedivit Deus inferiori, et homo contemnit obedire aequali (*Comment. in c.* 7. *Regul. S. Bened.*).

Christus speculum s. obedientiae.

Haeften.: « *Aspiciamus in auctorem fidei et consummatorem* JESUM, *qui factus est obtemperantibus sibi causa salutis*

Digitized by Google

aeternae, » qui in monte Calvariae universo orbi *splendidissimum obedientiae exemplar* exhibuit, eligens potius, vitam amittere, quam obedientiam. Quamvis autem nemini dubium sit, quin *in hoc illustrissimo typo duodecim illi gradus* et multo plures, quam nostra tenuitas assequi possit, inveniantur perfectiones, juverit tamen per hanc obedientiae viam gradientes, impressa Salvatoris sui in singulis gradibus intueri vestigia eademque subsequi, quamvis non passibus aequis. Nam *S. Benedictus hanc ipsam Christi obedientiam non semel proponit imitandam.* Primus gradus est, omni obedientiâ se subdere Majori; quod erga Patrem coelestem, de quo Christus : « *Pater major Me est,* » ipsum observasse notissimum est. Minoribus etiam obedivit, tam Mariae et Joseph, de quo scribitur : « *Et erat subditus illis,* » quam impiis judicibus et tortoribus. Paruit in re difficillimâ et paene impossibili: « *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,* » vitae simul et honoris prodigus. Obedientia proinde Deum pati, vitam fecit mori, et honore spoliavit Eum, qui erat splendor paternae gloriae, gloriâ et honore coronatus. Nemo tam exacte ad omne opus Superioris obedientiam quaesivit, quam Christus Patris, qui ait : « *Ego, quae placita sunt Ei, facio semper.* » Et : « *Sicut mandatum dedit Mihi Pater, sic facio.* » Obedivit sine morâ, quia in primo puncto incarnationis suae habuit Christus actum intellectûs, quo Dei voluntatem cognovit, simulque voluntatis, obedientiae et oblationis, quo se, vitam et mortem suam, Deo in pretium pro nostrâ salute obtulit, eâque voluntate sanctificati sumus. Quae veritas elicitur ex illis Apostoli verbis : « *Ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi ; holocaustomata pro peccato Tibi non placuerunt. Tunc dixi : Ecce venio.* » Incoepit proinde obedientia Christi cum ipso principio vitae ejus, et jam tum « *exultavit ut gigas ad currendam* » duram illam et difficilem nostrae redemptionis *viam.* Propriam abnegavit voluntatem, qui dixit : « *Non veni facere voluntatem meam, sed Ejus, qui misit Me.* » Idemque : « *Non Mea voluntas, sed*

Digitized by Google

Tua fiat. » Proprium abnegavit judicium, qui, decreto de suâ incarnatione in Concilio SS. Trinitatis facto, per omnia acquievit, illique se in singulis exactissime conformavit. Quod colligitur ex Prophetâ, in personâ Christi dicente : « *Dominus Deus aperuit mihi aurem ; Ego autem non contradico, retrorsum non abii.* » Cujus sensus est : Cum Deus initio conceptionis Meae Mihi aures aperuit hoc est, revelavit Suam voluntatem et mandatum de oeconomiâ incarnationis, Mihique ostenderet, quae vellet Me agere et pati, Ego non contradixi. Docet autem *S. Thomas*, quod Christus, secundum voluntatem, quae est per modum rationis, semper idem voluerit, quod Deus. Atque etiam, ut hîc explicat *Suarez*, propter eandem rationem, ob quam volebat Deus, cujus voluntati non solum in volito formali, sed et materiali voluntas Ejus conformis erat. Pulchre proinde *Bernardus : Quam beatus*, inquit, *qui ait : Dominus Deus aperuit mihi aurem, et ego non contradico, retrorsum non abii !* Ubi et voluntariae habes obedientiae formam et longanimitatis exemplum. Qui enim non contradicit, spontaneus est, et qui retro non abiit, perseverat. Utrumque necessarium, quoniam « *hilarem datorem diligit Deus ;* » et « *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* » Quam humiliter obedierit Christus, Apostolus testatur ; « *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* » In quo simul habemus, quam patienter obedierit. Quis enim graviora unquam pro obedientiâ passus est ? Quis majori animi tranquillitate, voluntate et patientiâ ? « *Et quidem, cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam,* » i. e. obedientiam novo et exactiore modo expertus est in Passione, quam in totâ reliquâ vitâ suâ, quid scilicet sit obedire, quam difficile et arduum sit, in omnibus se submittere. Quam vero intrepide obedientiam Patris exsecutus est ? « *Oblatus est, quia Ipse voluit.* » Et Ipse sponte hostibus suis, a quibus se sciebat capiendum, obviam ivit, interrogans, quem quaererent, atque ita tradidit dilectam animam Suam in manus inimicorum. Et Ipse dixit : « *Nemo tollit animam, sed Ego*

Digitized by Google

pono eam. » Ab obedientiâ Ipsius abfuit tepor, adfuit dilectionis fervor, quem ita expressit : « *Baptismo habeo baptizari et quomodo coarctor, usque dum perficiatur ?* » Atque iterum : « *Desiderio desideravi, hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar !* » Hilaritatem probant ista : « *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Ejus, qui misit Me, ut perficiam opus Ejus.* » Tam delectabile Mihi est, obedire Patri, et opus redemptionis perficere, quam famelico solet esse cibus. Et quia hilaritati opponit S. Benedictus obedire cum murmure aut responso nolentis, longissime ab eo fuit Salvator, de quo dixerat Propheta : « *Sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum* » (*Disquis. monast. tract. 2. disqu. 4*).

Obedientia secundum Regulam S. Benedicti.

S. Birgittam Christus Dominus sic allocutus est : Ille est *monachus Benedicti*, qui plus obedit Regulae, quam carni (*Revel l. 4. c. 127*).

S. Bernardus : Bonus quidem obedientiae gradus est, si *juxta Magistri nostri* (*S. Benedicti*) *sententiam*, propter metum gehennae, seu propter professionem sanctam, quam professus est quispiam, obedieris ! Melior tamen, cum *ex Dei amore* obeditur. Illa quippe obedientia necessitatis est, ista caritatis (*De praecept. et dispens. c. 7. n. 16 P. L. 182, 870*).

Trithemius : Certe isti sunt gradus, quibus obedientia Deo acceptabilis et hominibus dulcis redditur, sicut *SS. P. N. Benedictus* insinuat dicens : « *Obedientia tunc Deo acceptabilis erit,* » quoad meriti remunerationem, « *et dulcis hominibus,* » quoad boni exempli aedificationem, « *si quod jubetur,* » ab Abbate vel Priore, « *non trepide,* » i. e. dubitative vel timide, « *non tarde,* » i. e. non pigre, quia pigritia in opere, tarditatem indicat in corde, « *non tepide,* » i. e. non desidiose, non lente sed viriliter, « *impleatur,* » et expedite (*Comm. in c. 5. l. Reg.*).

Obedientia sit fide animata.

S. Basilius M. : *Praefectus* nihil aliud est nisi is, qui *personam Servatoris sustinet*, cum et Dei hominumque

Digitized by Google

factus sit mediator, et Deo offerat salutem eorum, qui sibi parent (*Const. mon. c.* 22. *n.* 4. *P. Gr.* 31, 1407).

Cassianus: Sic universa complere, quaecumque fuerint a Superiore *praecepta, tanquam a Deo sint coelitus edita*, sine ullâ discussione festinant (monachi Aegyptii), ut nonnunquam etiam impossibilia, sibimet imperata, eâ *fide ac devotione* suscipiant, ut totâ virtute ac sine ullâ cordis haesitatione ea perficere et consumere nitantur et ne impossibilitatem quidem praecepti pro Senioris reverentiâ metiantur (*L.* 4. *c.* 10. *P. L.* 49, 762)

S. Joan. Climacus: Senem (sc. noviter conversum) cum post duriorem humiliationem interrogarem, quid cogitasset? *Christi*, inquit, *imaginem Pastori imposui, neque ab illo hoc penitus praeceptum exiisse, sed a Deo existimavi;* quare, o Pater Joannes, non coram mensâ hominum, sed *coram altari divino me putans astare*, orabam, nullamque penitus malignam cogitationem adversus Pastorem admittebam pro *sinceriâ in illum fide meâ et caritate* (*Scalâ Parad. grad.* 4. *P. Gr.* 88, 691).

S. Genebaldus, Episc. Laudun. (*Laon; saec. VI*): Etiamsi Christus veniret, non facerem hoc, nisi diceret *Superior* meus Remigius; quippe cum obedientiâ sui Superioris meritum non deesset, in apparitione vero Christi error aut fraus poterat subesse (*Vita n.* 6. *ap. Boll. t.* 2. *sept.*).

S. Guilelmus, Abb. Hirsaug. (✠ 1091): Omnis obedientiae nostrae caput et magistrum, utpote *Christi vice positum, Abbatem credimus* (*Praefatio in l.* 2. *Constit. Hirsaug. P. L.* 150, 1037).

Per Abbatem Deus te regit.

S. Bernardus: Sive Deus sive *homo vicarius Dei*, mandatum quodcunque tradiderit, pari profecto obsequendum est curâ, pari reverentiâ deferendum. — Quamobrem, *quidquid vice Dei praecipit* homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si praecipiat Deus. Quid enim interest, utrum per Se, an per Suos ministros, sive homines sive Angelos, hominibus innotescat Suum placitum? — Deus Praelatos Sibi aequare

Digitized by Google

quodammodo in utrâque parte dignatus, Sibimet imputat illorum et reverentiam et contemptum, specialiter contestans eis: « *Qui vos audit, Me audit; et qui vos spernit, Me spernit.* » Annon denique hoc ipsum et regula nostra perhibet, ubi ait : *Obedientia, quae majoribus praebetur, Deo exhibetur?* (*De praec. et dispens. c.* 9. *n.* 19 *et* 21. *P. L.* 182, 871). — Non te moveat magister imperitus, indiscreta potestas; sed memento, quia non est potestas nisi a Deo, et qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit... Communis est ista obedientia inter Deum et hominem, quia, quidquid obedientiae praelatis exhibetur, Ei exhibetur, qui dicit : « *Qui vos audit, Me audit.* » (*Serm.* 41 *n.* 3. *P. L.* 183, 655).

S. Thomas Aquin. : Oportuit autem in rebus naturalibus, ut *superiora moveant inferiora* ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis collatae divinitus. Unde etiam oportet in rebus humanis, quod *Superiores moveant inferiores per suam voluntatem ex vi voluntatis divinitus ordinatae.* Movere autem per rationem et voluntatem est praecipere; et ideo, sicut ex ipso ordine naturali divinitus instituto, inferiora necesse est habeant subdi motioni Superiorum, ita etiam in rebus humanis *ex ordine juris naturalis et divini* tenentur inferiores suis Superioribus obedire (*II. II. qu.* 104. *art.* 1).

S. Bonaventura : Ut melius valeas esse obediens, cogita semper, quando *vox praecipientis* sonat in auribus tuis, quod vocem istam non tanquam ab homine audias, sed *tanquam ab Ipso Deo* (*Coll. l.* 8). — Ipsi *Rectores* nostri sunt *vicarii Dei super nos.* Et ideo debemus eis, sicut Domino, obedire, et non sicut hominibus; quia non propter ipsos, sed propter Deum eis subjacemus (*Tract. de interiori homine c.* 2). – Quidquid *vice Dei praecipit* homo, quod non scit tamen certum displicere Deo, hoc animo sic accipiendum est, *quasi praecipiat Deus* (*Specul. p.* 1. *c.* 4).

V. Ludov. Blosius : Certe tibi persuade, Ipsum *Dominum Deum tuum suâ aeternâ sapientiâ ac bonitate illos Praelatos*, quos habes, in eo, quem agressus es, statu, *tibi*

Digitized by Google

praedestinasse et providisse, ac per eos potius, quam per alios suam gratiam tibi praestare velle (*Instit. Spirit. append. c.* 8).

S. Ignatius de Loyolâ : Expedit imprimis ad profectum et valde necessarium est, ut omnes *perfectae obedientiae* se dedant. *Superiorem, quicunque ille sit, loco Christi Domini nostri agnoscentes* et *internâ reverentiâ* et *amore* eum prosequentes, nec solum in exsecutione externâ eorum, quae injungit, *integre, prompte, fortiter*, et *cum humilitate* debitâ, sine excusationibus et obmurmurationibus obediant, licet difficilia et secundum sensualitatem repugnantia jubeat ; verum etiam conentur, *interius resignationem et veram abnegationem propriae voluntatis et judicii habere ;* voluntatem ac judicium suum cum eo, quod Superior vult et sentit in omnibus rebus, ubi peccatum non cerneretur, omnino conformantes, propositâ sibi voluntate ac judicio Superioris pro regulâ suae voluntatis et judicii, quo exactius conformentur primae ac summae regulae omnis bonae voluntatis et judicii, quae est aeterna bonitas et sapientia. — *Omnes obedientiam plurimum observare, et in eâ excellere studeant ;* nec solum in rebus obligatoriis, sed etiam in aliis, licet nihil aliud, quam signum voluntatis Superioris, sine ullo expresso praecepto videretur. Versari autem debet *ob oculos Deus Creator ac Dominus noster*, propter quem homini obedientia praestatur; et ut *in spiritu amoris* et non cum perturbatione timoris procedatur, curandum est (*Reg.* 41. *p.* 3. *c.* 1. § 23. — *Reg.* 33. *Sum.*).

Joan. Lanspergius, Carthus. (✠ 1534), *Christum loquentem inducit* : Ne respicias ad hominem, quia *Meâ tibi ordinatione est Superior.* Quam ineptus quamve idoneus sit, non advertas; nec penses, an doctus illiteratusve sit, praestans an vilis, sed hoc tantum respicias, quod *Meâ tibi providentiâ datus est Superior, per quem Ego te regere volo*, et in quo Me tu debes consulere et audire. Itaque hanc providentiam Meam attende, quâ non minus per simplicem quam eruditum, imo per quemcunque volo, te regere et Mihi subjicere cupio (*Verba Domini in epist.* Jesu *Christo*).

Digitized by Google

Suarez S. J. (✝ 1617) : Primum statuendum est, ex vi hujus voti (sc. obedientiae) tantum homini parendum esse, seu Deo per hominem praecipienti. *Deus est persona, cui fit votum; praelatus* autem ponitur ut *persona, cui vice Dei obediendum* est ex voto... Ita enim intellexerunt et interpretati sunt hanc obedientiam omnes institutores Religionum; eademque est intentio profitentium illam (*T.* 7 *de relig. l.* 10. *c.* 11. *n.* 2).

S. Obedientia sub virgae specie.

Eusebius Nieremberg, S. J. (✝ 1658) : *Obedientia* est tanquam *virga pastoralis Dei, quâ rationales oves*, homines, inquam, qui ut jumenta et pecora facti sunt apud Eum, *gubernat et in salutaria pascua deducit.* Ipsa etiam est *nobis pro virgâ et scipione*, ut securi et fulti peragamus hujus salebrosae vitae itinera. *Nos* quoque ipsi, ut perfecte eam exerceamus, non aliter tractari permittamus, quam *baculus et virga in hominis manu.* Quâpropter sub hâc virgae specie tota obedientiae doctrina commode repraesentatur, ut eam spectantes possimus cum sancto *Jeremia* (*c.* 1) dicere : « *Virgam vigilantem ego video.* » Quam virgam pro obedientiae normâ interpretabimur. Et primum quidem sic considerare debemus obedientiam tanquam *instrumentum divinae providentiae*, per quod salutem nostram operari decrevit. Velut enim *pastor sibilo et baculo utitur*, ut oves custodiat, abigat et reducat, sic Deus obedientiâ nostrâ et voce Superiorum utitur, ut nos custodiat, servet a periculis, avocet a malis et deducat ad gloriam. Ipse Deus, qui creavit nos ad aeternam felicitatem, media quoque ejus consequendae singulis per *obedientiam* providit, cui si aliquis non obsisteret, praedestinatus credi debet. Quare *Superiores eorumque jussa* sic respicere oportet tanquam *media salutis nostrae*, tanquam virgam pastoralem Dei, tanquam inspirationes coeli, tanquam sibilum magni Pastoris providentis suis ovibus, tanquam oracula sancta (*Doctr. asc. pandect. l.* 5. *c.* 47).

Obedientia sit simplex et humilis.

S. Hieronymus : *Nulla ars absque magisterio discitur.* Etiam muta animalia et ferarum greges ductores

Digitized by Google

sequuntur suos. In *apibus* principes sunt ; *grues* unam sequuntur ordine literato. Praepositum monasterii timeas ut Dominum, diligas ut Patrem.... Credas tibi salutare, quidquid monasterii praepositus praeceperit ; *nec de Majorum sententiâ judices*, cujus officii est obedire et implere, quae jussa sunt, dicente Moyse : « *Audi Israël et tace* » (*Ep.* 125. *n.* 15. *P. L.* 22, 1080).

Cassianus : Cum omnes artes et disciplinae humano ingenio repertae, et quae nihil amplius, quam vitae hujus temporariae commodis prosunt, licet manu palpari queant et oculis pervideri, recte tamen a quoquam sine instituentis doctrinâ nequeant comprehendi ; quam ineptum est credere, hanc solam (nempe *artem perfectionis*) non *egere doctore*, quae et invisibilis et occulta est, et quae nonnisi corde purissimo pervidetur, cujus error non temporale damnum, nec quod facile reparetur, sed animae perditionem parit mortemque perpetuam (*Coliat. l.* 2. *c.* 11. *P. L.* 49, 541.)— *Stultum te* secundum Apostoli sententiam (1 *Cor.* 3) *facias* in hoc mundo, ut sis sapiens ; nihil scilicet discernens, *nihil dijudicans ex his, quae tibi fuerint imperata ; sed cum omni simplicitate ac fide obedientiam semper exhibeas*, illud tantummodo sanctum, illud utile, illud sapiens esse judicans, quidquid tibi vel lex Dei vel Senioris examen indixerit. Tali enim institutione fundatus, sub hâc disciplinâ poteris durare perpetuo, et de coenobio nullis tentationibus inimici, nullis factionibus devolveris (*De coenob. inst. l.* 4. *c.* 41. *ibid.* 200).

S. Joan. Climacus : *Obedientia est inexaminatus atque indiscussus motus*, spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, tuta navigatio, confectum dormiendo iter. *Obedientia* est sepulcrum voluntatis ; nihil resistit, nihil discernit monachus, in bonis aut iis, quae videntur mala. *Obedientia* est discretionis depositio inter divitias discretionis. Cum pietatis et obedientiae studium fucrimus ingressi, minime jam institutorem nostrum in aliquo penitus dijudicare licet (*Scala parad. gr.* 4. *P. Gr.* 88, 41 *et* 43).

Digitized by Google

S. Gregorius M. : *Vera obedientia nec* praepositorum *intentionem discutit nec praecepta discernit...* Qui obedientiae bonum exsequitur, non injunctum opus debet considerare, sed fructum (*In* 1 *Reg. l.* 2. *c.* 4. *n.* 11. *P. L.* 79, 131).

S. Basilius M. : Potestatem sui ipsius ne ad punctum quidem temporis habere monachus debet, per quam in privatis ipse negotiis suis versetur. Quemadmodum enim, absente artifice, *instrumentum suâ sponte ipsum non moveretur, neque membrum,* vel ad brevissimum tempus ab aliquo separari moverive posset sine ejus, qui intus est, opificis ac totius corporis moderatoris voluntate ; similiter quoque neque Religionis observanti aliquid agere exsequive sine Antistitis sui sententiâ licet. Quod si causam afferat ac dicat, se prae imbecillitate corporis exsequendis imperatis parem esse non posse, infirmitatem suam Antistiti judicandam permittet ; et seipsum ad ea, quae sibi imperata sunt, exsequenda adhortabitur, secum reputans illud Scripturae : « *Nondum enim usque ad sanguinem resistitis,* » adversus peccatum repugnantes (*Const. monast. c.* 27. *P. Gr.* 31, 1418). — *Quemadmodum pastori suo oves obtemperant* et viam, quamcunque ille vult, ingrediuntur ; *sic, qui ex Deo pietatis cultores* sunt, moderatoribus suis obsequi debent, *nihil omnino illorum jussa curiosius perscrutantes,* quando libera sunt a peccato, contraque ea summâ animi alacritate summoque studio conficere. Quemadmodum enim *faber aedificatorve singulis artis instrumentis pro arbitrio utitur* suo, neque unquam ullum inventum est instrumentum, quod ad quemcunque ille usum voluisset, non se facile tractandum praebuerit ac moderatoris manui cesserit ; ita quoque convenit verum pietatis cultorem, perinde ut instrumentum quoddam, utile opifici ad complendam spiritualem fabricam, omnibus in rebus parere, in quibus, ut operam suam navet, rectum esse Antistes judicarit, ne, si id facere recusaverit, impedimento sit, quominus spirituale opus compleatur. Et ut *instrumentum non sibi ipsi deligit, quod faciendum* est ad artem juvandam ; eodem modo pietatis cultorem quoque

Digitized by Google

nequaquam convenit ipsum esse, qui sibi judicio suo opus deligat, sed gubernationem sui debet artificis prudentiae consilioque concedere. Novit enim, qui modo intelligens moderator est, uniuscujusque mores et affectus et animi motus diligenter exquirere et ad haec accommodatum etiam in singulis remedium adhibere. Quocirca nullo modo ejus statutis adversandum, sed illud firmissimum tenendum, rem omnium esse difficillimam seipsum cognoscere et curare, propterea quod naturaliter seipsum quisque amat et quilibet propterea, quod in seipsos propensi sunt, in veritatis judicio fallantur. Porro ab alio cognosci curarique facile est, cum iis, qui ceteros judicant, ad discernendam veritatem nequaquam obstet amor sui ipsorum (*Constit. Monast. c.* 22. *n.* 5. *ibid.* 1410). — *Obedientia* adversus magistros suos conservanda, siquidem hoc totius vitae hujus instituti caput est. *Quemadmodum* enim *Deus, qui omnium Pater est*, et appellari suâ solius vult dignatione, summam, a quibus colitur, *obedientiam requirit, sic, qui spiritualis in hominibus Pater* est, cum praescripta sua ad divinarum legum exempla commodat, perfectissimam ipse quoque obedientiam requirit (*Constit. Monast. c.* 19. *ibid.* 1387).

Humbertus, Gener. Ord. Pr. († 1277): Ut *obedientia* coram Deo sit acceptabilis, *studete, habere promptam* sine dilatione, *simplicem* sine discussione, *ordinatam* sine deviatione, *jucundam* sine turbatione, *strenuam* sine pusillanimitate, *universalem* sine exceptione, *perseverantem* sine cessatione. — Quâpropter, dilectissimi, *sitis sicut aurum ductile* et *quasi virga flexibilis*, quae recta et curva redditur ad libitum artificis. Sitis *sicut rota volubilis*, quae secundum impetum spiritus movetur ; sitis *ut jumentum apud Deum*, cujus dorso onus indifferenter quodlibet imponatur. — *Simplex* sit obedientia vestra, fratres, ut injuncta sine discussione facientes, indicetis, de vestro nec minimum vos habere. Nam *quisquis intentionem praecipientis judicat*, bellum intrinsecus parat ; per hoc enim, quod causas mandatorum, quas ignorat, discutit, in labyrinthum errorum sese ponit (*Ep. in tria vota c.* 4. ; - *c.* 5 ; - *c.* 8).

Digitized by Google

S. Bernardus: « *Domine, quid me vis facere?* » O verbum breve, sed plenum, sed vivum, sed efficax, sed dignum omni acceptione! *Quam pauci inveniuntur in* hâc *perfectae obedientiae formâ*, qui suam ita abjecerint voluntatem, ut ne ipsum quidem cor proprium habeant, ut non, quid ipsi, sed quid Dominus velit, omni horâ requirant, dicentes sine intermissione: « *Domine, quid me vis facere?* » Et illud Samuelis: « *Loquere, Domine; quia audit servus tuus.* » Heu, plures habemus Evangelici illius caeci, quam novi Apostoli imitatores. « *Quid vis,* » ait Dominus ad caecum illum, « *ut faciam tibi?* » Quanta est miseratio tua, Domine, quanta dignatio tua? Siccine Dominus quaerit, ut servi faciat voluntatem? Vere caecus ille, quia non consideravit, non expavit, non exclamavit: Absit hoc, Domine! Tu magis, dic, quid me facere velis. Sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam a Te, sed a me Tuam quaeri et fieri voluntatem. Videtis, fratres, quia vere necessaria erat hoc in loco *conversio?* Sic profecto, sic multorum usque hodie pusillanimitas et perversitas exigit, ut ab eis quaeri oporteat: « *Quid vis ut faciam tibi?* » non ipsi quaerant: « *Domine, quid me vis facere?* » Considerare necesse habent ministri et vicarii Christi, quod sibi praecipi velint; non ipsi considerant, quae voluntas sit praeceptoris. Non est *obedientia* eorum plena; non in omnibus parati sunt obsequi; non per omnia sequi proposuerunt Eum, qui non Suam, sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt et dijudicant eligentes, in quibus obediant imperanti, imo in quibus praeceptorem suum ipsorum obedire necesse sit voluntati. Hujusmodi itaque, etsi tolerari se videant et condescendi ac morem geri infirmitati suae, proficiant, obsecro, pudeatque semper parvulos inveniri, ne quando forte audiant: « *Quid debui vobis facere et non feci?* » et abutentibus patientiâ et benignitate Praelati fiat tandem multitudo exhibitae miserationis cumulus justae damnationis. « *Domine, quid me vis facere?* » ait Apostolus. Et Dominus ad illum: « *Surge et ingredere civitatem; ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* » O sapientia, suaviter vere universa

Obedientia simplex et humilis.

Digitized by Google

disponens! Eum, cui Tu loqueris, erudiendum de voluntate Tuâ mittis ad hominem, ut socialis vitae commendetur utilitas et edoctus per hominem discat et ipse secundum datam sibi gratiam hominibus subvenire. « *Ingredere civitatem.* » Videtis, fratres, non sine divino consilio factum esse, ut hanc civitatem Domini virtutum ingrederemini, divinam discere voluntatem. Plane, qui te salubriter terruit et convertit cor tuum ad desiderandam voluntatem suam, Ipse tibi dixit : « *Surge et ingredere civitatem.* » Sed audi, quam manifeste in his, quae sequuntur, voluntaria *simplicitas* et christiana commendatur mansuetudo. « *Apertis oculis, nihil videbat ; ad manus autem trahebatur ab his, qui comitabantur eum.* » *Felix caecitas*, quâ male quondam illuminati in praevaricatione, tandem in conversione oculi salubriter excaecantur! (*Serm.* 1. *in convers. S. Pauli n.* 6 *et* 7. *P. L.* 183, 363). — Porro *imperfecti cordis* et infirmae prorsus voluntatis *indicium est, statuta Seniorum studiosius discutere*, haerere ad singula, quae injunguntur, exigere de quibusque rationem et male suspicari de omni praecepto, cujus causa latuerit, nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit, quod forte libuerit aut quod non aliter licere seu expedire monstraverit vel aperta ratio vel indubitata auctoritas. *Delicata satis, imo nimis molesta est hujuscemodi obedientia.* Non plane haec illa est, quae ex Regulâ traditur « *obedientia sine morâ.* » Disputare, profecto hoc est : in astutiâ cordis, non *in auditu auris obedire* » (*De praecept. et dispens. c.* 10. *n.* 23. *P. L.* 182, 874).

Petrus Blesensis : *Species contumaciae est, de modo mandati inquirere, haesitare, discernere* aut *differre.* In contractu enim obedientiae non habet disputatio aut disceptatio locum ; nam si in discussionem seu suspicionem ea, quae tibi sunt mandata, deduxeris, *ad lignum scientiae boni et mali manum praevaricationis extendis.* Nimis delicata est haec obedientia, transiens in deliberativum genus causae. Non est hoc « *in auditu auris* » obedire ; non est haec regularis obedientia sine morâ, sed astutia tergiversatrix et

Digitized by Google

aperta superbia (*Ep.* 131. *P. L.* 207, 389). *Sine omni delectu, sine omni exceptione faciat* Regulae professor, quod injungitur sibi. Quid vero, vel quale, vel quantum sit, quod injungitur, non discernat; alioquin *praesumit comedere de ligno scientiae boni et mali.* Censura enim discretionis est penes *Patrem spiritalem, qui omnia dijudicat et ipse a nemine judicatur.* Nihil ergo discernat; sit indiscretus, ut intelligat; sit stultus, ut sapiat! (*Ep.* 134. *ibid.* 401).

Imit. Christi: Quid magnum, si tu, qui pulvis es et nihil, propter Deum te homini subdis, quando *Ego Omnipotens et Altissimus, qui cuncta creavi ex nihilo, Me homini propter te humiliter subjeci?* Factus sum omnium humillimus et infimus, ut tuam superbiam Meâ humilitate vinceres. Disce obtemperare, pulvis; disce te humiliare, terra et limus, et sub omnium pedibus incurvare. Disce voluntates tuas frangere et ad omnem subjectionem te dare. Exardesce contra te, nec patiaris tumorem in te vivere; sed *ita subjectum et parvulum te exhibe, ut omnes super te ambulare possint et sicut lutum platearum conculcare.* Quid habes, homo inanis, conqueri? Quid, sordide peccator, potes contradicere exprobrantibus tibi, qui toties Deum offendisti et infernum multoties meruisti? Sed pepercit tibi oculus Meus, quia pretiosa fuit anima tua in conspectu Meo; ut cognosceres dilectionem Meamet gratus semper beneficiis Meis existeres, et ut ad veram subjectionem et humilitatem te jugiter dares patienterque proprium contemptum ferres (*Verba Domini in l.* 3. *c.* 13).

S. Franciscus Assis.: *Tolle corpus exanime et, ubi placuerit, pone.* Videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod si statuatur in cathedrâ, non alta, sed ima respiciet; si collocetur in purpurâ, pallescet. *Sic verus obediens est,* qui, cur moveatur non dijudicat, ubi locetur non curat; ubi transmutetur non instat. Evectus ad officium, solitam tenet humilitatem; plus reputat se indignum (*Vita ejusd. a S. Bonav. scripta. c.* 6. *n.* 77. *ap. Boll. t.* 2. *oct.*).

Digitized by Google

Obedientia prompta sit, expedita, velox.

S. Basilius M. : Quo affectu ei, qui ad mandatum conficiendum urget, auscultandum est ? *Affectu tali, quali puer, fame victus, nutrici* ad sumendum cibum advocanti *obsequitur ;* quali etiam homo quilibet, qui victum quaerens, res ad vitam necessarias largienti obedit. Imo vero longe etiam majore, quanto scilicet vita aeterna praesenti praestantior est. Nam « *Mandatum Dei,* » inquit Dominus, « *vita aeterna est* » (*Joan.* 12, 50). Quod autem in pane comestura est, id in mandato est operis exsecutio, dicente iterum Domino Ipso: « *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Ejus,* « *qui misit Me ; Patris* » (*Joan.* 4, 34). (*Regul. brev.* 166. *P. Gr.* 31, 1191).

Cassianus : (*Aegyptii monachi*) considentes intra cubilia sua et operi ac meditationi pariter intendentes, cum *sonitum* pulsantis ostium aut diversorum cellulas percutientis audierint, ad orationem eos scilicet seu ad opus aliquod invitantis, *certatim e cubilibus suis unusquisque prorumpit,* ita ut, qui opus scriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoasse literam, finire non audeat, sed in eodem puncto, quo ad aures ejus sonitus pulsantis advenerit, *summâ velocitate* prosiliens, ne tantum quidem morae interponat, quantum coepti apicis consummet effigiem, sed *imperfectas literae lineas derelinquens,* non tam operis compendia lucrave sectetur, quam obedientiae virtutem exsequi toto studio atque aemulatione festinet (*De coenob. instit. l.* 4. *c.* 12. *P. L.* 49, 164).

Regula cujusdam : Oportet unumquemque *ad primam vocem* invitantis assurgere, *velut carbo ignis ardentis ascendisset super eum.* Si autem obedientia haec non fuerit, quam dicimus, mortua est et non acceptabilis apud Deum (*c.* 29. *P. L.* 66, 993).

S. Aurelianus, Ep. Arelat. (✠ 545) : Signo facto omne opus praetermittatur ; et, *sicut apes prudentissimae ad alvearium,* ita veloci festinatione properare contendite (*Regul. c.* 30. *P. L.* 68, 391).

S. Bernardus : Velociter currit sermo Dei et velocem habere desiderat sequentem. Vides, quantâ velocitate currat

Digitized by Google

ille, qui dicit: « *Viam mandatorum tuorum cucurri.* » *Fidelis obediens nescit moras*, fugit crastinum, ignorat tarditatem, praevenit praecipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. Vide Dominum festinanter praecipientem, et hominem festinanter obedientem. « *Zachaee,* » inquit, « *festinans descende; quia hodie in domo « tuâ oportet Me manere; et festinans descendit et accepit « Eum gaudens* » (*Serm.* 41. *de. divers. n.* 7. *P. L.* 183, 657).

S. Thom. Aqu. : Obedientia reddit *promptam* hominis voluntatem ad exsequendam voluntatem alterius, scilicet praecipientis (*II. II. q.* 104. *art.* 2).

S. Ignatius de Loyolâ : Signo campanae constitutis horis audito, omnes statim *vel imperfectâ literâ* ad id, ad quod vocantur, se conferant (*Reg.* 14. *comm. Societ.*).

Perfecta obedientia.

S. Fulgentius, Ep. Ruspens. (✝ 533) dicebat : Illi sunt monachi, qui, mortificatis voluntatibus suis, parati sunt *nihil velle, nihil nolle*, sed Abbatis tantummodo consilia vel praecepta servare (*Vita ejusd. c.* 27. *n.* 57. *ap. Boll. t.* 1. *Jan.*).

Balduinus, Abb. et Archiep. Cantuar. (✝ 1190) : *Obedientiam usque ad mortem requirit a nobis sanguis Christi*, qui pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia Ejus, h. e., *ut moriamur et commoriamur Ei;* vicissitudinem pro vicissitudine et mortem pro morte exigit a nobis. O rem mirandam! O stupendam! Inde obligamur usque ad mortem obnoxii, unde per mortem dimittimur a morte liberi. Inde debitum mortis contrahitur, unde debitum mortis absolvitur. Jam ergo ex novâ causâ *debitores mortis* sumus, quamvis ex veteri culpâ, nihilominus ex novâ gratiâ... *Pretiosa mors Sanctorum per mortem Christi* est quaedam gratiarum actio et vicissitudinis nonnulla vicissitudo; haec autem similitudo mortis *obedientia est usque ad mortem* (*L. de sacr. Altaris. P. L.* 204, 685).

S. Bernardus : *Perfecta obedientia* legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis,

Digitized by Google

largiori voluntate *fertur in latitudinem caritatis*, et ad omne, quod injungitur, spontaneâ vigore liberalis alacrisque animi modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur (*De praecept. et dispens. c.* 7. *n.* 16 *et c.* 6. *n.* 12. *P. L.* 182, 870). — Nihil plus, nihil minus, nihil aliter, quam imperatum sit, faciatis (*Serm.* 3. *in Circumcis. n.* 11. *P. L.* 183, 142). — Vis audire perfectae obedientiae formam? « *Vidit Dominus,* » ait Evangelista, « *Petrum et Andream mittentes rete in mare, et ait illis : Venite post Me, faciam vos fieri piscatores hominum... At illi continuo* » nihil dijudicantes aut haesitantes, non solliciti, unde viverent, non considerantes, quonam modo rudes homines et sine literis praedicatores fieri possent, nihil denique interrogantes, sine omni morâ, « *relictis retibus et navi, secuti sunt Eum.* » Agnoscite, fratres, quoniam propter vos singulis annis in Ecclesiâ recitantur haec ut, discentes verae obedientiae formam, castigetis corda vestra in obedientiâ caritatis (*Serm.* 2 *de S. Andreâ. n.* 2. *ibid.* 509).

S. Thomas Aqu. : *Obedientia perfecta* est, secundum quam subditus simpliciter obedit, in omnibus, quae non sunt contraria legi divinae vel Regulae, quam est professus (*Commen. in l.* 2. *dist.* 44. *q.* 2. *art.* 3. *in Corp.*).

S. Basilius M. : Oportet ascetam *viliora opera ingenti alacritate ac studio suscipere*, scientem nihil omnino parvum esse, quod Dei causa fiat, sed magnum et spirituale et coelo dignum et ejusmodi, quod mercedem illinc accessuram nobis conciliet. *Etsi* igitur *oneraria jumenta*, quae communibus commodis inserviunt, *sequi oportet*, reluctandum non est, cum *meminisse Apostolorum debeat, quam alacriter Domino pullum adducere jubenti obediverint*, cogitareque, eos etiam, quorum causâ nos jumentorum curam suscipimus, fratres Servatoris esse, benevolentiamque et studium in ipsos collatum referri ad Dominum, qui dixit : « *Quatenus fecistis uni ex his fratribus Meis minimis, Mihi fecistis.* » Quod si ea, quae fiunt pro minimis, attribuit Sibimetipsi, longe magis, quae fiunt pro electis, ea Sibi vindicabit, modo

Digitized by Google

ne suum ministerium teporis ac desidiae causam putet, sed communiat seipsum in vigilantiâ omni, ut et ipse et qui secum sunt, percipiant utilitatem. Si igitur facienda sunt viliora quaedam opera, scire convenit, *Servatorem quoque ipsum discipulis servivisse abjectaque opera agere dedignatum non fuisse*, et magnum esse homini, si Dei fiat imitator atque per humilia haec in hujus imitationis altitudinem ascendat. Quis autem jam quidquam eorum, quae Deus fecit, humile et abjectum appellarit? (*Constit. Monast. c.* 23. *P. Gr.* 31, 1410).

Alacriter obediendum.

S. Bernardus : Tertius gradus obedientiae est, hilariter obedire, « *non ex tristitiâ,* » inquit Apostolus, « *aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* » Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus multum colorant obedientiam obsequentis. Unde et gentilis ille poëta sic ait : « Super omnia vultus accessere boni. » Quis enim locus obedientiae, ubi tristitiae cernitur aegritudo? Ostendunt plerumque voluntatem animi signa exteriora, et difficile est, ut vultum non mutent, qui mutant voluntatem (*Serm.* 41. *de div. n.* 6. *P. L.* 183, 656).

S. Basilius M. : *Antistitis imperium detrectare*, et verbis adversum jussa ipsius litigare, magno indicio est, eum, qui id faciat, multis vitiis laborare, fidei debilitate, spei ambiguitate, arrogantiâ morum atque superbiâ. Neque enim alterius dicto audiens unquam esse quisquam recusat, nisi prius ipsum sibi consilii auctorem apud se ipsum despexerit; neque qui sibi certâ fide persuasit, vera esse promissa Dei, deque ipsorum spe nihil dubitat, etiamsi laboriosa sint, quae sibi imperentur, *gravate ad illa unquam accedet*, ut qui certo noverit, « *non* » esse « *condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* » (*Rom.* 8). Neque non, cui illud persuasum est, verum esse, quod, *qui se humiliat, exaltabitur*, studio suo imperantis sibi aliquid exspectationem superabit; quippe qui nihil addubitet, quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae,

Digitized by Google

supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operari (Const. monast.). — *Contradictio* plura mala arguit, fidei morbum, dubitationem de spe, fastum ac superbiam morum (*Regul. fus. tract. c.* 28. *n.* 2. *P. Gr.* 31, 990).

Murmurandi vitium.

S. Thomas Aquin. : Omnis remunerator remunerat ea quae sunt remuneratione digna... et ideo non datorem tantum, sed *hilarem datorem diligit Deus*, i. e. approbat et remunerat, et *non tristem et remurmurantem* (*Comm. in ep.* 2. *ad Cor. c.* 9. *l.* 1. *v.* 7).

S. Basilius M. : Repudiandus est labor ille, qui a *murmuratoribus* proficiscitur, non secus ac *victima, cui macula subest* (*Regul. fusius tract.* 29. *P. Gr.* 31, 991).

S. Joan. Chrysost. : Servorum est improborum et insensatorum, *murmurare*. Melius esset, nihil operari, quam cum murmuratione operari ; nam quod factum est, perit.... Gravis est, gravis, inquam, est *murmurator*, et *vicinus blasphemiae* (*Serm.* 8. *sup. Epist. ad Philipp. n.* 2. *P. Gr.* 62, 241).

S. Ephrem, Diac. Edess. († 378) : *Scandalosa est cunctis murmuratio*, caritatem evertit, unionem dissipat, pacem disturbat. — *Murmurator* praecipientibus contradicit, et ad omne opus bonum ineptus atque inutilis est. — *Murmuratori* semper excusationes in promptu sunt. Si quod opus ei agendum injungitur, obmurmurat, ac alios mox etiam pervertit (*Serm. de virtut. et vitiis. c.* 16. *tom.* 1, *p.* 11).

S. Gregorius M. : Qui de his, qui sibi praelati sunt, *murmurant*, non humano, sed ei qui cuncta disponit, *divino ordini contradicunt* (*L.* 22. *Moral. c.* 24. *n.* 56. *P. L.* 76, 249).

S. Bernardus : Is qui impatientiâ suâ et *murmuratione*.... ceteros molestat, nonne manifeste *Christum persequitur* (*Serm.* 1 *de convers. S. Pauli n.* 4. *P. L.* 183, 362).

B. Rhabanus Maurus, Abbas et Archiep. Mogunt. († 856) : *Ignis Domini* justae ultionis in futuro illos excruciat, *qui linguâ inflammatâ a gehennâ murmurant* (*Enarr. in l. Numer. l.* 2. *c.* 6. *P. L.* 108, 654).

B. Alcuinus : *Omnes unum concupiscant et obedientiae*

Digitized by Google

bonum magis *exsequantur*, quam propriae voluntatis affectum. Si Christus suam non venit facere voluntatem, sicut Ipse in Evangelio testatur, sed Patris ; quanto magis monachus suam non debet facere voluntatem, sed Christi, *nec segnis in opere Dei, sed studiosus*, nec tantum considerare quid jubeatur, sed quomodo perficiatur, quod jubetur ; nec ullatenus *murmurationis malum* crescat in aliquibus. Si aliqui ex populo Dei in eremo propter murmurationis periere periculum, quanto magis monachus monasterii spirituali plectetur vindictâ, si murmurationis malo mentem insolescere non metuit. Quapropter *cum gratiarum actione accipiat* quod ei Pastoris cura praeviderit sufficere (*Ep.* 93. *P. L.* 100, 298).

S. Bernardus : Haec (dura et aspera in obedientiae viâ si moleste coeperis sustinere, si dijudicare praelatum, si *murmurari in corde ;* etiamsi exterius impleas quod jubetur, non est haec virtus obedientiae, sed velamentum malitiae (*Serm.* 3 *in Circumcis. Dom. n.* 8. *P. L.* 183, 140). — Vides, quae *Majestas contemnitur ?* Non te putes me solum sprevisse. Dominus locutus est, et quod dixit Prophetae, dixit et Apostolis : « *Qui vos spernit, me spernit.* » Non sum Apostolus, non sum Propheta ; et Prophetae tamen et Apostoli vice fungor, et quibus non aequor meritis, eorum implicor curis. Etsi ad meam confusionem, etsi ad grande periculum mihi, super cathedram Moysi sedeo, cujus tamen non vindico mihi vitam nec experior gratiam (*Serm.* 42 *in Cant. n.* 2. *ibid.* 988). — Necessarium est valde nobis consilium S. Pauli Apostoli dicentis : « *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt,* » in deserto videlicet, « *et perierunt ab exterminatore* » (*Rom.* 10). Igitur periculosum est nobis murmurare, ne forte pereamus ab exterminatore in monasterio, sicut illi perierunt in deserto (*De modo bene viv. ad soror. c.* 47. *n.* 113. *in app. P. L.* 184, 1268).

S. Joan. Chrysost. : Satius est, nihil agere quam *murmurando* agere ; nam et hoc ipsum quod sit perit. An non vides in ipsismet domibus nostris haec nobis semper

Digitized by Google

in ore esse: Satius est isthaec minime fieri, quam obmurmurando fieri? Ac saepe malumus ministerio, quod nobis exhibetur, carere, quam murmurantem ferre (*Hom.* 8. *in. Ep. ad. Philip. n.* 2. *P. Gr.* 62, 240).

S. Columbanus: Si quis *murmuraverit*, et ipse, tanquam non ex voto obediens, inobediens putandus est; idcirco opus ejus abjiciatur (*Reg. c.* 1. *P. L.* 80, 209).

Obedientia sit fortis et constans.

S. Basilius: « *Violentorum est regnum coelorum, et violenti rapiunt illud*»; verba haec Evangelii sunt. Violentiam appellavit corporis afflictationem, quam suâpte sponte sustinent Christi discipuli, dum et voluntatem propriam et corporis quietem rejiciunt, ac omnia Christi praecepta servant. Quocirca si vis rapere Dei regnum, efficiare violentus, cervicem tuam jugo Christi servitutis submitte. Jugum ejus constringe circa collum tuum (*Serm. de renunt. saec. n.* 9. *P. Gr.* 31, 646).

S. Joan. Damascenus, monach. († *circ.* 760): *Monachi* maximo numero in unum coacti unius praefecti atque antistitis, qui omnibus virtute praestat, imperio se ipsos subdunt, ac *voluntatem suam obedientiae mucrone prorsus truncantes* seque *velut emptitia mancipia* ultro reputantes, non jam sibi ipsis vivunt, sed ei, cui ob Christi amorem sese submiserunt (*In vit. SS. Barlaam et Josaph. c.* 12 *P. L.* 73, 490).

S. Bernardus: Si tribulatio intonat; si persecutio resultat; si peccatores tibi laqueum ponunt; si maligni tuum iter impediunt: tu obedientiae viam non deseras, sed dic: « *Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata Tua*» (*Ps.* 118, 60). Quid enim superius enumerata pariunt utilitatis, si *fortitudo* desit, *quae in arce constantiae virtutes collocat* et eo vallo munit, quo furentium impetus aspirare non possit? Manum tuam misisti ad fortia? Agendum est instanter, et *constanter obediendum*; nec inter verborum seu verberum asperitatem tam regalis est semita relinquenda, sed tenaciori est retinenda fervore (*Serm.* 41. *de divers. n.* 8. *P. L.* 183, 657).

Digitized by Google

Trithemius : Obediendum est viriliter; hinc Psalmista ait : *Viriliter agite et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino* (*Comment. in c.* 5. *S. Reg.*).

Obedientia monachi deliciae.

Thom. a Kempis : Discipulis de civitate venientibus, cum ad manducandum hortarentur JESUM, Ipse *obedientiae panem*, qui animam Deo subjectam gratiosissime pascit, ostendit *omni corporali cibo esse praeferendum.* Nullus quippe potus dulcior gratiâ coelesti, quae lavat inquinatum, potat aridum, refrigerat tentatum. *Nec sapidior ullus gustatur cibus, nec pinguior mensa amantis oculis praeponitur*, quam impletio mandati coelestis ; sicut Ipse obedientissimus JESUS effatur : « *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Ejus, qui misit Me.* » Nam inquirere beneplacitum Dei in agendis, super omnia sapit amanti et bene enutrit obedientem discipulum ac *gaudio refovet spirituali propter obedientiae meritum.* Sic *Elias* deserti vasta penetrans, apud se libere commorans, ab Angelo admonitus, surrexit et comedit, et, *dum implet verbum Angeli, ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei.* Ducit enim vera obedientia per brevem laborem ad perfectionis culmen et ad montem quietis aeternae, ubi plena ab omni aestu et labore refectio ac totius beatitudinis possessio in praesentiâ Patris et Filii Ejus JESU CHRISTI cum fruitione Spiritus Sancti, Amen (*Medit.* 19. *n.* 5). — *Obediens semper in gaudio est*, et magnam fiduciam in Deo habet, cujus voluntatem perficere omni tempore cupit ; a quo praemium sine fine recipere cum electis non dubitat, corde et ore decantans : « *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum,* » et iterum : « *Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua* » (*P.* 1. *serm.* 7. *ad novit.*).

Trithemius : Qui alterius regitur imperio et sponte suâ deserit voluntatem propter Deum, reddit Deo, quod accepit, et insuper *gaudet, se Domini esse servum, cui servire regnare est*, et hoc non ad tempus vel annos, sed usque in sempiternum (*Comment. in c.* 5. *S. Reg.*).

Digitized by Google

Inventor Religionis, Christus, a summo coelorum Abbate missus.

Hugo de Folieto : *Inventor nostri Ordinis missus fuit a claustro Summi Abbatis*, a sinu videlicet Dei Patris. Venit in hunc mundum, induit humilitatis habitum, induit vestem carnis ; *vocavit peccatores ad claustrum perfectae religionis.* Praemisit gratiam, proposuit misericordiam, promisit veniam. *Collegit conventum, constituit numerum*, duodecim scilicet *Apostolos*, et *discipulos* complures quasi conversos. — Sicut Superior ad laborem ceteros praecedit et eos post laborem ad quietem claustri reducit ; sic *Christus* post hujus mundi laborem suos deducet ad requiem divinae contemplationis. — Et *qui secuti sunt Eum ad laborem, sequentur ad requiem.* Cum Ipso erunt *in claustro perfectae beatitudinis* et fruentur dulcedine divinae contemplationis. In libro vitae legent, floribus amoenitatis perpetuae delectati. Sub umbrâ ligni vitae, quasi sub umbrâ divinae protectionis quiescent. « *Haec requies mea in saeculum saeculi ; hic habitabo, quoniam elegi eam* » (*Ps.* 131.) (*De claustro animae l.* 4. *c.* 43. *P. L.* 176, 1181).

Digitized by Google

Sextum Elementum.

Opera caritatis seu zelus erga animas.

Caritas in Deum et in proximum—Dilectio proximi pars imitationis Christi — Ordinata esse debet — Caritas erga fratres infirmos, moribundos, defunctos — Caritas erga cognatos, pauperes, hospites — Literarum vel artium monumenta — Opera apostolicae caritatis — Sacerdotii fecunditas — Zelus animarum — Praedicandi munus — Conversio gentium — Puerorum educatio — Salva sit semper disciplina monastica — Monachus vir Dei — Pugnas Domini decernit — Mira ordinis monastici facta.

Declaratio.

Caritas perfectio Religionis.

Monastica, quam professus es, morum conversio, ut fundatur fide, confirmatur spe, ita perficitur **caritate**. "*Fides, spes, caritas, tria haec; major autem horum est caritas*" (1 Cor. 13, 13). Fides radix est ac principium, spes tanquam stipes vel via; at caritas quasi fructuosum arboris caput et gratiae consummatio. Jure igitur vinculum praedicatur perfectionis, regularum regula, finis praecepti ac plenitudo legis. Quae quidem infusa animi virtus, imo virtutum summa et caput, ut in dies amplificetur, dilatetur ac perficiatur, is finis est omnis vitae monasticae seu Religionis.

Digitized by Google

Duplex caritatis ratio.

Est autem duplex caritatis ratio: "*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in totâ animâ tuâ et in totâ mente tuâ. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet*" (Matth. 22, 37-39), etiam tota lex monastica. Primum illud mandatum, quo moneris, ut **Deum**, qui caritas est, perfectâ diligas caritate, in praemissis declarationibus breviter enucleavimus. Nam claustralis tua vita, in opere Dei ac sanctâ paupertate, mortificatione, obedientiâ perpetuo transigenda, ad quid aliud spectat, nisi ut expeditius puriusque summum complectaris bonum, impedimentis plerisque, quae caritati obstant, remotis et adjumentis fere innumeris exhibitis? Sane te, carissime frater, Dominus compellat dicens: "*Mandatum hoc, quod Ego praecipio tibi, non supra te est neque procul positum*" (Deut. 30, 11). Et tu amore inflammatus dulcissimo subjicis: "*Adhaesit anima mea post Te*" (Ps. 62, 9). Jam igitur reliquum est, ut de secundo mandato pauca dicamus. Quod quidem "*simile est*", imo prope idem ac primum. Nam, qui Deum amat, quidni amabit eum, quem Deus amat? Deus autem omnium hominum quum Creator Paterque tum caput est ac Redemptor, ita ut Ipsum in illis Deum ac Dominum tuum quaeras

Perfecta Dei dilectio.

Deus in proximo diligendus.

Digitized by Google

et ames. Itaque caritas proprie fons dicitur, norma, ratio ac finis dilectionis **proximi.** Nihil omnino amori Dei et Christi praeponendum, imo vero omnis amor ab illo derivandus in eumque est tibi revocandus. Porro incarnatus Deus, quoniam, ut homo, pro hominibus pretiosissimo suo sanguine fuso morti Se tradidit, adorandum atque incomparabile exemplum proposuit, unde intelligas, haud exiguam imitationis Christi partem in eo consistere, ut proximum ex intimis diligas visceribus. Ipse enim: "*In hoc*, inquit, *cognoscent omnes, quia discipuli Mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*" (Joan. 13, 35); "*Hoc est praeceptum Meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*" (15, 12). Quare, ut conformis fias imaginis Filii Dei, a tuo hoc disce Magistro Eumque Ducem sequere, Dominum JESUM CHRISTUM induens, qui te in finem, imo sine fine dilexit. Etenim: "*Nos scimus, quoniam translati sumus de morte* (peccati ac saeculi) *ad vitam* (gratiae et claustri), *quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte... Quoniam* (incarnatus) *Deus animam suam pro nobis posuit,*" profecto "*et nos debemus pro fratribus animas ponere*" (1 Joan. 3, 14, 16). Ergo caritas, ut in Deum, ita in proximum perfecta JESU sequela est tuaque cum Eo, ut ita dicam, integra incorporatio, quâ non tu es, qui vivis, sed Christus vivit in te.

Dilectio proximi est pars imitationis Christi.

Digitized by Google

Ardens sit cor tuum.

Quae quum sic se habeant, "*nonne cor*" tuum "*ardens*" erit câdem illâ amoris flammâ, quâ amantissimus Sese Sponsus tuus in arâ Crucis pro te confici passus est? Solâ hâc duplici caritate omnis tua et constituitur et stabilitur perfectio; quippe quâ in te et per te Deus Pater coelestis omnia sit in omnibus. Propterea omnes sine exceptione homines ama, sicut oculos tuos, "*sicut te ipsum*," non amicos tantum, verum etiam inimicos. Cunctis benevolentissime pateat cor tuum, "*nec*" sit "*qui se abscondat a calore ejus*" (Ps. 18, 7), ita ut solis instar sit, qui benignis lucis suae radiis collustrat igneque suo fovet universum orbem. Omnia plane omnibus opera misericordiae vel corporalis vel spiritualis impertiendi cupiditate debes flagrare, memor Sponsi tui admonentis: "*Pone Me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio, lampades ejus lampades ignis atque flammarum*" (Cant. 8, 6).

Divinitus tibi ordinata caritas.

Verum Idem Sponsus tuus "*ordinavit in*" te "*caritatem*" (Cant. 2, 4). Proinde rectum, quem tibi disposuit, diligendi ordinem ne contemnas neve exsequi omittas. Principatum igitur amoris tui obtineant post Deum **monasticae,** in quam receptus es, **familiae** membra, Pater spiritualis fratrumque corona. Quos quidem

Digitized by Google

tibi ex gravissimis justitiae ac pietatis rationibus unice cordi esse debere, satis jam demonstratum est.

Caritas erga infirmos fratres.

Unum hoc restat, ut, quae officia **infirmis** aegrotisve fratribus praestare te oporteat, perstringamus. Vix aliud quidquam SS. Pater noster aeque suis inculcavit filiis, ac studiosissimam infirmorum curam. Divino quidem consilio provisum est, ut aegrotatio filiis Dei mirum auxilium praestet ad animam purgandam coelumque versus dirigendam. Etenim qui morbo afficitur, quasi in probaticam demissus piscinam, quum langueat corpore, animum gratiae undis recreatum facile sentiet. Ac profecto coelestem nactus est thesaurum, quicumque infirmâ valetudine castigatur, egregiamque occasionem virtutum exercitio sua cumulandi merita amplioremque mercedem acquirendi. Nec tamen minus constat, atrocissimis et corporis doloribus et angoribus animi aegrotum cruciari ita quidem, ut haud raro "*laboret in gemitu suo lacrymisque stratum riget*" (Ps. 6, 7). Ipse igitur non modo, qui infirmarius est in monasterio constitutus, verum et tu, quisquis es, omnibus debes partibus subvenire, sive vigiliae exigantur sive alia caritatis pietatisque officia. Nam infirmus frater tuus electum est Christi membrum illustremque Ejus speciem reddit. In societatem accipitur

Aegrotationis utilitas et molestia.

Maxima aegrotus caritate pietateque prosequendus.

Digitized by Google

Frater in extremâ adjuvandus est agoniâ.

Passionis Domini, ita ut lectus ejus sacrosanctum Calvariae theatrum proponat. Quo fit, ut cum sanctâ accedere reverentiâ ac religione debeas, Ipsum in infirmo JESUM et adorans et omni gratiâ, studio, caritate complectens. Nunc fratri vinum, nunc oleum infundas, prout necesse est, ejus animam vel confortare vel suaviter exhilarare. Tanquam Angelus custos semper illi praesto sis ac veluti officiosissimus amicus. Ingravescente autem morbo etiam tuum mirifice adaugeas fraternitatis studium, praesertim si imminet suprema cum morte luctatio, in quâ quidem anima maximis pressa angustiis ingemiscit: "*Formido mortis cecidit super me, timor et tremor venerunt super me et contexerunt me tenebrae* (Ps. 54, 5-6). *Factus sum sicut homo sine adjutorio. Omnes fluctus tuos, Domine, induxisti super me; terrores tui conturbaverunt me, circumdederunt me ut aqua totâ die* (Ps. 87, 5, 8, 17 sq.). *Non est sanitas in carne meâ a facie irae Tuae; non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Fac, ne quando supergaudeant mihi inimici mei* (Ps. 37, 4, 17); *dum dicunt mihi: Ubi est Deus tuus?*" (Ps. 42, 11). Profecto tum in summum discrimen salutis frater tuus incidit et in extremam cum hoste antiquo decertationem. Agedum, opem fer periclitanti, adesto in pugnâ socius, afflictum fratris animum confirmans, allevans, conso-

Digitized by Google

lans, auxiliis omnibus precibusque muniens. Et si tandem Dominus, tot fratrum annuens supplicationibus, victoriam concesserit animaeque vitâ functae obvenerit judex misericors, etiam ultra sepulcrum piam amantissimi animi curam ne remittas, donec frater e purgatorio ereptus tanquam columba in coelum volet et in aeternum triumphans ad pedes Sponsi speciosissimi requiescat. Sed haec hactenus.

Ne in defunctum quidem caritas remittenda.

Jam ad ea accedamus caritatis opera, quae erga *reliquos homines* monacho exercenda sunt. Inter quos, ut ordo fert caritatis, primum habent locum parentes, benefactores, amici, omnes denique, quibuscum te propinquitatis piique officii vinculum junxerit. Verum quidem est, te, divinitus vocatum, reliquisse omnia, "*fratres, sorores, patrem, matrem*" (Matth. 19, 29) et Abrahae instar egressum esse "*de terrâ tuâ et de cognatione tuâ et de domo patris tui*" (Gen. 12, 1). Ac peraeque verum est, illud ad te pertinere eloquium: "*Qui amat patrem aut matrem plus quam Me, non est Me dignus*" (Matth. 10, 37). Quisquis igitur, quamvis de te meritus, tuae adversatur saluti ac vocationi, sancto tibi odio certe fugiendus est, quia: "*Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei*" (Luc. 9, 62). Ex quo sequitur, neminem, ne propinquissimum quidem, licere tibi, ita immoderato vel

Caritatis opera.

Pius in parentes ac propinquos animus.

Discretus sit in monacho et sanctus.

Digitized by Google

pure naturali amoris affectu prosequi, ut Domino, cui mancipatus es, praeferatur. At quo manifestius hoc patet, eo diligentius tibi curandum est, ut caritas tua, in Spiritu Dei sanctificata, confirmata atque aucta, ne illis desit, quibus aliquo pii gratique animi vinculo obstrictus teneris. Ideo, quantam potes, operam adhibe, ut cognatis vel amicis partem specialem tribuas precum tuarum piorumque exercitiorum et ut litteris in s. obedientiâ ad eos scriptis aedificationi salutique eorum diligenter consulas, quovis exhibito benignitatis ac sancti amoris officio.

Litterae serviant aedificationi.

Similiter autem, ut necessitudine tecum conjunctis, etiam **pauperibus** oportet te quam optime cupere, favere, studere. Nam: "*Honorabile nomen eorum coram*" Domino (Ps. 71, 14). Nimirum auctoritate pollent summi Regis, cujus dignitatem ac vicem gerunt, quoniam: "*Amen*," ait, "*dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus Meis minimis, Mihi fecistis*" (Matth. 25, 40). Ipsum igitur Sponsum tuum in deformi atque invenustâ pauperum specie velatum religiosissimâ colas diligasque observantiâ, gratiâ et caritate. Haereant tibi quasi in medullis ac visceribus sintque carissimi, ne laudem unanimem ac summe pretiosam minuas illam, quâ monachi inde a primordiis suis pauperum amantissimi patres,

Singularis in pauperes caritas.

Digitized by Google

fautores, patroni nuncupantur. Hic fons est praecipuus, ex quo claustris uberrima affluxit et coelestium et terrestrium benedictionum copia. Nam "*feneratur Domino, qui miseretur pauperis*" (Prov. 19, 17) et: "*Pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio et benedictio tua*" (Eccli. 7, 36). Profecto: "*Eleemosyna viri quasi signaculum cum Ipso* (Deo), *et gratiam hominis quasi pupillam conservabit*" (Ibid. 17, 18).

Humanitas in hospites exercenda.

Neque vero egentibus tantum et qualicunque angustiâ pressis, sed etiam **hospitibus,** ut more antiquo usque ad nostra tempora traditum est, monachorum et domus patent et corda. "*Hospes eram,*" ait Dominus, "*et collegistis Me*" (Matth. 25, 35), et SS. Patriarcha hortatur: "*Hospites tanquam Christus suscipiantur.*" Itaque, si quis, hospitio non indignus, claustri portam pulsat, admittatur benigne et cum omni tractetur humilitate, reverentiâ, caritate atque humanitate, ita tamen, ut, quoties ex usu laudabili et a S. Sede commendato ad regulares accipitur refectiones, nullam omnino injuriam inferat monasticae disciplinae. Quodsi tu, mi frater, hospitibus assignatus fueris, operam praesta, ut in spiritu s. obedientiae et simplicitatis tuo fungaris officio, commissos tibi omnibus aedificans partibus.

Literarum artiumque operae cellâ proficiscentia.

Reliquum est, ut strictim ea quoque attin-

Digitized by Google

Opera sacrae scientiae et artis.

gamus caritatis opera, quae e cellae recessu effluunt et prae ceteris monasticam redolent humilitatem, industriam ac dilectionem. Sacra dico vel **literarum vel artium monumenta,** quae a monachis elaborata in lucem exeunt et divinae veritatis caritatisque radios usque ad extremum effundunt orbis terminum. Hujusmodi operibus efficitur, ut sacra scientia et caritas quasi duo luminaria e claustro effulgentia longe lateque collustrent atque incendant animos, vel tanquam duo Cherubim sese efferant, lucidis alis populo fidelium impendentes. Altissimae autem humilitatis spiritus est et zelus divinae gloriae, quo animata claustri scientia viget ; si secus se res habet, scriptores "*conversi sunt in arcum pravum*" (Ps. 77, 57). Nam "*sapientia carnis mors est*" et "*inimica Deo; prudentia autem spiritûs vita et pax*"(Rom. 8, 6); neque est "*ista sapientia desursum descendens, sed terrena*" (Jac. 3 15), "*quae quidem peribit a sapientibus*" (Is. 29, 14). Ille, qui infinita est sapientia : "*Ego*", inquit, "*sum via, et veritas, et vita*" (Joan. 14, 6); et scientiae quoque "*fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est* CHRISTUS JESUS" (I Cor. 3, 11), in quo omnes sapientiae et scientiae thesauri absconditi sunt. Ideo et tu, dilecte frater, si ad literarum studia artiumve te confers, sequere splendidum Magistri tui labarum,

Digitized by Google

neu unquam regio hoc sceptro te subtrahas. S. Crux etiam pro cellae laboribus et verae est arbor vitae et veritatis fons unicus ac perennis, ex quo tua aliorumque salus uberrime redundat U. I. O. G. D. Solo in claustro, ubi monachi "*ad sobrietatem*" sapiunt, et bibliotheca arx Dei est et scriptoris vel artificis cella officina quaedam praeclarissimorum s. Ecclesiae armorum.

En, frater, multiplicia variaque caritatis opera, quibus monacho licet Dominum Deum suum diligere non solum "*ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ mente,*" sed etiam "*ex totâ virtute*" vel "*ex omnibus viribus*" *suis* (Marc. 12, 30; Luc. 10, 27). Accedit inaestimabile illud, quod in universam hominum familiam effluit, meritum spirituale ex opere Dei totque sacrificiis, precibus, lacrymis operibusque supererogatoriis comparatum. Profecto, veri monachi "*caritas benigna est, non quaerit, quae sua sunt, nunquam excidit*" (I Cor. 13). O beatum ampleque beantem S. Benedicti filium, qui, quum caritatis benedictiones effundat, ipsemet liberalissimo remunerante Domino, eisdem plus plusque benedictionibus ditescat, quoniam "*anima, quae benedicit, impinguabitur*"! (Prov. 11, 25.)

Caritas caritatis operibus aucta.

At hisce omnibus res, de quâ agitur, nequaquam est a nobis exhausta; imo magis eximia

Digitized by Google

Sacerdotalis sive apostolicae caritatis campus.

operum caritatis pars superest. Monacho enim, in *sacerdotalem* evecto statum, immensus clarissimusque patet **apostolicae caritatis** campus. Nimirum simul ut monasticam adeptus maturitatem in perfectum coelestis Patris filium crevit, ipsemet spiritualis constituitur pater filiorum Dei. Res fuit perquam mirabilis, frater. Nam sicut in B. V. Mariam, ita in te Sanctus supervenit Spiritus, et virtus Altissimi obumbravit tibi, et, quod deinceps per te nascitur, vocabitur filius Dei. Inde a benedictâ s. ordinationis horâ vita tua aliud non est, nisi continuata quaedam Verbi aeterni incarnatio, quoniam in altari reale sive eucharisticum, in sacramentis mysticum corpus Christi procreare non desinis, illic Dei Filium verum, hic gratiae vel adoptionis filios. O admirandam vereque inauditam fecunditatem, quae et caput et membra parit novae familiae coelestis atque hominibus Filium Dei, Deo autem homines gignit, imo non solum gignit, sed etiam maternis gratiae veritatisque uberibus alit in vitam sempiternam. Tantopere, B. Benedicti fili, "*benedixit te Deus in aeternum!*" (Ps. 44, 3) Unde, quam ardenti debeas et Dei honoris et salutis animarum zelo conflagrare, tecum reputa. Qualis Paterfamilias, talis minister ac domesticus. In adjutorem igitur sociumque accitus es excelsi animarum Pastoris, quippe

Divina sacerdotii fecunditas.

Paternus animarum zelus.

Digitized by Google

cui cooperari in divino misericordiae ac redemptionis opere tuum sit munus. Quapropter imitatione tibi exprimendum erit adorabile Ipsius exemplum, utpote qui ex infinitâ caritate, quâ nos dilexit, venerit in mundum, omnes ut salvos faceret. Quem si fideliter sequeris, merito benedictionis vir vocaberis, quia nihil tibi vel antiquius erit vel dulcius, quam ut omnes, quotquot Dominus redemit, omni benedictione coelesti ac gratiâ repleantur. Erit "*in sancto via tua*" (Ps. 76, 14), ut ipsemet sanctus quamplurimos ter sancto lucreris Deo. Idcirco quotiescunque obedientia ad **praedicandi munus** te obligat, "*accingere gladio*" verbi Dei, ut tenebrarum opprimas regnum, et esto "*lucerna super candelabrum*" posita, quae "*luceat omnibus, qui in domo sunt*" (Matth. 5, 15). Os quidem tuum os Dei sit, Ipsius oracula, promissa, minas perpetuo pronuntians, ut in dies magis adveniat regnum Altissimi. Atque ut sancto constantique ardeas desiderio salvandi animas, iterum atque iterum memoriam redintegra pretii inaestimabilis etiam unius animae, cui praeter Ipsum Salvatoris sanguinem plane nihil comparare licet; omnes enim homines vocati sunt, ut filii Dei fierent et cohaeredes gloriae Christi. Hoc zelo accensi fere innumerabiles monachi operam omnem, imo vitam suam consumere sangui-

Praedicandi munus.

Conversio gentium.

Digitized by Google

nemque effundere non dubitarunt, qui quidem alterâ manu Evangelium, Regulam alterâ portantes in longissimas penetrarunt regiones, et novis semper gentibus christianae familiae adjunctis, Crucis imperium prope in toto orbe terrarum fundarunt, dilatarunt ac solidarunt. Et hoc quidem eo praeclarius feliciusque successit, quo plus momenti atque efficacitatis habuerit ad **convertendos populos** admirabilis illa ac divina, quae monachorum propria est, sacrae familiae et liturgiae vita. Quapropter de inclitâ SS. Patriarchae familiâ merito gloriari licet: "*Sagittae tuae acutae: populi sub te cadent*" (Ps. 44. 6).

Puerorum educatio.

Jam unum restat, de quo aliqua proferamus, caritatis opus, nempe munus antiquitus traditum sancte **instituendi pueros.** Monastica enim familia una cum Ecclesiâ divinis concinit verbis: "*Sinite parvulos ad Me venire; talium est enim regnum coelorum*" (Matth. 19, 14). Sit igitur memor monachus, pueros sibi divinitus commissos esse, ut iterum eos parturiat, donec formetur in illis Christus. Quamobrem quod in Dominicâ ipsemet scholâ claustri feliciter expertus est, idem pretiosis istis divinae caritatis pignoribus religiosissime praestet. Utique enim "*nemo potest venire ad*" Christum, "*nisi Pater traxerit eum*" (Joan. 6, 44). Atqui, dilecte frater, tua ipsius laus est decusque, Patris

Digitized by Google

auctoritatem tenere ac vicem ita, ut educans ad Jesum ducas, Ejus in pueris effingens sanctissimam coelestemque imaginem. Veluti pictor, sic tu tot tibi propositas cernis tabellas, quot adsunt puerorum mentes et corda, quibus gratiae veritatisque quasi colores inducens suavissimam debes illustremque Sacratissimi Cordis effigiem reddere, ut ejusdem fiant generis, lux de luce ac puritas de puritate, omnes lucidissimae Dei imagines ac filii. Quare ne ulli parcas operae, primum ut pueri, verâ atque illuminatâ fide, pietate ac sapientiâ imbuti de mundo non sint, imo ab illius spiritu plane abhorreant; deinde ut et solidae eruditionis splendore eluceant, qui in divinam gloriam honoremque Ecclesiae redundet et viam illustret, quae ad coelestem perducat patriam. Ita fieri non potest, quin eos in Deo ac pro Deo educes, vere factus divinae providentiae adjutor et socius.

Opera caritatis debent cum monasticâ congruere vitâ.

En, frater, sancta egregiaque caritatis opera, ad quae subeunda monachum obedientia accingit. At vero una omnibus communis est eaque indispensabilis conditio, ut omni ex parte cum claustro congruant neu sanctae repugnent professioni. Hic quoque divinum valet eloquium: "*Quaerite primum regnum Dei, et justitiam Ejus, et haec omnia adjicientur vobis*" (Matth. 6, 33). Nam ut quis, despecto saeculo, ad

Digitized by Google

coenobium confugit monasticam amplectens familiam, fidem sacrilege fallit, si postea externis implicatus operibus a juratâ lege vitâque penitus desciscat. "*Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit ?*" (Eccli. 14, 5). Quare profecto valde timendum est, ne, aliis praedicans eorumque consulens saluti, ipse reprobus efficiatur. Jam vero in pejorem etiam, imo in deterrimam partem res vertitur si integrum coenobium externis ita absorbeatur operibus, ut vita claustralis, opus Dei, ceteraque monastici ordinis fundamenta sensim quassata corruant. Talis monasterii res eversa est, vix ut ulla spes restitutionis superet. Tantum igitur debet abesse, ut aliquid operi Dei praeponatur, ut potius, quidquid ponatur studii in animarum salute procurandâ, et propriam monachi sanctificationem et palmare opus Dei compleat atque amplificet (U. I. O. G. D.). Tum certe monachi non canales, sed conchae exstant, aquarum plenae viventium, et quaecunque suscipiunt caritatis sanctique zeli opera, mirifice sunt benedicta, excelsa, gratiis uncta, utpote aedificata super fundamentum sanctae orationis, humilitatis, obedientiae perfectaeque sui ipsius abnegationis. Nimirum Dei potissimum brachium est, quod operatur, non hominis; nec tam monachus agit, quam tota coenobii familia, quae quasi unitis orationis caritatisque viribus opus perficit.

Sint salva monastica ordinis fundamenta.

Digitized by Google

Monachus vir Dei ac vasallus.

Porro quum monachus insignite, ut filius, ita vir Dei sit ac vasallus, Ejus servitio nutuique unice addictus, tota etiam familia est delecta summi Regis manus, cohors quaedam praetoria ac subsidiaria, quâ stipatus gaudet, quamque Sibi servat ad opera Sua nobiliora fortiter, imo heroice perpetranda. Profecto ut Rex ille vel Ipsius Ecclesia aut monachum aut monachorum aciem evocat, intrepido invictoque animo maximas Ejus pugnas decernunt. Similes prophetis prophetarumque discipulis accedunt ad principes et populos, Dei legem, justitiam ac voluntatem vel fidenter pronuntiantes vel zelo defendentes ardentissimo, Eliae instar, de quo legimus: "*Surrexit sicut ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat*" (Eccli. 48, 1).

Monachi pugnas Domini decernunt.

Ad omnia igitur zeli opera parati monachi, quum ad agendum procedunt, humanis omnibus contemptis, tam magnanimos, firmos valentesque se praebent Ecclesiae, ut palam fiat, divino illos robore ac virtute Spiritus sancti repletos depugnare. Hinc miranda illa egregiaque Apostolorum, Confessorum, Doctorum ac Martyrum turba, quae e claustri solitudine progressa, christianam familiam maxime ac singulari modo condidit, conservavit, amplificavit, Apostolicae Sedi clarissimos Pontifices, sanctos Ecclesiis Antistites, principibus sapien-

Mira monastici ordinis ubertas.

Digitized by Google

tissimos consiliarios, fidelibus magistros, pastores, pacificatores ac deprecatores efficacissimos, ut uno dicam verbo, renatis Dei filiis piissimos fidelissimosque donans *patres*. Ecquis digne unquam laudabit innumerabilem Spiritus Sancti prolem, monasticam dico familiam, quae tam copiosum et virtutum et animarum fructum reddidit coelesti Sponso sanctaeque Ecclesiae? Profecto est "*quasi oliva gloria ejus et odor ejus ut Libani!*" (Ps. 14, 7.) Salve, magna parens, et, renovatâ divinitus sanctâ tuâ fecunditate, ne desinas exhausto jam generi humano verae solidaeque pacis ac salutis gignere ubertatem!

Digitized by Google

Testimonia

I. ex S. Regula, II. ex decretis et documentis S. Ecclesiae, III. ex Sanctorum et Doctorum scriptis deprompta.

S. Regula.

Caritas in Deum.

PRIMUM instrumentum (bonorum operum est) : Imprimis *Dominum Deum diligere* ex toto corde, totâ animâ, totâ virtute.— *Nihil amori Christi praeponere* (*C.* 4. *instr.* 1. 21).

Monachi *Christo omnino nihil praeponant*, qui nos pariter ad vitam aeternam perducat. Amen (*c.* 72).

Omnibus *humilitatis gradibus* ascensis, monachus mox *ad caritatem Dei* perveniet illam, quae perfecta foras mittit timorem, per quam universa... incipit custodire, non jam timore gehennae, sed *amore Christi* et consuetudine ipsâ bonâ et delectatione virtutum (*c.* 7).

Processu conversationis et fidei, *inenarrabili dilectionis dulcedine* curritur via mandatorum Dei (*Prolog.*).

Obedientia sine morâ convenit his, qui *nihil sibi Christo carius* aliquid existimant (*c.* 5).

Vita S. Benedicti : Plus illo femina (*S. Scholastica*), quae diu fratrem videre cupiebat, in eodem tempore valuit. Quia enim juxta Joannis vocem « *Deus caritas est* » (1. *Joan.* 4, 16), justo valde judicio *plus potuit, quia plus amavit* (*c.* 33).

Caritas in proximum.

Instrumenta artis spiritualis sunt : Deinde (*diligere*) *proximum* tanquam seipsum. — Honorare omnes homines. — Caritatem non derelinquere. — Inimicos diligere. — Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere. — Non esse detractorem. — Nullum odire. — In Christi amore pro inimicis orare. — Quod sibi quis fieri non vult alii non faciat (*c.* 4. *instr.* 2, 8, 26, 31, 32, 40, 64, 70, 9).

Vita S. Benedicti : SS. Pater praecipua patravit miracula

Digitized by Google

ex ardentissima proximi caritate, velut ubi capisterium fractum reparavit (*c.* 1), debitori solidos suppeditavit (*c.* 27), alia. Deinde clarissimum praebuit exemplum *diligendi inimicos*. Vir Dei Benedictus audiens (mortem terribilem Florentini presbyteri) sese in gravibus lamentis dedit, vel quia inimicus occubuit vel quia de inimici morte discipulus exultavit. Qua de re factum est, ut eidem quoque discipulo poenitentiam indiceret, quod mandans talia, gaudere de inimici interitu praesumpsisset (*c.* 8).

Caritas erga infirmos fratres.

Instrumentum artis spiritualis est : *Infirmum* visitare. — Mortuum sepelire. — In tribulatione subvenire. — Dolentem consolari (*c.* 4. *instr.* 16-19).

Infirmorum cura ante omnia et super omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo, ita eis serviatur, quia Ipse dixit : « *Infirmus fui, et visitastis Me* » (*Matth.* 25, 36). Et : « *Quod fecistis uni de his minimis Meis, Mihi fecistis* » (*Ibid.* 40). Sed et ipsi infirmi considerent, in honorem Dei sibi serviri, et non superfluitate suâ contristent fratres suos, servientes sibi. Qui tamen patienter portandi sunt; quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis sit cella super se deputata, et servitor timens Deum, et diligens ac sollicitus.... Curam autem maximam habeat Abbas, ne a Cellerariis aut servitoribus negligantur infirmi : quia ad ipsum respicit, quicquid a discipulis delinquitur (*c.* 36).

(Quoad necessaria) non personarum acceptio sit, sed *infirmitatum consideratio* (*c.* 34).

(Fratrum *infirmorum* vel *delicatorum*) imbecillitas ab Abbate consideranda est in opere injungendo (*c.* 48).

Infirmitates sive *corporum* sive morum (monachi) patientissime tolerent (*c.* 72).

Caritas in pauperes et hospites.

Infirmorum, infantium, *hospitum pauperumque* cum omni sollicitudine curam gerat, sciens sine dubio, quia pro his omnibus in die judicii rationem redditurus est (*c.* 31).

Digitized by Google

Instrumenta artis spiritualis sunt : *Pauperes* recreare, — *Nudum* vestire (*c.* 4. *instr.* 14, 15).

(Fratres vestimenta) vetera semper reddant reponenda in vestiario propter *pauperes* (*c.* 55).

Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est : « *Hospes fui, et suscepistis Me* » (*Matth.* 25, 35). Et omnibus congruus honor exhibeatur, maxime tamen domesticis fidei, et peregrinis. Ut ergo nuntiatus fuerit hospes, occurratur ei a Priore vel a Fratribus, cum omni officio caritatis, et primitus orent pariter, et sic sibi socientur in pace. Quod pacis osculum non prius offeratur, nisi oratione praemissâ, propter illusiones diabolicas. In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus sive discedentibus hospitibus, inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terrâ, Christus in eis adoretur, qui et suscipitur. Suscepti autem hospites ducantur ad orationem, et postea sedeat cum eis Prior, aut cui jusserit ipse. Legatur coram hospite lex divina, ut aedificetur, et post haec omnis ei exhibeatur humanitas. Jejunium a Priore frangatur propter hospitem ; nisi forte praecipuus sit ille dies jejunii, qui non possit violari..... Aquam in manibus Abbas hospitibus det.... Pauperum autem, et peregrinorum maxime, susceptio omni curâ sollicite exhibeatur, quia in ipsis magis Christus suscipitur. Nam divitum terror ipse sibi exigit honorem.... *Cellam hospitum* habeat assignatam frater, cujus animam timor Dei possideat ; qui sint lecti strati sufficienter, et domus Dei a sapientibus sapienter administretur. Hospitibus autem, cui non praecipitur, nullatenus societur neque colloquatur : sed si obviaverit aut viderit, salutatis humiliter, ut dictum est, et petita benedictione, pertranseat dicens sibi non licere colloqui cum hospite (*c.* 53).

Ad *portam* monasterii ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum et reddere ; cujus maturitas eum non sinat vagari. Qui *Portarius* cellam debet habere juxta portam, ut venientes semper praesentem inveniant, a quo

Digitized by Google

responsum accipiant. Et mox ut aliquis pulsaverit aut pauper clamaverit, «*Deo gratias*» respondeat, aut benedicat; et cum omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum festinanter, cum fervore caritatis. Qui Portarius, si indiget solatio, juniorem fratrem accipiat (*c.* 66).

Vita S. Benedicti: Vir Domini, qui *cuncta decreverat in terrâ tribuere* (pauperibus), ut in coelo omnia reservaret, ipsum parum, quod remanserat, olei jussit petenti dari (*c.* 28).

Zelus et cura animarum.

Vide, quam a Superioribus S. Regula *scientiam, sapientiam, discretionem, sollicitudinem* vitaeque *sanctitatem* requirat. Veluti:

Qui suscepit *animas regendas*, praeparet se ad rationem reddendam.... Agnoscat pro certo, quia *in die judicii* ipsarum omnium animarum est *redditurus Domino rationem*, sine dubio addita et suae animae. Et ita timens semper futuram discussionem pastoris de creditis ovibus, cum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus (*c.* 2).

Sic omnia temperet atque disponat, *qualiter animae salventur* (*c.* 41).

Non solum detrimenta *gregis sibi commissi* non patiatur, verum etiam in augmentatione *boni gregis* gaudeat (*c.* 2).

Magnopere debet *sollicitudinem* gerere et omni sagacitate et industria curare, ne aliquam de *ovibus sibi creditis* perdat (*c.* 27).

Si viderit, nihil suam praevalere *industriam*, adhibeat etiam, quod magis est, *suam* et *omnium* pro (ove perdita) *orationem*, ut Dominus, qui omnia potest, operetur salutem (*c.* 28).

Pastoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem, quae erraverat, quaerere, cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere et sic reportare ad gregem (*c.* 27).

Meminerit calamum quassatum non conterendum (*c.* 64).

Digitized by Google

Praedicandi munus.

Omnia bona et sancta *factis* amplius, quam *verbis* ostendere (debet)... Omnia, quae discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda, ne aliis praedicans ipse reprobus inveniatur. Ne quando illi dicat Deus peccanti : « *Quare tu enarras justitias Meas et assumis testamentum Meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam et projecisti sermones Meos post te* » (*Ps.* 49, 16, 17). Et « *Qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti* » (*Matth.* 7, 3).... In *doctrinâ* suâ apostolicam debet illam semper formam servare, in quâ dicitur : « *Argue, obsecra, increpa* »... dirum magistri, pium patris ostendat affectum... Neque dissimulet peccata delinquentium... Alium quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus ; et secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam se omnibus conformet et aptet (*c.* 2).

Vita S. Benedicti : Quum jam Deus omnipotens vellet *Benedicti vitam in exemplum* hominibus demonstrare, ut *posita super candelabrum lucerna* claresceret,... nomen ejus per vicina loca cunctis innotuit factumque est, ut ex illo jam tempore *a multis frequentari coepisset*, qui, quum ei cibos afferrent corporis, ab ejus ore in suo pectore *alimenta referebant vitae* (*c.* 1).

Ibid. : Vix ipsa communis *Benedicti* patris locutio a virtutis erat pondere vacua, quia cujus cor sese in alta suspenderat, *nequaquam verba de ore illius incassum cadebant* (*c.* 23).

Ibid. : (In vicu a S. Benedicto converso) quaedam sanctimoniales feminae inerant; et crebro illuc *pro exhortandis animabus fratres suos mittere Benedictus* Dei famulus curabat (*c.* 19).

Conversio gentium.

Vita S. Benedicti : Vir Dei contrivit *idolum*, subvertit aram, succidit lucos atque in ipso *templo Apollinis* oraculum B. Martini, ubi vero ara ejusdem Apollinis fuit, oraculum S. Joannis construxit et commorantem circumquaque *multitudinem praedicatione continuâ ad fidem vocabat* (*c.* 8).

Ibid. : Non longe a monasterio *vicus* erat, in quo non

Digitized by Google

minima *multitudo* hominum *ad fidem Dei ab idolorum cultu Benedicti* fuerit *exhortatione conversa* (*c.* 19).

Puerorum educatio.

(*Cf. S. Reg. c.* 37 *et* 31).

Pueris per omnia ab omnibus *disciplina* teneatur (*c.* 63).

Vita S. Benedicti: Coeperunt ad virum Dei Benedictum Romanae urbis *nobiles* et religiosi concurrere suosque *ei filios Omnipotenti Deo nutriendos dare* (*c.* 3).

Salva sit monastica disciplina.

(Sacerdos) ordinatus caveat elationem aut superbiam, nec quidquam praesumat, nisi quod ei ab Abbate praecipitur; *sciens se multo magis disciplinae regulari subditum.* Nec occasione sacerdotii obliviscatur *Regulae obedientiam et disciplinam*, sed magis ac magis in Domino proficiat (*c.* 62).

Sciat se *omnem Regulae disciplinam* servaturum nec aliquid ei relaxabitur... Nullatenus aliqua praesumat sciens se *disciplinae regulari subditum* (*c.* 60).

Vita S. Benedicti: Vir Dei quasi spinis (concupiscentiae) erutis excultâ terrâ, de *virtutum segete feracius fructus dedit.* Praeconio itaque *eximiae conversationis* celebre nomen ejus habebatur (*c.* 3).

Ibid.: Quum sanctus vir *virtutibus* signisque succresceret, *multi* ab eo *ad Omnipotentis Dei sunt servitium congregati* (*c.* 3).

S. Ecclesia.

Religionis finis caritas.

Concil. Prov. Pragense (*a.* 1860): *Religiosi* libentissime et omnibus viribus amplectantur praeclaram suam, quam elegerunt, partem et *inextinguibili caritatis ardore, dilatato corde currant* illam viam, cujus inenarrabilis dulcedo est et quae per participationem passionum Christi ducit ad regni Ejus consortium. — Vere pretiosa et *potior pars* dici debent *gregis Christi*, apostolicae vitae propago et militantis *Ecclesiae gemma*, quae cum sanctitudine corporis Christi tam indivulse connexa est, quam ipsa *invicta in Deum caritas* et poenitentiae necessarius sensus. Imo nunquam plus, quam impraesentiarum, tum Ecclesia tum mundus indi-

Necessitas Religionis.

Digitized by Google

guisse videtur vitae religiosae operibus et exemplis. Dominantem superbiam convincat illa *regularis humilitas et obedientia*, quae Superiorum piis jussibus pie subditur. Redarguat insatiabilem voluptatum et divitiarum sitim *claustralis vitae severitas et sponte suscepta pauperies*. Et quibuslibet mundanis desideriis, quae militant adversus animam, occurrat *illa coelestis religiosorum virtus, quae nescit nisi Deum* et salutem animarum. Neque exemplis poenitentiae tantum aut *virginalis candoris* indiget mundus. — Indiget profecto etiam *oratione atque assiduâ intercessione* apud Deum, ut propitius det internam externamque pacem; eget ipsis *studiis humilibus* religiosorum, quibus serviatur veritati; indiget denique et quam maxime *sacrificiis caritatis*, quibus religiosi non sua tantum, imo et semetipsos fratribus impendunt (*Decr. tit.* 7. *c.* 3. *et* 1).

Caritas in fratres.

Congregatio Bursfeldens.: (*fund.* 1433): *Honore et amore se invicem fratres nostri praevenire debent*, ea omnia observando, quae S. Pater de Ordine Congregationis (*c.* 63. *et c.* 70), ne quis alium caedere, imo nec laedere praesumat, praescripsit. Quare *occurrentes sibi caput inclinent et detegant;* contentiones omnes, quia sunt caritatis laesio et cum scandalo fiunt, fugiant; *factiones* et *familiaritates particulares* omnino caveant, sicut et omnia ea, quae quomodolibet *caritati* adversantur (*Dist.* 5. *c.* 11). — Ad hanc *caritatem* stabiliendam secundum consuetudinem nostram, praeterquam quod se statim secundum Regulam reconciliare tenentur, ante quatuor festa primaria fratres a se invicem offensas deprecabuntur, quam nunquam intermitti volumus, licet se nunquam verbo offenderint (*Dist.* 5. *c.* 11. *n.* 5).

Congreg. Argentinens. (*fund.* 1624): *Caritatem fraternam* ornamentum esse sacrorum ordinum, stabilimentum regularis disciplinae, gloriam monasteriorum, vinculum perfectionis, bonorum operum nutricem, et nexum sanctarum virtutum, Patres jam olim praedicaverunt. Magnâ igitur sollicitudine invigilent Superiores et curent subditi, *ut pax et caritas vigeat in monasteriis et conservetur* (*Decl. ad c.* 72).

Digitized by Google

Congreg. Suevica (*approb.* 1725): *Sine caritate* regularis disciplinae observantia haud secus consistere potest, quam possit *domus sublatâ calce et lapidum compage* (*P.* 3. *c.* 2. *p.* 1). — Inferiores *omnia mutuae caritatis officia* sibi prompti libentesque impendant, nulli aliquam offensionem praebentes, defectus invicem suos caritative sufferentes, neminem temere judicantes, sed aliorum dicta factaque in meliorem semper partem accipientes et vertentes. Et quia *caritas* exigit, ut de alienâ aeque ac de nostrâ felicitate gaudeamus, si contingeret, uni alterive singularem aliquam gratiam, vel ratione valetudinis vel aliâ quâdam rationabili de causâ, fieri, non id ferant indigne, aut murmurent, aut ex zelo quodam amaritudinis eadem etiam affectent ; sed potius Deo omnium bonorum auctori gratias agant, quod sanâ et robustâ valetudine praediti paucioribus egeant (*P.* 3. *c.* 2. *p.* 3). — *Nolumus caritatem fraternam in peculiares et privatas quasdam amicitias degenerare.* Hae enim ex mente *S. Chrysostomi* (*sermone* 10 *in ep.* 2. *ad Thessalonicenses*) non sunt caritatis fomenta, sed dissidiorum schismata et hiulcae rupturae disciplinae et observantiae regularis (*Punct.* 3. *c.* 2. *p.* 12).

Caritas erga infirmos fratres.

Congreg. Bursfeldens.: Fratribus nostris *cum omni caritate* remedia, tam corporalia quam spiritualia, et *juxta morbi qualitatem obsequia provideantur*, omni tamen superfluitate resecatâ. *Infirmi* vero memores sint professionis suae, ne superflua aut exquisita appetant. Si accidat cujuslibet rei defectus, humiliter, sine murmure, offerant Deo, qui id ad virtutis probationem et meriti augmentum negat. *Infirmi* etiam in iis, quae ad sanitatis et vitae regimen spectant, Abbati et infirmario obediant. Ut primum quis in morbum inciderit, in continenti cum caritate moneatur, ut animae perceptis *Sacramentis* Poenitentiae et Eucharistiae consulat. Durante enim infirmitate Dominicis saltem diebus munire se denuo non negligat, ut eorum ope virtus animi in infirmitate corporis perficiatur. *Oretur* in publico privatisque

Digitized by Google

sacris, *praelegantur ei etiam, quae solentur*, ut juvetur in spiritu. *Infirmarius* sicut et is, cui jusserit Prior, de rebus ad salutem spectantibus cum eo loquatur, eumque in Spiritu foveat et animet (*Dist.* 6. *c.* 8).

Congreg. Argentinens.: Superior, si necessarium fuerit, *fratri infirmo* cellam separatam assignare, tunc eam assignet; si quid speciale in cibo, ordinet, ac a choro et communibus exercitiis eximat. Eâdem autem die, quâ *cellam infirmorum* fuerit ingressus et lecto decubuerit frater, teneatur saltem confiteri et, si per octo dies ibi permanserit, sacram Synaxin accipere, etiam seposito omni periculo. Constituatur etiam quam primum *servitor, qui diligenter ministret infirmo* ac medicamenta aliaque necessaria horis debitis porrigat. Ceteri vero religiosi *confratres ex caritate fraternâ saepius infirmos visitent*, ac spiritualia solatia subministrent, proponendo discursus spirituales de poenitentiâ, patientiâ, mundi vanitate, de rebus transitoriis, quae tamen *visitationes*, ubi periculum mortis non est instans, nonnisi tempore recreationis fiant citra Superiorum aliam dispositionem. Quodsi vero *periculum* fuerit *majus* infirmo, semper assistat unus vel duo, qui prolegere valeant aliquem librum spiritualem infirmumque excitare ad eliciendos actus fidei, spei, caritatis et contritionis (*Decl. ad. c.* 36. 3. *Regul.*).

Congreg. Suevica: *Curam infirmorum* S. Pater noster c. 36. suae Regulae singulari studio non sine gravi verborum emphasi commendavit Abbatibus. Quae ejus ordinatio *cum insigni caritate* et paterno in filios suos affectu plenissima sit, hortamur monemusque Abbates et Superiores omnesque singulos, ut, si ullâ in re, vel maxime in hâc infirmorum curâ tantopere commendatâ, pium amantis Patris affectum testatum facere studeant. — *Constituatur aliquis e seniori-bus* patribus, nisi Superior conventus id muneris ipsemet subire velit, *qui curam infirmorum habeat*, eosque saepius *visitet, consoletur et necessaria* pro morbi qualitate et exigentiâ *provideat;* singulariter attendendo, ne quidquam negligatur et ut medicinae, modo ordineque a medico prae-

Digitized by Google

scripto, debite applicentur, eosdem etiam, si necesse fuerit, ad obedientiam, patientiam veramque animi compunctionem adhortando. Superiores praeterea *sollicite et paterne* curent, ne infirmi sive in competentibus medicinis sive in congruis cibis sive aliis ad valetudinem pristinasque vires recuperandas conducentibus mediis aliquem defectum patiantur. — Suum etiam *caritatis fraternae officium reliqui fratres infirmis exhibeant*, eosque iis temporibus, quibus colloquendi facultas concessa est, *solentur* et *animent*, sed non distrahant illos fabulis, nugis et similibus inpertinentibus, nec tempore silentii illos accedant, nisi cum speciali Superioris licentiâ (*P.* 2. *c.* 3. *p.* 8). — *Infirmorum cura* demandetur alicui fratrum, ad hoc munus maxime idoneo, qui scilicet *affectu caritatis et commiserationis ductus*, singulari studio eorum valetudini reparandae ac restituendae intendat. Quotidie post completorium, impertitâ ipsis Benedictione, aquâ benedictâ eos aspergat, ac, ubi morbus periculosior fuerit aut ingravescere coeperit, curet, ut quam primum ceterorum precibus in Capitulo a Superiore commendetur (*P.* 3. *c.* 4. *p.* 9).

Caritas erga moribundos.

Congreg. Argentinens.: Quoties *infirmi reficiendi* sunt *sacrâ synaxi*, omnes religiosi SS. Sacramentum comitentur cereis accensis cum cantu vel recitatione: Pange lingua. *Agonizantibus* vero, dato signo cum campanulâ silentii, *omnes assistant* ac devote preces in breviario praescriptas persolvant, dum interea Superior absolutionem Ordinis ac confraternitatis ipsis impendit (*Decl. ad. c.* 35. *s. Reg.*).

Congreg. Suevica: Infirmarius, si quempiam adeo viribus deficere animadverterit, ut *periculum mortis* adesse videatur, moneat tempestive Superiorem et ipsum infirmum, ut *SS. Sacramentis* in tempore muniri atque ad bene moriendum se disponere atque praeparare possit (*P.* 2. *c.* 3. *p.* 9). — Infirmarius, quae ad Sacramenta infirmo decenter impendenda necessaria sunt, praeparet studeatque, ut *semper morienti adsint aliqui fratres, qui* eum ad mortis agonem fortiter superandum tum precibus suis, tum etiam piis incitamentis

Digitized by Google

ad variarum virtutum actus exercendos *animent* et *juvent* (*P.* 3. *c.* 4. *p.* 9).

Caritas in defunctos.

Concil. Prov. Viennense (*a.* 1858): Qui *mortui* sunt oculis nostris, nisi lethali culpâ polluti decesserint, vivunt Domino nobisque fide et caritate conjuncti manent. *Suffragiis suis nos juvant*, ad Deum videndum nondum admissi; *ut suffragiis nostris juventur, exspectant.* Nunquam fiat, ut nos ipsis deesse sentiant. Non lacrymas, sed *bonorum operum auxilia* a nobis postulant. Ab ipsis Apostolis sancitum est, ut *in venerandis tremendisque mysteriis* defunctorum agatur commemoratio. Quum in fide adhuc ambulemus, nostra est hostia divina, si nihil haesitantes et in caritate fundati eam Patri omnipotenti offerimus. Pretium infinitum, quo mundus redemptus est, pro defunctorum debitis oratione fidei solvamus, et *rore coelesti perfundentur. Preces, eleemosynam, alia bona* addamus (*Tit.* 4. *c.* 16).

Congreg. Argentinens.: Quam primum infirmus frater fuerit *mortuus*, induatur habitu religionis cum scapulari; et, caputio capiti superposito, deferatur ad locum capitularem ibique feretro imponatur ac lumen usque ad sepulturam ejusdem ibi ardeat (*Decl. ad c.* 36. *S. Regul.*).

Congreg. Suevica: Ubi quis *vitâ functus* fuerit, inter duas candelas accensas decenter custodiatur cadaver, prope quod in cellâ viciniori *usque ad sepulturam* semper adsint duo fratres, qui sibi singulis horis tam diurnis quam nocturnis juxta ordinem a Superiore praescriptum *succedentes piis precibus defuncti animam Deo commendent* (*P.* 3. *c.* 4. *p.* 4). — *Dies depositionis*, itemque *tertius, septimus, tricesimus*, uti et *anniversarius semper celebretur* cum officio Defunctorum novem lectionum pridie recitato in choro; ipso vero die celebratur Missa solemnis. — *Per totum insuper tricesimum legatur* ab aliquo Sacerdote ad id constituto pro ejusdem defuncti fratris animâ quotidie *Missa* de Requiem; quod si dies aliqua festo duplici impediatur, applicetur saltem fructus Sacrificii. — Praeterea *per totum tricesimum in mensâ ad locum fratris defuncti*, qui inter ea temporis a

Digitized by Google

nemine occupatur, ponatur *crux* et, qui ipsi alias dati fuissent, *cibi* omnes cum portione panis et vini in ejusdem animae subsidium pauperibus erogentur (*P.* 2. *c.* 3. *p.* 9).

Communio bonorum operum saecularibus concedenda.

Consuetudines Cluniacenses (*Saec.* XI): Sunt plerique fideles Christi, tam pauperes quam divites, qui, cum adducti in capitulum nostrum venerint, *petunt, ut ipsi quoque mereantur habere fraternitatem nostram.* Annuitur, et libro eis datur, ut partem et communionem habeant de omnibus bonis, quae ullo modo fiunt vel in orationibus vel in eleemosynis, non solum apud nos, sed etiam in cunctis locis, quae nostri juris esse videntur. Pro his omnibus, quamdiu sunt in hâc temporali vitâ, specialiter cantatur per singulas horas Ps. 68, et ea collecta « Praetende, Domine, famulis, » quoties ad majorem vel ad matutinalem Missam dicitur, pro eis apponitur. Postquam autem obierint, pro ipsis preces fiunt (*Consuetud. Udalrici l.* 3. *c.* 33. *P. L.* 149, 777).

Caritas in pauperes.

Congreg. Argentinens.: *Curent diligenter, ut pauperibus congrua eleemosyna tribuatur;* nec permittant, ut *ostiarii* suo motu et auctoritate quemquam repellant, nisi manifeste suspectum. Moneant insuper eos, ut faciles se praebeant, et eorum causas et necessitates et, si quas habeant, litteras testimoniales aut patentes ab eis accipiant et ad *oeconomum* ad examinandum deferant (*Declar. ad c.* 53. *s. Reg.* §. 12).

Congreg. Bursfeld.: Cum S. Pater velit inter instrumenta bonorum operum Cap. 4, *pauperes recreari*, ideo cum de iis actum, quae ad caritatem fraternam spectant, etiam de iis, quae ad *amorem proximi* ordinantur, agendum erit. Monemus itaque Superiores monasteriorum, ut non tantum *consuetis eleemosynis* satisfieri sollicite curent, verum etiam, ut *induti viscera misericordiae antiquorum Patrum Ordinis nostri caritatem aemulantes*, hilari animo alias eleemosynas pro monasterii sui facultatibus supererogari curent attendantque, quanti faciat Deus *opera misericordiae*, quae tanquam sibi collata Deus remunerabitur (*Distinct.* 5. *c.* 12).

Digitized by Google

Humanitas in hospites.

Congreg. Argentinens.: Caveant Abbates, ne saecularium more sub praetextu hospitalitatis aut personarum dignitatis nimium sumptuose ac profuse tractent *hospites*, sed semper et in omnibus habeant rationem sui status, paupertatis ac sobrietatis monasticae. — Id vero in *praestandis hospitalitatis officiis* singulariter intendant Superiores, ut habito respectu ad personarum qualitatem et dignitatem ea ipsis *caritatis, observantiae et humanitatis exhibeantur obsequia, quae ipsos aedificent*, reddantque sibi, monasteriis suis et ordini bene affectos. Ante omnia vero curent, ut, quae eis exhibent, obsequia *ex verâ caritate* faciant et *intuitu solius Christi*, quem in hospitibus suscipiunt et venerantur (*Declar. ad c.* 53. *s. Regulae* § 10. *et* 11).

Congreg. Bursfeld.: Cum S. Scriptura pluribus in locis luculentissime omnibus Christianis hospitalitatem commendet, quamque exemplo S. Patris in usu habemus, ideo sequentia ordinamus. *Hospites* Abbati seu Priori, si Abbas defuerit, *nuntiandi sunt a portario.* Nuntiato autem hospite, mox Abbas, Prior aut certe Frater quilibet ab Abbate jussus *occurrat et eum reverenter* nudato et inclinato capite suscipiat et ducat ad orationem. — *Completâ oratione detur hospiti osculum pacis.* Postmodum ducatur ad hospitium et recitatâ coram eo lectione brevi de Scripturis, scilicet « Dies et actus nostros etc..., » interrogatur breviter de causâ sui adventus, et significetur statim Abbati hospitis praesentia, qui mox veniens eum humiliter tractet secundum Regulam... Pueri parvuli non solent duci ad orationem. — *In cubiculis illorum omnia sint munda, sed simplicia* ne, dum nimium placere volumus, displiceamus. Et *nemo se eis sine expressâ licentiâ jungat ;* post Completorium vero illa nulli concedenda (*Statut. Distinct.* 5. *c.* 13. *n.* 1. 3. 7). — *Hospitalarius* eligatur eruditus, qui supervenientes hospites devote suscipiens et omnibus congruum honorem impendens, Religiosis maxime et devotis, sciat singulis, prout Religio exigit, morem gerere et deferre obsequium. *In Coenâ Domini* pauperes lavandos in claustrum deducere, et ut ordinate sedeant

Digitized by Google

et ad lotionem discalceando se praeparent, debet admonere (*Statuta, distinct.* 3. *c.* 10. *n.* 1 *et* 4).

Congreg. Suevica : S. Pater N. *hospites* advenientes omni humanitate et benevolentiâ (cap. 53. suae regulae) excipi voluit. Ubi primum ergo aliquis ad portam venerit hospes, *janitor*, comperto ipsius nomine et conditione, eoque tantisper in loco decenti exspectare jusso, Abbati vel ipsius oeconomo ejus adventum quam primum denuntiet, qui non different eum pro merito et qualitate suâ humaniter et amice modoque decenti et competenti salutare, complecti atque ad hospitum hypocaustum deducere..... Omnia hospitalitatis officia prompte parateque pro cujusvis hospitis merito et dignitate ac Monasterii facultate exhibeant (*Constitut. punct.* 11. *n.* 1 *et* 2).

Consuetudines Cluniacenses : *Hospites*, qui sunt peregrini vel qui non pro aliâ causâ quam animarum suarum adveniunt, *custos hospitii* cum omni recipit benignitate. Adductus ad ostium claustri, exspectat, usque dum invitetur, ut D. *Abbas*, vel si ille non affuerit Prior, *ei aquam praebeat ad manus*. Qualiscumque sit fratrum victus, tamen hospiti simul cum Priore liberaliter est serviendum. Si hospites videre gestiunt officinas claustri, quaesitâ a Priore licentiâ, ad alterutram missam, cum fuerit conventus in Ecclesiâ, inducit eos hospitii custos, primum in domum eleemosynariam, in cellarium, in coquinam, in refectorium, in cellam novitiorum, in dormitorium, in domum infirmorum; ubi fratres non loquuntur, nec ipse verbum facit (*Consuetud. Udalrici l.* 3. *c.* 22. *P. L.* 149, 764). *Similia habent Consuetudines Hirsaugienses. l.* 2. *c.* 51. *P. L.* 150, 1112.

S. Caritatis zelus erga animas sive caritas apostolica.

Concil. Provinc. Pragense (*a.* 1860) : Prout orationis fervor, ita laboris quoque patientia et assiduitas regulares decet. Non minus ista, quam silentium vel paupertas, *bene ordinatum monasterium* monstrat, in quo videlicet *sanctae caritatis zelus* cum sui abnegatione conjungitur. Et quum multa sit messis, operarii autem pauci, adeo, ut ipse

Digitized by Google

mundus fervidos labores religiosorum exspectet, prout haec praerogativa iis inde ab omni tempore fuit, ita etiam nostris diebus *ignis caritatis et zeli pro regno Dei* ardere pergat et inardescat magis in familiis Deo sacratis. Dum *misericordiae et eleemosynae opus omnibus incumbit*, dum specialem *aegrotorum et infantium curam peculiares sibi proponunt congregationes;* ad alios, ut plurimum, spirituale magis *ministerium* pertinet, agri Dominici cultura et spiritualium morborum sanatio. — « *Agri Dominici culturam* » ut bene adimpleant, *studia literarum in monasteriis vigeant* oportet. Hortamur quam maxime religiosos, ut secundum modum, quo *ad instruendam juventutem*, ad *praedicandum* verbum divinum, ad *auxilia curae animarum* vel etiam ad *claustralem scientiarum cultum* vocantur, sedulissime eas cognitiones sibi comparent, quibus muneri suo veritatisque profectui et augmento consulere possint. Superiores praesertim curent, ut *novitii* bene educentur et instituantur..., ut dein, qui *clerici* sunt et ad sacerdotium adspirant, solidâ, sufficienti, imo et ampliori theologiae scientiâ imbuantur, ceteris autem non carentes praeparationibus, quae ad alia fors magistrorum officia requiruntur (*Decret. tit. 7. c. 4*).

Concil. Prov. Strigoniense (*a.* 1858) : Pro coronide, Superiores conventuum, vos graviter monemus, hortamur et obsecramus, ut religiosi viri, vestrae curae crediti, serio meditantes vocationem, quâ vocati sunt, digne ambulent in eâ... Omni vero vigilantiâ prospicite, ut... *officia sua rite impleant studeantque ea evolvere et condiscere, quae* ad sacramentum poenitentiae recte administrandum *requiruntur*, nec minus, quae ad verbum Dei fructuose annuntiandum et ad frangendum parvulis per explanationes catecheticas panem sacri canones opportune constituerunt (*Tit. 7*). — *Ad sacrarum litterarum studia diligenter omnes incumbant*, ut, quod ipsi Deo obsequium debent, rite praestare et alios in viam Domini dirigere sedulo valeant (*Tit. 6. 1. n. 12*). — Qui errores expugnare, dubia solvere, veritates divinas explanare et securam aeternae salutis viam docere tenentur, in

Digitized by Google

eruditione praesertim sacrâ continuo proficiant est necesse, parati semper ad satisfaciendum omni poscenti rationem de eâ, quae in nobis est, spe (*I. Petr.* 3, 15)... « *Quia tu scientiam repulisti*, ait Dominus, *repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* » (*Tit.* 6, 3).

Concilium Provinc. Ultrajectense (*a.* 1865) : *Vigeant* profecto oportet *in monasteriis litterarum ac severiorum disciplinarum, praesertim sacrarum studia*, quae omni aetate in iis floruerunt et per quae factum est, ut ex iisdem viros doctrinâ eminentes ac strenuos operarios *pro agri Dominici culturâ* Ecclesia constantissime habere potuerit (*Tit. 7. c.* 2).

Congreg. Bursfeld.: Dabunt operam Abbates, ut secundum timorem Dei ii soli *curam animarum exerceant*, de quibus securi sint, quod *longâ religiosâ conversatione educati sciant Deo vivere et salutem suam et aliorum operari*, qui scientiâ et doctrinâ polleant, qui ad divina et regularia alacres se probarint, qui in conventibus non inquieti, Abbatibus aut Fratribus oneri non fuerint, sed humiles et obedientes suae vocationi intenderint, de quibus confidenter sperari possit, quod odore bonae conversationis Ecclesiam Christi Ordinemque S. Benedicti repleturi sint (*Distinct.* 8. *c.* 1). — *Qui animarum suscipit curam*, sit *eâ indole, moribus et scientiâ instructus*, ut animas Deo lucrari, devotionem augere et stabilire possit, qui et studeat eo magis praelucere et prodesse, quo majorem ad vitam religiosam habet obligationem et ad animarum salutem procurandam se disponendi in Monasterio habuit occasionem (*Distinct.* 8, *c.* 2).

Congreg. Argentinens. : Quia *ad sacerdotis officium* pertinet, ligare et solvere, ubi auctoritas et scientia requiritur, injungimus Praelatis, ut non *eligant presbyteros monachos* ad audiendas confessiones saecularium, nisi eos tantum fratres, *de quorum probitate et sufficienti scientiâ fuerint securi.* — Illos eligat Abbas cum consilio Superiorum claustralium et professoris, ut sint *clerici, de quorum vitâ, moribus et doctrinâ securus sit*, seu quos manifestum est

Digitized by Google

vitâ rectâ incedere; exacteque observet illum D. Apostoli per Spiritum S. emissum praeceptum : « *Manus cito nemini imposueris neque communicaveris peccatis alienis* » (*ex Cap.* " *Miramur* " *distinct.* 63). — Caveant etiam Abbates, ne religiosos *ad ordines promoveant*, antequam per aliquot annos in disciplinâ regulari fuerint eruditi (*Declar. ad c.* 62. § 2 *et* 3).

Caritas apostolica.

Congreg. Suevica : Qui *curam* habent *animarum*, officii sui partibus ne desint, sed *pio* potius, *prudenti* et *discreto zelo* promovendae proximorum saluti, universi in ipsis ad religiosae virtutis et christianae pietatis progressum provehendis atque incitandis omnem operam, curam et studium suum conferant (*P.* 2. *c.* 3. *punct.* 2). — Saepius *in memoriam sibi revocent, se curam gerere animarum*, quas Deus Unigeniti Filii sui *pretiosissimo sanguine* morteque acerbissimâ e diabolicae servitutis jugo redimere coelisque vindicare voluerit. Agnoscant proinde, quanto studio et industriâ par sit se incumbere ad earum lucrum, quas summa Dei bonitas tam immenso prosecuta est amore. — *Caritate* igitur *in Deum et proximum succensus*, animarum studiosus zelator *carâ sanctâque intentione promovendi Dei honorem proximique salutem*, muneris sui partes non minori diligentiâ quam promptitudine explere satagat, omnibus semper servire paratus, *nec tam verbo quam vitae morumque integritate viam ipsis ostendens* consequendae aeternae salutis. — In administrandis *Sacramentis* accurate observet ceremonias in Rituali praescriptas, eaque cum magno pietatis sensu conferre annitatur, ut aedificentur adstantes et ipsi pariter debitam venerationem ss. Sacramentis exhibere consuescant. — Cum ad ipsius denique officium spectet, *morientes* sacrosanctis Ecclesiae sacramentis Christiano ritu ad aeternitatis viam praemunire atque ad bene moriendum disponere, Christianae caritatis impulsu et affectu ea sibi paret et in promptu habeat monita et documenta, quae ipsi in tam momentoso aeternae salutis negotio usui, morientibus solatio et adstantibus aedificationi esse possint. — Cum his temporibus in monasteriis nostrae Congregationis Dominicis

Digitized by Google

praesertim et festivis diebus magnus soleat esse *confiteri volentium accursus*, Abbas praeter confessarios pro suo conventu designatos aliquos constituet, qui... ob majus Dei obsequium et proximorum salutem et aedificationem in tam salutare opus se totos impendant, et vocati ad Ecclesiam quam primum se conferant, ut citius expediri ac praesertim de longe venientes cum gaudio et solatio ad sua remeare possint (*P.* 3. *c.* 3).

Praedicandi munus.

Concilium Prov. Coloniens. (1860) : Gravissimum sane et plane *eximium sacri oratoris est munus. Originem enim si attendis*, Prophetarum, Apostolorum ipsiusque Christi premit vestigia; si *finem*, Dei omnipotentis gloriam et animarum provehit salutem; si *res* quas enuntiat, divina pandit mysteria; si *illos, ad quos loquitur*, animae immortales et Christi sanguine redemptae vocem ejus auscultant; si *adversarios*, contra quos nitendum est, portae inferi validissimas objiciunt acies; si *auxilia*, quibus juvatur, Ecclesia opem divinam implorat, Spiritus Sancti gratia, Christus Ipse praesto est; si denique laborum *praemium : « Fulgebunt... qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates »* (*Dan.* 12, 3. *Tit.* 2. *c.* 21).

Concilium Prov. Viennense (*a.* 1858) : *S. Gregorius Nazianzenus* insignem inter Ecclesiae Doctores locum tenens *verbi Dominici dispensatores* admonet : « Mihi quidem res minime vulgaris parvique spiritus esse videtur, verbi perinde ac tritici mensuram tempestive cuique dare et dogmatum nostrorum veritatem cum judicio dispensare; praesertim apud multitudinem, quae ex variis aetatibus animique affectionibus conflata est ac in modum musici cujusdam instrumenti multitudinis constantis variis pulsibus opus habet, difficile est ejusmodi orationem invenire, quae omnes concinnare ac scientiae lumine collustrare possit » (*Orat.* 2. [*alias* 1]. *n.* 35, 39)... In sancto hoc et salutari ministerio non de auctoris gloriâ quaerendâ, sed de grege Christi pascendo agitur, et laudem merentur, qui fidelibus profutura formicarum ad instar undique comportant (*Tit.* 4. *c.* 4).

Digitized by Google

Concilium Prov. Colocense (*a.* 1863) : Omnino *necesse est, sacerdotes fundatâ et solidâ rerum divinarum cognitione esse subactos* et expeditos ad docendum et arguendum et erudiendum omnes, propter quos missi sunt, ut haereditatem capiant salutis... Oportet namque illos, quos Deus misit in mundum universum praedicare Evangelium omni creaturae, et *instare ministerio verbi opportune et importune*, formam habere sanorum verborum, quae audierunt in fide (*II Tim.* 1, 13), et sapientiam omnium Sanctorum exquirere, ac meminisse praepositorum suorum, qui locuti sunt verbum Dei (*Ad Hebr.* 13, 7), obarmatos scuto fidei, in quo et ignea tela nequissimi possint exstinguere et arguere, increpare, obsecrare et in omni doctrinâ refellere eos, qui pro luce, ut ait *S. Bernardus*, tenebras effundunt et pro melle venenum propinant, novum cudentes populis evangelium (*Decr. tit.* 4. *c.* 6).

Conversio gentium.

Pius Pp. IX : Constans saeculorum historia, voce, argumentis omnibus potiore, docet, quomodo *per monachos S. Benedicti diffusa* fuerit *christiana religio*, et ejus ope barbarae *gentes ad civilem ordinem compositae*, cicurati mores, leges datae, propagatae litterae ac scientia, artes excultae, agricultura provecta, mutuae populorum amicitiae et commercia conciliata, ac innumera parta hominibus beneficia (*Breve apost. missum ad Rssm Dom. Freppel, episc. Andegavens. die* 10 *april.* 1876).

Missale Rom.: Deus, qui omnes homines vis salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire : mitte, quaesumus, operarios in messem Tuam, et da eis cum fiduciâ loqui verbum Tuum ; ut sermo Tuus currat et clarificetur, et omnes gentes cognoscant Te solum Deum verum, et quem misisti JESUM CHRISTUM Filium Tuum Dominum nostrum (*Or. Missae vot. pro Fidei propag.*).

Puerorum educatio.

Leo XII : Quoniam Nobis maxime cordi est, ut ex hac novâ monachorum Ordinis *S. Benedicti* Congregatione (Brasiliensi) multa praesertim spiritualia commoda et utilitates

Digitized by Google

in universam Brasiliensem nationem queant promanare, in certam erigimur spem, quod ipsius Ordinis alumni, majorum suorum illustria sectantes exempla, humanarum divinarumque litterarum studiis diligentissime incumbendo, *adolescentes sacris imprimis instruant disciplinis.* Atque idcirco avide exoptamus, ac Nobis et huic S. Sedi gratissimum erit ac summopere commendabile, quod *monasteriorum scholae pateant exteris quoque adolescentibus*, ita ut ipsi pro addiscendis philosophicis et theologicis disciplinis ad coenobia in Brasileensi imperio existentia facile possint accedere, quemadmodum summo cum reipublicae commodo in pluribus Europae regionibus a Benedictinae familiae alumnis praestari semper in more positum fuit (*Constit.* « *Inter gravissimas* » a. 1827. § 8).

Consuetudines Cluniacenses: Saepenumero videns, quo studio *pueri* die noctuque custodiantur, dixi in corde meo, difficile fieri posse, ut ullius regis filius majori diligentiâ nutriatur in palatio, quam puer quilibet minimus in Cluniaco (*L.* 3. *c.* 8. *P. L.* 149, 747).

Caritatis opera sint monacho convenientia.

Concil. Prov. Pragense (*a.* 1860): *Quaecunque necessitas* saeculum premat, quaecunque indigentia operam fratris exoret, *in claustris inveniat primos et paratissimos auxiliatores.* Ne autem, quum ad omnia sese extendere vellet, insufficientior foret facultas virium, regulares probe discernant, in quâ potissimum parte *secundum Ordinis sui institutum* operam debeant collocare; huic vero impensissime se dedicent et tradant (*Tit.* 7. *c.* 4).

Non repugnent claustrali vitae.

Benedictus XII. (*de a.* 1336): Ordinamus et volumus, *Lateranensis Concilii* « de Monachis singulis per villas vel oppida et parochiales ecclesias non ponendis, » et supradictam *Clementis* praedecessoris nostri editam in dicto *Concilio Viennensi* Constitutionem, ne ipsi singuli Monachi in singulis sibi commissis administrationibus vel Prioratibus habitare praesumant, firmiter observari. — (Contra ea) in Prioratibus seu administrationibus, cum Prioribus seu administratoribus

Digitized by Google

commorantes, in ecclesiâ horis congruis et locis cum dictis Prioribus seu administratoribus simul sint et canonicas horas dicant. Et in Missis celebrandis suas hebdomadas ordinare, ac tractim, non syncopando, humiliter et devote, horis competentibus et cum notâ, ubi fuerint tres vel quatuor vel plures, facere teneantur, et in talibus locis, ubi tres aut supra sunt, una per eos Missa ad minus cum notâ quâlibet die celebretur.... In domo insuper unâ Prior et Monachi vescantur. In vestitu, lectisterniis et tonsurâ a communi institutione vel debitâ observantiâ non recedant..... Soli quoque nunquam incedant, sed semper cum alio Monacho vel aliâ honestâ personâ. In villâ vero, in quâ fuerint Prioratus vel administrationes hujusmodi, comedere seu bibere vel domos ingredi non praesumant, nisi cum honestis personis, et hoc de sui Prioris vel administratoris licentiâ speciali (*Constit.* "*Summi Magistri*" *ann.* 1336, *c.* 25).

Concil. Prov. Ultrajectense (*a.* 1865): Illud urgendum atque inculcandum haec Synodus ducit, religiosos parochiali ministerio addictos ne praetereat unquam, se, quantum pro suscepto officio licet, non solum ad votorum, sed ad universae Regulae, quam professi sunt, observantiam ligatos constanter atque omnino esse, neque adeo ultra id, quod animarum cura requirit, posse se dispensatos reputare (*Tit.* 7. *c.* 3).

Concil. Prov. Avenionense (*a.* 1849): Quando quidem *Regulares non modica subsidia Ecclesiae militanti* jam a tanto tempore praestiterunt, et nunc etiam eadem atque plura alia religioni catholicae praestare possint, tum praebendo omnium *virtutum exempla* tum pro salute mundi *preces effundendo* tum suscipiendo et *exsequendo omnis generis operas*, sive ad misericordiae et caritatis exercitium pertineant, sive ad gloriam Dei, zelum animarum, et scientiarum cultum conducant, hortamur eos omnes, ut semper nobis, *in agro Domini excolendo, pios auxiliatores et strenuos cooperatores* sese exhibeant (*Tit.* 7. *c.* 1).

Digitized by Google

Concil. Provinc. Colocense, (*a.* 1863) : Cum primis hisce luctuosis, in quae delapsi sumus, temporibus, ubi princeps hujus mundi regnum suum omnium virium contentione stabilire nititur, *ad proelia Domini proelianda omni spiritualis militiae genere opus est*, quae velut *acies bene ordinata* super muros Jerusalem dies ac noctes excubet et dum *alii proelia cominus miscent, alii Moysis adinstar in monte sancto elevatis in coelum oculis et manibus* pugnantium robur ab alto sustentent et victoriam crucis, quae vincat mundum, accelerent (*Tit.* 5. *c. unicum*).

Viri orationis monachi.

Concil. Prov. Viennense, (*a.* 1858) : Si Deus et Redemptor noster aliquem vocare dignetur, qui cum Mariâ, caritatis Mariae aemulus, ad pedes Ejus sedeat, *optimam* huic *partem* cessisse confitemur ; imo *deprecationibus et obsecrationibus Ecclesiae magis, quam alii frequentissimo ministerio, prodesse potest.* Deus enim virum quaerit, qui interponat sepem et stet oppositus contra Ipsum pro terrâ, ne dissipet eam, et utinam inveniat (*Tit.* 5. *c.* 3).

Concil. Prov. Burdigalense, (*a.* 1856) : Testes sumus, *tam societatis quam Ecclesiae bono, Ordinis monastici segetem* inopinam succrevisse ; gratumque fuisse aeque et *proficuum totius Provinciae plebi*, redivivos demum salutares Ordines, antiqua conspicere sacri habitus insignia, illudque *claustralis observantiae* perenne decus, quasi *tacita obedientiae, paupertatis castitatisque hortamenta*, quibus et sublimioribus potestatibus crescit auctoritas, et pauperrimae plebi praesto sunt *exempla ac solatia*, et ceteris omnibus inculcatur id, quod aegrotanti saeculo interque delicias diffluenti, sola medela est, Christo configi cruci. Novimus enimvero sive sodalitia recentia sive *vetustissimos Ordines* sic aequo bonoque animo fidelibus acceptos fuisse, ut promptius in haec saeculi praejudicia non descenderint, nempe : aut suum effluxisse tempus, locumve deesse Ordinibus antiquioribus, quippe qui e contra religionis et Ecclesiae testes eo locupletiores sunt, quo diutius et floruere ; aut obstare bono

Digitized by Google

religiosam varietatem, quâ potius ostenditur gratiae Dei ubertas captandisque animis effusa abundantius charismata ; aut inutilem esse *vitam contemplationi addictam et poenitentiae*, quam tamen Angelicus Doctor ideo maxime ait esse *activâ potiorem*, quia vita contemplativa est secundum divina, vita autem activa secundum humana (*II.* 2. *qu.* 182. *art.* 1). (*Tit.* 1. *c.* 10).

Mira Religionis ubertas.

Concil. Rhemense, (*a.* 1849) : *Vitae religiosae excellentiam testantur et antiquissima illius origo*, ad primam Ecclesiae aetatem referenda, *et mira Ecclesiae fecunditas*, quae omnibus fere saeculis sacram hujusmodi prolem aut genuit, aut amplificavit ; *testantur innumera opera meritaque* sanctarum societatum, quae precibus, mortificatione, doctrinâ, sudoribus ipsâque sui sanguinis effusione *ad extremas usque orbis partes* JESU CHRISTI *nomen et imperium portaverunt*, nostroque etiam tempore de die in diem propagant ; *testatur denique numerosissimus ille Beatorum chorus*, qui, religiosae vitae parentes aut filii, praeclarissimis virtutibus aeternam gloriae coronam obtinuerunt. Nihil proinde veneratione magis dignum habemus, quam eximios virorum illorum aut mulierum coetus, suae institutionis spiritum aut integre custodientes aut fervide renovantes, quorum pietas caritasque tantam populo christiano aedificationem et Pastoribus consolationem afferunt (*Tit.* 16. *c.* 1).

Pius Pp. IX : Nemo ignorat vel ignorare potest, *Religiosas familias* vel a primâ earum institutione *innumeris paene claruisse viris*, qui omnigenae doctrinae atque *eruditionis copiâ* insignes omnium *virtutum ornatu* et *sanctitatis gloriâ fulgentes* amplissimis quoque *dignitatibus illustres* atque ardenti in Deum et homines amore flagrantes et *spectaculum facti mundo, Angelis et hominibus*, nihil aliud in deliciis habuere, quam omni curâ, studio, contentione in divinarum meditatione dies noctesque haerere, mortificationem JESU in corpore suo circumferre, *catholicam fidem ac doctrinam* a solis ortu usque ad occasum propagare ac pro ea fortiter pugnare et cujuscumque generis

Digitized by Google

acerbitates, tormenta, supplicia alacriter perpeti ac vitam ipsam profundere, *rudes barbarosque populos* ab errorum tenebris, morum feritate, vitiorum coeno ad Evangelicae veritatis lucem omnemque virtutis et civilis societatis cultum traducere, *literas, disciplinas, artes* excolere, tueri atque ab interitu vindicare, teneras *juvenum* mentes et cerea corda ad pietatem et honestatem mature fingere sanisque doctrinis imbuere, *errantes* ad salutis tramitem revocare. Neque id satis; namque induti viscera misericordiae, *nullum est heroicae caritatis genus, quod cum propriae etiam vitae discrimine ipsi non exercuerint*, ut captivis, carcere inclusis, aegrotantibus, morientibus cunctisque miseris, egenis, periclitantibus opportuna *quaeque christianae beneficentiae et providentiae subsidia* amanter praebere, eorumque dolorem lenire, lacrymas detergere, ac necessitatibus omni ope et operâ consulere possent (*Const.* " *Ubi primum* " *a.* 1847).

Sancti et Doctores.

Perfectionis summa est caritas.

S. Bernardus, Abb. Claraevallens. Doct. Eccl. († 1153) : Vide, quo modo, imo *quam sine modo a nobis Deus amari meruerit;* qui prior et Ipse dilexit nos, tantus et tantum et gratis, tantillos et tales. En, quod dixi, modum esse diligendi Deum, sine modo diligere. Denique cum dilectio, quae tendit in Deum, tendat in immensum, tendat in infinitum (nam et infinitus Deus est et immensus); *quinam*, quaeso, *debeat finis esse nostri vel modus amoris?* Quid quod amor ipse noster non jam gratuitus impenditur, sed rependitur debitus? Amat ergo immensitas, amat aeternitas, amat supereminens scientiae caritas; *amat Deus*, cujus « *magnitudinis non est finis* » (*Ps.* 144, 3), cujus « *sapientiae non est numerus* » (*Ps.* 146, 5), cujus « *pax exsuperat omnem intellectum* » (*Phil.* 4, 7) : et vicem rependimus cum mensura? « *Diligam te, Domine, fortitudo mea, firmamentum meum et liberator meus* » (*Ps.* 17, 2, 3), et meum denique, quidquid optabile atque amabile dici potest. Deus meus, adjutor meus,

Digitized by Google

diligam Te pro dono Tuo et modo meo, minus quidem justo, sed plane non minus posse meo; qui etsi quantum debeo non possum, non possum tamen ultra, quam possum. Potero vero plus, cum plus donare dignaberis; nunquam tamen prout dignum haberis. « *Imperfectum meum viderunt oculi tui;* » sed tamen « *in libro tuo omnes scribentur* » (*Ps.* 138, 16), qui quod possunt faciunt, etsi quod debent non possunt. Satis, quantum reor, *apparet, et quonam modo Deus diligendus sit, et quo merito suo.* Quo, inquam, merito suo; nam quanto, cui sane appareat? quis dicat? quis sapiat? (*L. de diligendo Deum c.* 6. *P. L.* 182, 983).

Petrus Blesens. (de Blois), Cancellar. et Archidiac. Bath. in Anglia († *c.* 1200): De hâc ineffabili unione, de quâ Filius dicit: « *Ego et Pater unum sumus* » (*Joan.* 10), emanavit quaedam communio amoris in *Angelos*, in quâ per Filium et Spiritum firmati sunt, sicut scriptum est: « *Verbo Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris Ejus omnis virtus eorum* » (*Ps.* 32). Propterea in eis est idem velle, idem nolle; ideo amantur singuli a singulis et a singulis universi. Ad instar communionis Angelicae « *diffusa est Dei caritas in hominum cordibus per Spiritum S.* » (*Rom.* 5). Sic enim Dominus per Joëlem quandoque promisit: « *Effundam*, inquit, *de Spiritu Meo super omnem carnem* » (*Joël.* 2). Hujus Spiritus communicatio procedit in hominum corda, ut, quae propria sunt unius, fiant aliis ex caritate communia. Quod B. Petrus insinuans ait: « *Unusquisque sicut accepistis gratiam ad alterutrum administrantes* » (1 *Petr.* 4); *si quis loquitur, sicut sermones Dei; si quis ministrat, sicut ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus.* » Ab hoc ineffabili fonte Summae et Individuae Trinitatis derivationem accepit ista communio, et in unitate Spiritus, fidei et baptismi Ecclesia primitiva fundata est, sicut Apostolus breviter tangens: « *Unus*, inquit, *Spiritus, una fides, una anima, unum baptisma* » (*Ephes.* 4). In hâc autem communicatione Spiritus, fidei et baptismi « *erat multitudinis credentium cor unum et anima una.* » Ecce intima unio cordium et identitas

A Deo amor manat in Angelos et homines.

Caritas omnia unum facit.

Digitized by Google

voluntatum; « *nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia; dividebatur autem singulis, prout unicuique opus erat* » (*Act.* 4). (*Opusc. de car. Dei et prox. c.* 35. *P. L.* 207, 933).

Caritas est omnia in omnibus.

Joan. Trithemius, Abb. Spanheimens. (✠ 1516): *Nihil adeo monacho prodest ut caritas Dei;* quam si habuerit, felix erit, si vera fuerit et perseverans... *Caritas* in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis est, in temporalibus ditissima, in hospitalitate latissima, inter bonos fratres laetissima, inter falsos patientissima. In *Abel* per sacrificium laeta, in *Noe* per diluvium secura, in *Abrahae* peregrinatione fidelissima, in *Moyse* inter injurias laetissima, in *David* tribulationibus mitissima. In *tribus pueris* blandos ignes innocenter spectat, in *Machabaeis* saevos ignes tolerat, casta in *Susannâ* super virum, in *Annâ* post virum, in *Mariâ* praeter virum. Libera in *Paulo* ad arguendum, humilis in *Petro* ad obediendum, humana in *Christianis* ad confitendum, diurna in *Christo* ad ignoscendum. Quid dicam de caritate? « *Si linguis hominum loquar et Angelorum, caritatem autem non habeo, nihil sum.* » Ipsa enim est anima litterarum, philosophiae virtus, sacramentorum salus, scientiae stabilimentum, fidei fructus, divitiae pauperum, vita morientium. « *Deus caritas est, et qui manet in caritate in Deo manet et Deus in eo.* » Salus, pax cordium, laetitia mentium, virtus animorum, tranquillitas conscientiarum, vestis electorum, *decus monachorum* est ipsa caritas, quae Deus est. *Nulla religio subsistere potest*, nulla virtus Deo placet, nullum opus bonum judicatur, *si in caritate non solidatur.* Radix ergo omnium bonorum est caritas, et ideo merito in numero mandatorum Dei ponitur prima (*Comment. in c.* 4. *Reg. S. Bened.*).

Ejus laus.

Caritas in Deum et proximum.

S. Gregorius M. (✠ 604): *Sunt nonnulli, qui* tantâ *Dei ac proximi dilectione pleni* sunt, ut « *Cherubim* » jure nominentur. Quia enim Cherubim « *plenitudo scientiae* » dicitur, et Paulo dicente didicimus, quia « *plenitudo legis est*

Digitized by Google

caritas, » omnes, qui Dei et proximi caritate ceteris amplius pleni sunt, meritorum suorum sortem inter Cherubim numeros perceperunt. *Et sunt nonnulli, qui supernae contemplationis facibus accensi*, in solo Conditoris sui desiderio anhelant, nihil jam in hoc mundo cupiunt, solo aeternitatis amore pascuntur, terrena quaeque abjiciunt, temporalia cuncta mente transcendunt, amant et ardent atque in ipso ardore requiescunt; amando ardent, loquendo et alios accendunt, et quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt; hi inter *Seraphim* numerum sortem suae vocationis acceperunt (*Hom.* 34. *in Evang. n.* 11. *P. L.* 76, 1253). — Tunc *ad alta caritas admirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit;* et quo benigne descendit ad infima, valenter recurrit ad summa (*Regula past. p.* 2. *c.* 5. *P. L.* 77, 33). — Nemo, cum quempiam diligit, habere se protinus caritatem putet, nisi prius ipsam vim suae dilectionis examinet. Nam si quis quemlibet amat, sed *propter Deum* non amat, caritatem non habet, sed habere se putat (*Hom.* 38 *in Evang. n.* 11. *P. L.* 76, 1289).

S. Basilius M., Ep. Caesar. Capp. († 379): Qui Dominum amat, consequens est, ut proximum quoque diligat. « *Qui enim diligit Me,* » inquit Dominus, « *mandata Mea servabit* » (*Joan.* 15, 23). Ait autem: « *Hoc est praeceptum Meum, ut diligatis invicem, sicut Ego dilexi vos* » (*Joan.* 15, 12). Ac rursus, qui amat proximum, ei ipsi, quae Deo debetur, caritati satisfacit, cum Ipse recipiat in se hanc beneficentiam. Quâpropter fidelis Dei servus *Moyses* tantum erga fratres ostendit amorem, ut etiam ex Dei libro, in quo fuerat inscriptus, deleri voluerit, si peccati venia populo non concederetur. *Paulus* vero pro fratribus suis cognatis secundum carnem anathema esse a Christo optare ausus fuit, quippe qui Domini exemplo fieri se salutis omnium pretium cuperet, simulque nosset, fieri non posse, ut a Deo abalienaretur, qui ob Ejus amorem gratiam Dei abjecisset, servandi maximi mandati causa, imo ob id multa plura, quam quae dedisset, recepturum esse (*Reg. fus.* 37. *n.* 2. *P. Gr.* 31, 918).

Digitized by Google

Amor Dei amorem proximi generat.

S. Laurent. Justinianus, Patriarch. Venet. († 1455.): Quanto quis magis attigerit ad perfectionem, tanto magis per compassionem proximi pro salute se deserit. Nam *qui amare proximum negligit, profecto diligere Deum nescit*, et tunc plenius in Dei dilectione proficimus, cum in Ejus dilectionis gremio, proximi prius caritate laetamur. *Amor Dei amorem proximi generat, et amorem proximi calefacit amor Dei.* Tunc enim ad summam perfectionem Dei caritas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit, et quo benignius descendit ad ima, eo perfectius recurrit ad summa (*De ligno vitae, tract. de carit. c.* 14).

Proximus in Deo diligendus.

S. Bernardus : Ut perfecta justitia sit, diligere proximum, Deum in causâ haberi, necesse est ; alioquin proximum pure diligere quomodo potest, qui in Deo non diligit ? Porro *in Deo diligere* non potest, qui Deum non diligit. Oportet ergo Deum diligi prius, ut in Deo diligi possit et proximus (*De dilig. Deo c.* 8. *n.* 25. *P. L.* 182, 988).

Virtutes e caritate prodeunt.

S. Gregorius M. : Ut multi arboris *rami* ex unâ radice prodeunt, sic *multae virtutes ex una caritate* generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non permaneat in radice caritatis (*Hom. 27. in Evang. n.* 1. *P. L.* 76, 1205).

Caritas bona opera gignit.

S. Laurent. Justin. : *Ubi est caritas, ibi est bonorum operum fecunditas ;* in illâ tanquam in *radice* virtutes universae insertae sunt. Vivunt prorsus, quamdiu in dilectionis radice subsistunt. Succide *radicem*, et repente *rami* fructus exsiccantur et folia (*De triumph. Christ. agone c.* 14).

Caritas virtutum vis et medulla.

Richardus a S. Victore, can. regular. († 1172 : *Caritas* non tam virtus potens quam *virtutum potentia* dicenda est, eo quod ab illâ omnes accipiant, ut vere virtutes sint. Haec vita fidei, spei robur, et *omnium intima vis, et medulla virtutum.* Haec est, quae vitam ordinat, affectus inflammat, actus informat, excessus corrigit, mores componit, valens ad omnia et omnibus praevalens, quae ipsam quoque omnipotentiam quodammodo reddit impotentem. Nonne haec est, quae in *Moyse* divinae justitiae et potentiae

Digitized by Google

obstans praevaluit in fortitudine? « *Dimitte Me*, inquit, *ut irascatur furor Meus contra populum istum* » (*Exod.* 32). Audis « *dimitte Me*, » et Deum teneri non dubites, nec aliunde, quam amoris fortitudine (*Tract. de grad. caritatis c.* 1. *P. L.* 196, 1197).

Caritas instar arcae foris et intus linitae.

S. Petrus Damianus, Card. et Doct. Eccl. (✠ 1072): Fratres carissimi,... *in fraternâ caritate persistite*, in mutui amoris studio adversus antiqui hostis insidias unanimiter conspirate! *Tota sanctae operationis vestrae machina in caritatis se basibus erigat;* omne, quod construitis aedificium, ex vivis virtutum lapidibus sincerae dilectionis glutino coalescat! *Arcam* quippe, quae octo animas inter cataclysmi fluenta continuit, *intrinsecus et extrinsecus liniri bitumine* vox divina praecepit. Sancta scilicet *Ecclesia*, quae ad resurrectionis gloriam tendit, sic *intus, et extra bitumine linitur*, ut et foris blandiatur in fraternâ dulcedine, et intus cohaereat *in dilectionis mutuae veritate.* Quisquis enim intus amat, sed foris a fratribus morum inconsonâ asperitate discordat, intrinsecus quidem bitumen habet, sed extrinsecus non habet. Quisquis vero se specie tenus affabilem praebet, amicitiam simulat, sed in cordis occulto veritatem amicitiae non conservat, damnabiliter intus hiat, cum forinsecus superducti bituminis simulatione cohaereat. Quorum videlicet a diluviali naufragio neuter eripitur, quia *duplici caritatis bitumine*, ut divinitus praeceptum est, non munitur. Qui autem *se et foris praebet amabilem, et intus conservat amantem*, foris cum ramis verbi fructus exhibet beneficii; intus alte radicem figit, quia medullitus diligit; hic profecto et intus et extra bitumine linitur, quia duplici caritatis glutino cum proximis foederatur (*Opusc.* 13. *c.* 24. *P. L.* 145, 326).

Caritas omnes complectitur.

Ven. Hildebertus, mon. et Archiep. Turonens. (✠ 1135): *Caritate nihil est diffusius.* Par enim latitudo est et caritatis et mundi; caritas amplectitur, quidquid oceanus. Caritas in sacrario dilectionis et amicum colligit in Deum et inimicum propter Deum. Eadem diligere non desinit, cum

Digitized by Google

diligi desinatur; omnes habet praesentes, omnes affines; quibus non potest obsequio, subvenit affectu,... quae unam rempublicam terram fecit et coelum (*L.* 2. *ep.* 9. *P. L.* 171, 217).

Pars est imitationis J. Chr.

S. Joan. Chrysostomus, Archiep. Constantinop. et Doctor Eccl. (✠ 407): Nihil adeo potest nos *Christi imitatores* efficere, sicut *erga proximum cura.* Licet jejunando, humi dormiendo corpus maceraveris, nullam autem proximi curam habueris, nihil egregium feceris, sed adhuc longe a Christi abfueris imitatione (*Hom.* 25. *sup.* 1 *Cor. n.* 3. *P. Gr.* 61, 208).

Ex caritate lex pendet monastica.

Petrus Venerabilis, Abb. Cluniacens. (✠ 1158): Habes institutionum tuarum *Benedictum* auctorem, *qui ad finem caritatis universa scripta sua redigi praecepit, et animarum saluti inservire.* — Regula S. Patris ex illâ sublimi et generali caritatis regulâ pendet, *ex quâ et in quâ* juxta Veritatis verba *universa lex pendet* et Prophetae. Quod si universa lex, tunc et illius *Regulae lex.* Monachus ergo Regulam S. Patris Benedicti profitens, tunc eam vere servat, quando caritatis legem ubique conservat (*L.* 4. *ep.* 17. *n.* 17. *P. L.* 189, 330).

Caritas finis monachi.

Haeftenius, Praeposit. Affligen. (✠ 1648): *S. Benedictus* penultimo capite Regulae suae, velut nobilem coronidem operi suo impositurus, rursus de *caritate erga Deum et proximum* agit, ut ostendat hunc esse *totius Regulae suae finem et scopum.* Inscripsit autem caput: « *De zelo bono, quem debent habere monachi.* » Zelus autem, ut Angelicus Doctor ait, « est amor intensus, non patiens consortium in re amatâ. Unde legislator hunc exerceri vult ferventissimo amore, ita « *ut caritatem fraternitatis casto impendant amore; Abbatem suum sincerâ et humili caritate diligant, et Christo omnino nihil praeponant* » (*c.* 72. *S. Reg.*). Quibus verbis insinuat caritatem habendam erga aequales, superiores, atque erga Deum Opt. Max. Quibus quidem Regulam claudens, testatum reliquit, omnia praecedentia praecepta eo spectasse, ut ad caritatem deducerent (*Disqu. monast. l.* 2. *tract.* 7).

Digitized by Google

Trithemius : *Pulchrum ornamentum est monachi dilectio fraternitatis.* Diligamus ergo non verbo, sed opere et veritate ; nam *probatio dilectionis exhibitio operis est.* Hoc instrumentum boni operis SS. Pratres nobis reliquerunt, qui adeo se in Domino dilexerunt, ut unusquisque mallet alterius subesse imperio, quam suo ; quia caritas « *non quaerit, quae sua sunt,* » sed quae JESU CHRISTI. Monachus autem, cui haec operum bonorum describuntur instrumenta, *studeat, omnes diligere in Domino,* orando pro eis, affectum etiam dilectionis, si ei licet, operum ostendat effectu, honorans imaginem Dei in creaturâ sibi compari. *Neminem oderit praeter vitia,* nemini sit onerosus, sed diligat universos (*Comment. in Reg. S. Bened. c. 4. 2. instrum.*). — *Caritas fraterna* mores componit claustralium, et Deum habitare facit in medio monachorum. *Caritas mutua* confirmat obedientiam et fructuosam facit fraternam correctionem. *Caritas* monachos in domo Dei facit esse unanimes et in omni bono opere laudabiliter concordes. *Caritas,* quantum potest, se in cunctis humiliat, et infirmanti proximo quasi Dei Filio diligentissime ministrat. *Caritas* proximo nihil improperat, sed infirmitates omnium pro Dei amore semper aequanimiter portat. *Caritas* fraterna legis est consummatio, quoniam quidquid post Dei cultum praecipitur, ad dilectionem proximi refertur (*Hom. 22. de caritate fraterna*).

Monachos fratres et proximos diligit in Domino.

Caritatis exercitium.

S. Anselmus, mon. Archiep. Cantuar. et Doct. Eccl. (✠ 1109) : Cum tibi propono scribere, anima dilectissima animae meae, incertus sum, unde potissimum exordiar allocutionem meam. Quidquid enim de te sentio, dulce et jucundum est cordi meo ; quidquid tibi opto, id est, quod optimum excogitat mens mea. Talem enim te vidi, ut (quomodo, tu scis) te diligerem ; talem te audio, ut (quomodo, scit Deus) te desiderem. Unde fit, ut quocunque tu vadas, amor meus te prosequatur ; et ubicunque ego remaneam, desiderium meum te complectatur. Et cum rogitas me tuis nuntiis, hortaris me tuis litteris, pulsas me tuis donis, ut memor sim tui : « *Adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero*

Exemplum monasticae caritatis

Digitized by Google

tui » (*Ps.* 136, 6) ; si non proposui *Gondulfum* in praecipuis amicitiae meae. Non hic dico Gondulfum laicum meum patrem, sed Gondulfum monachum nostrum fratrem. *Qualiter namque obliviscar tui ?* Is enim, qui cordi meo velut sigillum cerae imprimitur, quomodo memoriae meae subtrahetur ? Praeterea cur, sicut audio, tanto moerore quereris, quod nunquam litteras meas videas, et tanto amore quaeris, ut eas saepe accipias, cum meam conscientiam tecum semper habeas ? Te quippe silente, ego novi, quia « *diligis me;* » et me tacente, « *tu scis, quia amo te* » (*Joan.* 21, 16). (*L.* 1. *ep.* 4. *P. L.* 158, 1068). — Quam enim brevis est vita nostra, tam prope est, ut de ipsius et nostrâ mutuâ praesentiâ jam non amplius divellenda congratulentur ; si, Ipso dante, in omnibus Ille acquiescendo hanc ipsam brevitatem transcurrere vitae curemus. Interim tamen, quaecunque nos locorum vel propinquitas contineat vel longinquitas distineat, *caritas semper unum de duobus nobis animum conficiat* (*L.* 1. *ep.* 11. *ibid.* 1075).

Sanctae amicitiae ratio et forma.

Petrus Blesens.: Sic fovenda est amicitia, ut sit in nostro sermone jucunditas, hilaritas in vultu, suavitas in moribus, et ipso aspectu quaedam oculorum favorabilis et grata jucunditas. Sit enim in honestis rebus crebra collatio et communicatio arcanorum et in alterutris voluntatibus mutua obsequela. Dedit enim nobis Veritas formam, quam sequamur, ut secreta nostra invicem revelemus, et amicorum voluntatem mutuo faciamus, cum ait : « *Jam non dicam vos servos, vos autem dixi amicos, quia quae audivi a Patre Meo, nota feci vobis* » (*Joan.* 15). Et rursum : « *Vos amici Mei estis, si feceritis, quae Ego praecipio vobis* (ibid.). In his verbis, sicut ait B. Ambrosius (*L.* 3 *Offic. c.* 13), *dedit nobis formam amicitiae, quam sequamur*, ut secreta nostra revelemus invicem et amicorum voluntatem alterutram faciamus. Amicitia itaque vicariâ congratulatione nutritur, et si severior amici facies quandoque maturam exhibeat gravitatem, ipsa gravitas tanto commendabilior erit, quanto benignius ad effectum descenderit socialem. Nimirum *lex amicitiae superiorem humiliori conhumiliat*, ut qui ordine, dignitate

Digitized by Google

vel scientiâ praeeminent, pleno humilitatis spiritu minoribus condescendant. (*Tract. de amicitia christ. c.* 18. *P. L.* 207, 887). — Illud dignam annotatione censemus, quod *in proximi dilectione ordo* et gradus eorum, qui diliguntur aut diligunt, saepius variatur. Constat enim, quosdam aliis praeesse, quosdam subesse, alios vero coësse; quosdam etiam prodesse, alios vero obesse. His omnibus *necesse est judicium discretionis* adesse. *Superior* quidem debet inferiorem corripere, et si necesse est ad virtutis opera districte compellere; sit tamen in correptione dilectio, et exhibeatur in coactione compassio. Si vero inferior in ordine suo legitime conversetur, ut ad meliora conscendat, moveri potest, urgeri non potest, nisi salutaribus monitis et exemplis; maxime si superior ad hoc inferiorem anhelare cognoverit proprio desiderio voluntatis. Ad *inferiorem* pertinet consilium in dubiis a superiore petere, reverenter assistere, supplicare devote, humiliter obedire. *Aequalis* suo aequali honesta suggerere debet; in laetis aut tristibus congratulationis vel compassionis affectus impendere, ejus utilitati vel necessitati succurrere, se mutuo fovere sanctis collationibus, et honore invicem praevenire. Eum qui prodest, id est *amicum* tenetur amicus in praecordiis animae et visceribus caritatis amplecti. Eum vero qui obest, id est *inimicum* sustineat patienter, errata clementer indulgeat, diligat eum et impendat illi necessaria propter Deum. *Sic autem diligendus est proximus, ut ratio habeatur ad illum caritatis affectum, quâ supra te diligis Deum.* Nam si Deum non diligis, nec proximum diligis, nec te ipsum. Cum ergo proximum tenearis diligere sicut te ipsum, scias quod ex dilectionis mensurâ, quâ diligis Deum, potes aestimare, quantum proximum diligas vel te ipsum. Porro, qui Deum non diligit, nec se. Si autem non diligit se, nec proximum sicut se. Ideoque ex dilectione Dei potes, quam habes ad te et proximum dilectionem, certâ aestimatione metiri (*Tract. de carit. Dei et prox. c.* 39. *ib.* 938). *Dominus Joanni praetulit Petrum*, non affectum subtraxit discipulo, quem diligebat, *Petro* conferens principatum.

Caritas sit ordinata.

Rationalis et discreta inter amicos ratio.

Digitized by Google

Claves regni coelorum *Petro* contulit, ut coelum aperiret et clauderet (*Matth.* 16), *Joanni* vero nobis aperienda sui arcana pectoris reseravit. *Petro* commisit curam et regnum Ecclesiae suae, *Joanni* vero curam et custodiam Matris suae. *Petrus* ergo sublimior, sed *Joannes* securior. Petrus exponitur actioni, Joannes affectui. *Petro* suam Dominus passionem indicat, praedicens, quod alius eum cingeret et duceret, quo non vellet; de *Joanne* autem dicit : « *Sic eum volo manere, donec veniam* » (*Joan.* 21). Non audet *Petrus* inquirere a Domino, quis eum traderet; *Joannes* autem, innuente Petro, quod Princeps Apostolorum inquirere verebatur, confidenter interrogat. *Tali ergo modestiâ et consideratione tam providâ distribuantur inter amicos officia, ut omnibus praesit ratio, non affectus*, et juxta omnium facultatem, quod unicuique sit portabile aut utile discernatur. Non omnibus tamen aequalis affectio impendatur, quia secundum mores et convictum et merita hominum *nobis certa diligendi forma describitur. Sit ergo inter amicos rationabilis ex moderatâ dispensatione beneficiorum collatio.* Sit alter alteri manus, sit oculus, sit baculus sustentationis, sit mutua spirituum requies, sit in angustiis refrigerii sedes. Denique sic in amicitiâ conversentur, ut ad illum amorem conscendere mereantur, quo Christus toto corde diligitur, et plurimum in eo amicitiae fructum carpant, quando timore sublato et sollicitudine, quam nunc sibi vicissim exhibent, plenâ et aeternâ securitate fruentur (*Tract. de amicitia Christ. c.* 21. *ib.* 890).

Sancta erga proximum caritas.

Trithemius : *Amator proximi castus et prudens* in lumine Spiritûs S. securus ambulat, et nec ipse perturbatur ab aliquo, nec quemquam alium perturbat. Est enim proximi verus amor mitis, dulcis ac pientissimus, et in omni convictu suo mansuetus, pacificus atque tranquillus. Dirigit tamen vigor disciplinae apud *Rectores* mansuetudinem, et clementia fraternae considerationis pulchre temperat vigorem. Oportet enim, ut sic alterum temperetur ex altero, quatenus nec vigor sit rigidus, nec amor dissolutus.... *Monachorum amicitia inter bonos ejusdem propositi zelatores debet*

Digitized by Google

esse communis, et procul remota ab omni affectione carnis. Sit pura, simplex, recta et sine cujusquam injuria durabilis, nec habeat in se quicquam suspectae conspirationis. Non est haec norma fraternae caritatis, privata consolationis interdictae conventicula quaerere et, sine benedictione Prioris, furtivis, imo prohibitis locutionibus vacare. Amorem vestrum proximo non recte, sed potius perniciose impenditis, quoties contra normam regularis observantiae ad carnis solatia convenitis. *Dilectio monachi debet esse solida*, et ab omni transgressione disciplinae regularis remotissima, quoniam nisi caritas muta fuerit a colloquiis carnalibus, ignem in se non habet divini amoris. Examinate nunc, fratres, vestra colloquia, et si *corda* habeatis etiam *in verâ caritate radicata*. Caritas enim, quae consolationes spiritui nocentes vel dat proximo, vel recipit, nunquam sincera fuit. *Recte diligit fratrem suum, qui diligit eum amore Dei* et propter communem, quam exspectamus participationem regni. Propterea ut Joannes dicit episcopus : In unum corpus baptizati sumus Ecclesiae, quatenus non dissolvamur, sed in eâ, quae ad invicem est, convenientiâ et amicitiâ corporis unius caritatem et convenientiam mutuam perpetuo conservemus. Quemadmodum nemo extra unitatem Ecclesiae catholicae salutem potest consequi, ita nullus sine fraternâ caritate posse creditur salvari. *Caritas ergo vobis ante omnia est ad salutem necessaria*, sine quâ reliqua virtutum opera penitus sunt infructuosa. Nihil enim boni esse potest, nihil meriti salutaris ad vitam, quod ex illâ non duxit originem. *Caritas* via quaedam est ad virtutis compendium, per quam si quis recto ingreditur tramite itineris, nullâ egebit directione ducis. *Caritas* pura, simplex et recta, non proximum consuevit laedere nec malum alicui inferre. *Caritas affectum*, commodis quem praestat propriis, *impendere consuevit omnibus*, et quicquid sibi ad salutem sperat conducere, hoc universis hominibus in Christo Jesu cupit esse commune. *Caritas* absque ullâ perturbatione officio dilectionis utitur et, cum omnes homines maxime diligat, pro nullo tamen

Caritatis necessitas et laus.

Digitized by Google

ad zelum amaritudinis provocatur. Semper est solida, semper constans, semper stabilis et firma, quia nec passionibus tangitur nec moribus inquietudinis agitatur. *Communem se praebet omnibus* et ita suam dilectionem impendit singulis, ut tamen proxima videatur universis. Caritas in his, quae pertinent ad rationem mentis et animae, seipsam non negligit, in illis vero, quae commodum respiciunt corporis, saepe causas aliorum propriis utilitatibus praeponit. *Magnum est verae caritatis imperium*, quod alienum commodum compellit hominem facere suum. Vos itaque, fratres mei, qui vos solemniter ad Christi praecinxistis militiam, qui per arduum iter obedientiae ad vitam anhelatis aeternam, si non vultis in tam laboriosi certaminis stadio frustra currere, curetis ante omnia, hortamur, fraternam in vobis caritatem semper inviolabilem custodire. *Nisi enim sinceram et perfectam caritatem ad invicem habueritis, sine fructu in observantiâ regulari laboratis.* Nihil vobis abstinentia ab esu carnium ad animarum salutem conferet; nihil abdicatio peculii omnis ad aeternae felicitatis adeptionem proficiet, si locum in cordibus vestris fraterna dilectio non tenet. Cupientes ergo salvari cum Christo, in veritate vos mutuo diligite, et *sicut Christus dilexit vos, ita precamur alterutrum amare.* Quod sibi fieri unusquisque desiderat, hoc ipsum fratri suo sine invidiâ propter Dei amorem omni tempore impendat. Vincat in vobis omnia carnis jurgia et quaslibet contentiones *amor divinus*, nec inveniat locum perniciosa carnis dissensio, ubi commorari jugiter debet fraternae caritatis plenitudo. *Decet enim claustrales et monachos omnes, in observantiâ caritatis esse praecipuos* (*Hom. 22. de frat. carit. monach.*).

Adversae valetudinis utilitas.

S. Isidorus Hispal.: *Adversa corporis* remedia sunt animae; *aegritudo* carnem vulnerat, mentem curat. Languor enim vitia excoquit, languor vires libidinis frangit (*Synon. l. 2. n. 26. P. L. 83, 851*).

Humbertus, O. Pr. († 1247): Infirmus attendere de-

Digitized by Google

bet, *infirmitatem datam esse a Patre luminum et misericordiarum*, qui non daret filiis suis, nisi quod scit, eis expedire; et ideo gratanter debet eam recipere. Ad quod monemur exemplo Salvatoris : « *Calicem, quem dedit Mihi Pater, non vis ut bibam illum?* » Attendere debet, ad quod datur; et ad minus hoc debet intelligere, quod jumentum videtur cognoscere, cum percutitur, vel quia extra viam est, et ad eam viam redit; vel quia nimis lente incedit, ut gressum suum acceleret. Scrutari debet conscientiam suam, quem Dominus infirmitate percutit; et, si extra viam paradisi se invenit, compungi et confiteri; si vero non invenit se extra viam paradisi, cogitare debet, quod piger erat ad bene operandum et proponere, quod ad bonum ferventior erit juxta illud : « *Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* » Aestimare debemus *utilitates aegritudinum*, ut gratiam majorem agnoscamus, infirmitas quippe interiorem hominem roborat, dum hostem domesticum debilitat (*Sup. Regul. S. Aug. p.* 5. *l.* 5. *c.* 1).

S. Basilius : *Arte medicinâ* ita utamur, ut ei non tribuamus omnem bonae aut malae valetudinis causam, sed, ut ad declarandam Dei gloriam et ad habendum animae curandae exemplar, usum eorum, quae offert, admittamus (*Regul. fus.* 55. *n.* 2. *P. Gr.* 31, 1046).

Caritas erga infirmos fratres.

Vitae Patrum : Si quis forte in conventu defuerit, caeteri intelligunt statim, eum corporis aliquâ inaequalitate detentum, et ad visitandum eum non omnes quidem simul, diversis tamen temporibus omnes abeunt, portantes unusquisque secum, si quid apud se est, quod aegro possit gratum videri (*L.* 2. *c.* 21. *P. L.* 22, 445).

Humbertus : Cum religio munda et immaculata apud Deum et Patrem sit visitare pupillos et viduas in tribulationibus eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo, et cum plus quam pupillus sit, qui non solum patrem, sed etiam omnes amicos deseruit, *primo ad religionem pertinet, ut de infirmis cura magna habeatur.* Item cum frater omnem mundi societatem propter monasterii fraternitatem

Digitized by Google

reliquerit, magna inhumanitas est, si monasterium in tantâ necessitate ei desit. *Frater* enim *in angustiis comprobatur.* Item quum Christo derelictus sit pauper, quomodo ille, qui in monasterio vices Christi gerit, illi, qui pro Christo depauperavit, in tantâ necessitate viscera sua claudere poterit. Item cum homines saeculares, qui sunt extra patriam in hoc fidem sibi custodiant, ut in infirmitate sibi subveniant; quomodo, qui de hoc mundo exierunt, in hoc sibi fidem non servabunt? Item quomodo se esse Christi discipulum confidit, qui mandatum de fraternâ dilectione, auribus discipulorum a Christo maxime inculcatum, non custodit, cum non diligat fratrem in necessitate opere et veritate? Praelatus patrem fratribus se debet exhibere compatiendo infirmis. « *Quis infirmatur et ego non infirmor!* » ait Paulus. De bono Patre legitur : « *Pro animabus filiorum suorum colligabit vulnera sua.* » Vulnera enim pro ipsis excipiet, et super omnem vocem turbabuntur viscera ejus. *Praelatus* non solum patrem, sed etiam *matrem se debet exhibere fratribus*, qui patrem et matrem reliquerunt, et ei adhaeserunt.

Exemplum J. Chr.

Ad habendum curam de infirmis, invitamur *exemplo Filii Dei*, qui humanum genus, in infirmitate positum, personaliter visitare voluit et curare, et hoc cum magnis expensis. Infirmis etiam corporaliter magnam humanitatem exhibuit, eos enim virtute suâ curavit. Leprosum etiam, cujus infirmitas contagiosa est, non abhorruit, imo voluit eum tangere et curare. Inter opera misericordiae videtur illud excellere, quod circa infirmos exercetur (*P. 2. l. 5. c. 8*).

S. Bonaventura : Cur, anima, totâ die anxiaris post Christum? Indicabo tibi, sponsa, quem diligit anima tua. Certe in *infirmariâ* jacet, ibi angustiatur, ibi dolore torquetur. Curre et sibi ministra, sibique compatere infirmanti. Non interrogemus Eum de cetero, nec dicamus Ei : Ubi jaces, « *ubi cubas in meridie?* » quia jam novimus locum, scimus enim, Eum in infirmariâ jacere; non autem restat, nisi praestare obsequium (*Stim. amor. p. 2. c. 7*). — Cum in lecto videt proximum infirmum, *sibi videtur, quod videat*

Digitized by Google

Christum suum; et per hoc nihil sibi difficile, nihil sibi abominabile, nihil ignominiosum aestimat facere pro infirmis et pro aliis desolatis; sed omnia dulcia, omnia suavia, omnia amabilia judicabit, cum sic *in proximo ministrat Christo* (*Stim. p.* 2. *c.* 7).

S. Petrus Chrysologus : Qui non fuerit cum *infirmo* infirmatus, non potest conferre sanitatem (*Serm.* 50. *P. L.* 52, 340).

Cassiodorus : Vos alloquor, fratres egregii, qui humani corporis salutem sedulâ curiositate tractatis et confugientibus ad loca sanctorum officia beatae pietatis impenditis, tristes passionibus alienis, de periclitantibus moesti, susceptorum dolore confixi et in alienis calamitatibus moerore proprio semper attoniti, ut, sicut artis vestrae peritia docet, *languentibus sincero studio serviatis*, ab Illo mercedem recepturi, a quo possunt pro temporalibus aeterna retribui. Et ideo discite quidem naturas herbarum, commixtionesque specierum sollicitâ mente tractate; sed non ponatis in herbis spem, non in humanis consiliis sospitatem (*Eccl.* 38, 4). Nam quamvis *medicina* legatur a Domino constituta, Ipse tamen sanos efficit, qui vitam sine fine concedit. Scriptum est enim : « *Omne, quod facitis in verbo aut in opere, in nomine Domini* JESU *facite, gratias agentes Deo et Patri per Ipsum* » (*Coloss.* 3, 17). (*De institut. divin. liter. c.* 31. *P. L.* 70, 1146).

S. Anselmus (✠ 1109) : Fratrem nostrum M., quem in Angliam mittimus, quantum apud vos nostra potest amicitia, et ejus exigit infirmitas, et vestra sufficit, operante Deo, medicina, vestris manibus curandum propter Deum committimus. Quatenus et illi temporalis salus per vestram operationem tribuatur, et vobis aeterna per divinam miserationem retribuatur, et frater Anselmus, quem jam possidetis amicum, in servum a vobis ematur (*L.* 1. *ep.* 28. *P. L.* 158, 1092).

Caritas in animas defunctorum.

S. Gregorius M. : Si culpae post mortem insolubiles non sunt, multum solet animas, etiam post mortem, sacra

Digitized by Google

oblatio hostiae salutaris adjuvare ; ita ut hanc aliquando ipsae defunctorum animae expetere videantur (*Dial. l.* 4. *c.* 55. *P. L.* 77, 416).

S. Augustinus : *Orationibus* S. Ecclesiae, et *sacrificio* salutari et *eleemosynis*, quae pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt (*Serm.* 172. *c.* 2. *P. L.* 38, 936). — Pro defunctis semper orandum est, et si non proficiet eis, quia beati vel damnati sunt, oratio in sinu nostro convertetur (*Serm.* 44. *ad frat. in. erem. in app. P. L.* 40, 1321). — Supplicationes faciendas pro omnibus in Christianâ Societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumcunque sub generali commemoratione suscepit Ecclesia ; ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicunque cognati, vel amici, ab unâ eis exhibeatur piâ matre communi (*Serm.* 44. *ad fratr. in erem. ibid.* 1319. *sq.*). — Ora pro defunctis, ut cum fuerint in aeternâ vitâ, pro te orare non negligant. — Clamant quotidie qui jacent in tormentis ; clamant et pauci qui respondent : ululant et non est qui consoletur eos. — O quam grandis crudelitas ! O vere magna inhumanitas ! ecce infirmus jacet et clamat, a medicis consolatur ; clamat porcus et omnes cum eo clamare non cessant : cadit asinus et omnes eum sublevare festinant ; sed clamat in tormentis fidelis, et non est qui respondeat (*Serm.* 44. *ad fratr. in erem. c.* 5. *in app. ibid.* 1320).

B. Albertus M. Ep. Ratisbonens. (✝ 1280) : Ad proximos, qui sunt in purgatorio, *vera habenda est compassio*, ut eos a tantâ acerbitate poenarum, quas sustinent, dignetur Deus eripere (*Parad. animae. p.* 1. *de virtute c.* 12).

Joan. Gerson. : Nos debemus libenter *pro omnibus fidelibus defunctis orare*, quia hoc *opus summae caritatis est et misericordiae.* Propter quod, dilectissime, meipsum et te pariter admoneo, ut pietatis oculum frequenter dirigamus ad memoriam defunctorum, ut quidquid pro eorum absolutione novimus prodesse, devotâ exsequamur festinatione. Consideramus, quam gravi tenentur tormento et quod, nisi

Digitized by Google

purgati fuerint, ad requiem transire non possint; etenim consolatio maxime in Christi meritis et Sanctorum suffragiis et fidelium constat oblationibus. Quotiescunque ad perceptionem corporis Christi te praeparas et perceptum tecum habes, *esto quaeso, memor fidelium defunctorum* et implora tanto ardentius misericordiam Dei, quanto certius retines in te pignus aeternae redemptionis. Saepe de mane, saepe de vespere *carissimorum tuorum recogita obitum*, quomodo se habeant et quomodo aliquid facias pro eis, quod ipsis potest prodesse, et tibi non obesse. Nunquam cibum corporalem sumas, nisi prius fidelibus defunctis aliquam spiritalem eleemosynam mittas (*Ep. de piâ memor. defunct. p.* 3). *Caritas in defunctos.*

Hugo a S. Charo, Card.: *Major est misericordia, quae fit cum mortuis*, quam quae fit cum vivis; quia vivi aliquo modo possunt se juvare, mortui non possunt (*Sup. Ruth c.* 3. *v.* 1).

Mabillonius, mon. Congr. S. Mauri (✠ 1707): Post annos centum quadraginta quatuor, quam Sancti-Gallenses et Augienses monachi mutuam suffragiorum societatem inierant, visum est Craloni S. Galli et Alavico Augiensi Abbatibus, fratribusque utriusque monasterii, ut vetus illud pactum novo decreto confirmaretur, eique nonnulla insuper adjicerentur; scilicet ut, fratre alterutrius monasterii mortuo, corpus ejus in ecclesiam translatum non prius tollatur ad tumulum, donec omnes horae canonicae tempore statuto decantentur. Ad eamdem autem Missam, quae primum pro eo a fratribus in commune recitatur, dicto ter « Sanctus » angelico carmine, omnes pavimento prostrati tam diu jaceant, usque dum a presbytero « *Pax Domini* » dicatur, gemitibus et suspiriis et lacrymarum inundatione animam fratris attentius Domino commendantes. Annona vero illi quondam viventi statuta, ad anniversarium ejus diem, et inde usque triginta septem dies pro eo in eleemosynam pauperibus plene tribuatur. Ad haec cum obitus alicujus ex alterutro monasterio alteri fuerit significatus, quantocius vigiliae, Missae et psalmodia pro eo persolvantur, et ad

Digitized by Google

eamdem Missam fratres, ut dictum est, se prosternant, atque ab eo die annona per totos triginta dies, sicut uni e fratribus, apponatur ac pauperibus distribuatur. Denique ut tota utriusque monasterii congregatio, in sex divisa turmas, quotidie privatis diebus, die sibi definito, vigilias et Missam pro omnibus defunctis peragat (*Annal. Bened. tom.* 3. *l.* 44. *n.* 87).

Opera caritatis.

S. Hieronymus : Tibi propositum est : *Christum vestire* in pauperibus, *visitare* in languentibus, *pascere* in esurientibus, *suscipere* in his, qui tecto indigent, et maxime in domesticis fidei, virginum *alere monasteria*, servorum Dei et pauperum spiritu habere curam, qui diebus et noctibus serviunt Domino tuo, qui in terrâ positi, imitantur Angelorum conversationem, et nihil aliud loquuntur, nisi quod ad laudes Dei pertinet ; habentesque victum et vestitum his gaudent divitiis, qui plus habere nolunt (*Ep.* 130. *ad Demetr. n.* 14. *P. L.* 22, 1119).

S. Augustinus : Qui potest ambulare, pedes suos accommodat claudo ; qui videt, oculos suos accommodat caeco ; et qui juvenis est et sanus, vires suas accommodat seni vel aegroto et portat illum.... Aliquando et dives invenitur pauper et a paupere praestatur ei aliquid. Venit nescio quis ad flumen, tanto delicatior, quanto ditior ; transire non potest ; si nudatis membris transiret, frigesceret, aegrotaret, moreretur. Accedit pauper exercitatior corpore, trajicit divitem, eleemosynam facit in divitem. Ergo nolite tantum eos putare pauperes, qui non habent pecuniam. *In quo quisque pauper est, ibi illum vide, quia forte* tu in eo dives es, in quo ille pauper est, et *habes, unde accommodes* (*In Ps.* 125. *n.* 12. *P. L.* 37, 1665).

Cassiodorus, Abb. Vivariensis († 560) : Peregrinum ante omnia suscipite, eleemosynam date, nudum vestite, esurienti panem frangite, quoniam iste vere dicendus est consolator, qui miseros consolatur. Quale est languentes aut dulcibus pomis reficere, aut piscibus alere, aut mellis suavitate mulcere ! Haec tamen, quum peregrinis atque aegrotantibus

Digitized by Google

praeparantur, fiunt coelestia, quamvis videantur esse terrena. Nam cum vel aquam frigidam Dominus in nomine suo pauperibus praecipiat offerri (*Matth.* 10, 42), quanto gratius erit, diversis egentibus escas suavissimas dare, pro quibus in judicio fructum multiplicatâ possitis mercede percipere ! Non debet negligi, undecunque potest homini probabiliter subveniri (*De instit. div. liter. c.* 22. *et* 28. *P. L.* 70, 1147).

S. Joan. Chrysost.: Non est aequale, Ipsum Dominum praesentem alere, cujus praesentia vel lapideum ad se animum attraheret ; et propter Ejus verba duntaxat pauperes, mendicos et aegrotos alere atque curare... Majoris erga Christum reverentiae signum est, quando propter Ejus verba solum conservum tuum in omnibus diligenter pascis atque curas (*Hom.* 89. *sup. Matth. n.* 3. *P. Gr.* 58 778).

Thom. a Kemp.: *Quidquid expendis in usum fratrum Christi*, reddet tibi justus judex in die judicii. Quando omittis propriam voluntatem et utilitatem aliquam, seu quando postponis spiritualem lectionem propter aliorum necessitatem, tunc *emis a Christo haereditatem aeternae vitae;* et Ille sit tibi pretiosum et firmissimum pignus solutionis aeternae gloriae. Unde Patri sic dicit : « *Volo Pater, ut ubi Ego sum, illic sit et minister Meus* » (*Joan.* 12). O Martha, multa potes operari opera bona, si sis voluntaria et parata. Egent servitio tuo servi Christi, et sine tuâ curâ non sunt in Deo liberi. Si tamen vis esse meritorium opus tuum, fac ex animo bono, et non cum tristitiâ neque cum taedio. Magnam potes exercere caritatem in fratres, magnam etiam generare laetitiam, dum esuriunt et sitiunt, nec habent quod manducent ; et tu subvenis necessitatibus eorum, apponendo ea, quae Dominus concessit infirmitati corporis humani. Attende, quid Isaac Patriarcha dixerit Esau filio suo : « *Tolle*, inquit, *arma tua, pharetram et arcum tuum, cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, ut comedam, et benedicat tibi anima mea.* » Similiter benedicet te, o Martha, quicunque recreatus fuerit cibo et

Digitized by Google

potu in nomine Christi per ministerium tuum. Nec erit tantum benedictio tua temporalis quaedem retributio, sed potius aeternae haereditatis firma perceptio (*De fideli dispensat. c.* 2. § 5).

Septem opera misericordiae.

Rupertus, Abb. Tuitiensis (✝ 1135): Notandum, quod *dilectionis sex opera* sunt, quandam *habentia similitudinem sex dierum, quibus Deus mundum perfecit* et omnia, quae in mundo sunt, in eo videlicet, quod et ipsa suum *promeretur Sabbatum,* ut, qui haec fecerit, etiam ipse requiescat ab operibus suis, ait Apostolus, sicut a suis Deus. Primum est: « *Esurivi et dedistis Mihi manducare;* » secundum: « *Sitivi et dedistis Mihi bibere;* » tertium: « *Hospes eram et suscepistis Me;* » quartum: « *Nudus et operuistis Me;* » quintum: « *Infirmus et visitastis Me;* » sextum: « *In carcere eram et venistis ad Me.* » Ingredientur enim in Sabbatum, i. e. in requiem Domini, qui haec sunt operati, vocante Ipso, qui post sex dies in semetipso requievit, ac dicente: « *Venite, benedicti Patris Mei, possidere paratum vobis regnum a constitutione mundi* (*Comment. in Matth. l.* 5. *c.* 6. *P. L.* 168, 1422).

Opera misericordiae spiritualis.

S. Joan. Chrysost.: Ut *anima corpore melior* est, ita his, qui indigentibus pecunias et facultates suppeditant, majoribus praemiis digni sunt illi, qui admonendo et continue docendo in viam rectam supinos et desides inducunt, monstrando eis divinarum virtutum fragrantiam et vitiorum maleolentiam.... Nihil ita gratum est Deo et ita curae, ut *animarum salus,* sicut clamat Apostolus, dicens: « *Qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* » Et iterum Deus Ipse ait: « *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* » Talem igitur habentes Dominum, tam misericordem, tam benignum, cum nostrae tum fratrum nostrorum curam geramus (*Hom.* 3 *in Genes. n.* 4. *P. Gr.* 53, 36).

S. Thomas Aqu.: *Spirituales eleemosynae sunt corporalibus praeferendae;* primo quidem, quia id, quod exhibet, nobilius est, scilicet donum spirituale, quod praeeminet corporali; secundo ratione ejus, cui subvenitur, quia spiritus

Digitized by Google

nobilior est corpore ; tertio quantum ad ipsos actus, quibus subvenitur proximo, quia spirituales actus sunt nobiliores corporalibus, qui sunt quodammodo serviles (*II. II. q.* 32. *a.* 3).

S. Joan. Chrysost. : Si habenti pecunias et non largienti supplicium Dominus comminatur ; is, qui valet proximum commonere, vel quolibet modo, et minime facit, quomodo non majoribus suppliciis punietur? Illic enim corpus nutritur, hic autem anima. Illic a morte servas temporali, hic vero ab aeternâ (*Hom.* 30. *in ep. ad Hebr. n.* 2. *P. Gr.* 63, 211). — Vis fratrem corrigere ? Lacryma, ora Deum, ex corde apprehensum admone, consule, exhortare. Sic et Paulus faciebat : « *Ne iterum, cum venero, humiliet me Deus propter vos, et lugeam multos ex his, qui ante peccaverunt.* » Declara *caritatem erga peccatorem*, persuade ipsi, quod consulens et curans, non traducere volens, ipsum commonefacis. Comprehende pedes, osculare, ne erubescas, si modo mederi vis. *Haec et medici faciunt*, saepius difficiles aegrotos habentes, deosculantes, rogantes persuadent salutarem sumere medicinam (*Hom.* 3. *ad popul. Antioch. n.* 5. *P. G.* 39, 54).— Operam date, ut pia scita in eis (sc. in Arianis) plantentur et roborentur. Volo enim et precor omnes vos, in doctorum ordine esse et non solum auditores nostrorum esse dictorum, sed et aliis doctrinam nostram efferre piscarique errantes, ut ii redeant in viam veritatis, sicut et Paulus inquit : « *Unus alterum aedificet ;* » et : « *Cum timore et tremore salutem vestram operemini.* » Sic Deus nostram multitudinem augebit, et vos uberius supernâ fruemini gratiâ, *magnam membrorum vestrorum curam gerentes.* Neque enim *Deus vult, ut Christianus* se ipso tantum contentus sit, sed ut *alios aedificet, non per doctrinam solum, sed et per vitam et conversationem* (*Hom.* 8. *sup. Gen. n.* 4 *et* 5. *P. Gr.* 53, 73).

Clemens Alex. (✠ *c.* 217): *Misericordia* non est, ut quidam existimarunt philosophi, molestia propter alienas calamitates, sed *est potius quid divinum*, ut dicunt prophetae (*Stromat. lib.* 4. *c.* 6. *P. L.* 8, 1250).

S. Greg. Nyssenus : Si *Misericordis* appellatio

Digitized by Google

Deum decet, ad quid aliud te sermo hortatur, nisi ut Deus fias, tanquam formatus et insignitus propriâ notâ Deitatis (*De beatitudinibus orat.* 5. *n.* 2. *P. Gr.* 44, 1250).

Falsa caritas in parentes.

S. Bernardus : Vidi ego hominem currentem bene; et ecce cogitatio : « Quantis, inquit, bonum, quo solus fruor, si essem in patriâ, possem utique impertiri *fratribus et cognatis*, notis et amicis? Amant me et facile acquiescerent suadenti. Ut quid perditio haec? Vado illuc et salvo multos ex illis, et me pariter. Nec verendum in loci mutatione. Etenim, dum benefaciam, quid interest ubi? Nisi quod illic procul dubio satius, ubi fructuosius degam. Quid plura? » It et perit miser, non tam exul ad patriam, quam canis reversus ad vomitum. *Et se perdidit infelix et suorum acquisivit neminem.* En una vulpecula, ista videlicet *frustratoria spes*, quam habuit in acquisitione suorum. Potes tu quoque per te ipsum in te ipso alias atque alias similes huic invenire seu advertere, si non negligas (*Serm.* 64 *in Cant. n.* 2. *P. L.* 183, 1084).

Sancta erga parentes caritas.

S. Basilius M. : Meum et tuum in fratribus dici, vetat Scriptura : « *Erat enim*, » inquit, « *omnium credentium cor unum et anima una; nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat.* » Itaque parentes alicujus vel fratres secundum carnem, si quidem secundum Deum vivunt, ab omnibus fratribus tanquam communes patres aut cognati colantur. « *Quicunque enim fecerit*, » inquit Dominus, « *voluntatem Patris Mei, qui in coelis est, hic frater Meus et soror et mater est* »... Imprimis prorsus curandum est, ut iis, qui adhuc in virtutum exercitio degunt, adimantur peccandi occasiones, quarum haec est maxima, recordatio anteactae vitae, ne quando ipsis contingat, quod dictum est : « *Conversi sunt cordibus suis in Aegyptum* » (*Num.* 14, 4). Quod plerumque usu venit, quando cum iis, qui secundum carnem propinqui sunt, crebrum ac frequens colloquium seritur. In universum autem permitti non debet, ut sive cognatus sive externus aliquos sermones habeat cum fratri-

Digitized by Google

bus, nisi de illis id nobis persuasum sit, ipsos *ad aedificationem et animarum perfectionem* in collocutionem venire (*Reg. fus. c.* 32. *n.* 1 *et* 2. *P. Gr.* 31, 995).

B. Rhab. Maurus : Dei mandatum est, ut etiam patri temporali et matri honoris reverentia exhibeatur. Ut est illud praeceptum : « *Honora patrem tuum et matrem, ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi* (*Ex.* 20). » Cujus mandati secutores coronantur et contemptores punientur. Bene thesaurizat, qui honorificat matrem suam, quia pro custodiâ mandatorum Dei, qui jussit honorare parentes, praemia aeternae vitae percipiet (*Comment. in Eccles. l.* 1. *c.* 9. *P. L.* 109, 777). — Qui *obediens praeceptis Dei honorat parentes vel praeceptores* suos, in multiplicatione bonorum actuum laetabitur in fine dierum. Et sicut illius, qui avertit aures, ne audiat legem, oratio erit exsecrabilis, ita hujus, qui obedit praeceptis Dei, dirigetur oratio sicut incensum in conspectu Altissimi. — Nota, quod dicit, *parentibus* debere famulatum instanter exhiberi qui te genuerunt in opere et sermone et patientiâ, ut ostendatur *spiritualis pater* maxime dignus honore esse. Cujus rei memor Apostolus scripsit ad discipulos, quos ipse per Evangelium genuit, dicens : « *Rogamus vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos et praesunt vobis in Domino et monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate; propter opus illorum pacem habete cum eis* (1. *Thess.* 5). » Et ad Timotheum : « *Qui bene praesunt,* » inquit, « *presbyteri, duplici honore digni habeantur; maxime qui laborant in verbo et doctrinâ, quia dignus est operarius mercede suâ* (1. *Tim.* 5). » Honor patris, sive spiritalis sive carnalis, benedictionem a Domino promeretur; et apte dicitur, quod « *in novissimo benedictio illius maneat,* » quia aeternâ mercede recompensatur (*Comment. in Eccl. l.* 1. *c,* 10. *ibid.*).

Caritas in benefactores.

S. Bernardus : Felix, qui se alienigenam reputans, etiam pro minimis quibusque beneficiis non minimas refert grates, gratuitum esse non dubitans neque dissimulans, quod alieno impenditur et ignoto (*Serm.* 27 *de div. n.* 8. *P. L.*

Digitized by Google

183, 616). — Felix, qui *beneficia* sibi collata studiose colligere, et ante mentis suae oculos dignâ cum gratiarum actione reducere curat (*Serm.* 10 *sup. Cant. n.* 7. *ibid.* 822). — Disce in referendo gratiam non esse tardus aut segnis! Disce ad singula dona gratias agere... ut nulla videlicet Dei dona debitâ gratiarum actione frustrentur (*Serm.* 51. *sup. Cant. n.* 6. *ibid.* 1027).

S. Thom. Aqu. : Non est dignus beneficium consequi, qui *de acceptis beneficiis gratias* non agit (*Sup. Ep. ad Rom. c.* 8. *lect.* 5).

Caritas in pauperes.

S. Cyprianus : Quomodo magis potuit *Christus* justitiae et misericordiae nostrae opera provocare, quam quod *praestari dixit Sibi, quidquid egenti praestatur* (*De opere et eleemos. n.* 23. *P. L.* 4, 643).

S. Joan. Chrysost. : Certe, si Christum Dominum nunc videretis, non dubitaret unusquisque vestrûm universam substantiam erogare... Non audis dicentem : « *Quod uni ex Meis minimis facis, Mihi facis?* » Nihil nempe interest, sive huic pauperi sive ipsi Christo dederis. Nihil enim minus habes mulieribus, quae tunc Christum alebant (*Hom.* 89. *sup. Matth. n.* 3. *P. Gr.* 58, 778).

S. Augustinus : Ne quis vestrûm forsitan dicat : O beati, qui Christum suscipere in domum propriam meruerunt! Noli dolere, noli murmurare, quia temporibus natus es, quando jam Dominum non vides in carne. Non tibi abstulit istam dignationem. « *Cum uni*, inquit, *ex minimis Meis fecistis, Mihi fecistis* » (*Serm.* 103 *c.* 1. *n.* 2. *P. L.* 38, 613).

Eleemosynam Deus accipit.

S. Hieron. : « *Intellige super egenum et pauperem* (*Ps.* 40). » Omni petenti te, da; sed maxime domesticis fidei; nudum vesti, esurientem ciba, aegrotantem visita. *Quotiescumque manum extendis, Christum cogita.* Cave, ne, mendicante Domino Deo tuo, alienas divitias augeas (*Ep.* 54. *n.* 12. *P. L.* 22, 556). — Magis tu agito gratias Christo, quando eleemosynam dederis, quam pauper, qui a te acceperit, tibi agat gratias; grande nobis beneficium praestant pauperes (*Sup. Ps.* 133. *v.* 2 *in app. P. L.* 26, 1298).

Digitized by Google

S. Augustinus : Transit somnus iste, transit vita ista, et nihil invenerunt in manibus suis, qui nihil posuerunt *in manibus Christi* (*Sup. Ps.* 75. *n.* 9. *P. L.* 36, 963).

S. Joan. Chrysost. : Non *pauperem* respicias accipientem, sed *Deum* redditurum; non eum, qui stipem accipit, sed Eum, qui Se tibi debitorem obligat (*Serm.* 1 *de verbis Apostoli* " *Habentes eundem spiritum* " *n.* 8. *P. Gr.* 51, 278). — *Extende manus tuas* non in coelum, sed *ad pauperum manus;* si ad pauperum manus extenderis manum, ipsum coeli verticem tetigeris. Qui enim illic sedet, eleemosynam suscipit: si vero porrexeris vacuas, nihil profeceris (*Hom.* 1 *in ep.* 2. *ad Tim. n.* 4. *P. Gr.* 62, 606).

S. Petr. Chrysologus : *Manus pauperis Abrahae sinus est;* ubi, quidquid pauper acceperit, mox reponit... *Thesaurus coeli est manus pauperis;* quod suscipit, ne in terrâ pereat, reponit in coelum... *Manus pauperis est gazophylacium Christi;* quia, quidquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, ut accipias coelum; da nummum, ut accipias regnum; da micam, ut accipias totum; da pauperi, ut des tibi. Quia, quidquid pauperi dederis, tu habebis; quod pauperi non dederis, non habebit alter (*Serm.* 8. *P. L.* 52, 210). — Manducat Deus in coelo panem, quem perceperit pauper in terrâ (*Serm.* 42. *ibid.* 320).

Eleemosynae laus.

S. Cyprianus : *Eleemosyna praeclara et divina res est,* salutaris operatio, solatium grande, securitatis salubre praesidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati (*De oper. et eleemos. c.* 26. *P. L.* 4, 645).

S. Petrus Dam. : *O virtus eleemosynae,* quae, velut fluentum fontis irrigui, et peccatorum inquinamenta detergis et aestuantium vitiorum flammas exstinguis! *O felix eleemosyna,* quae de gehennae barathro tenebrarum filios extrahis et adoptatos luci perpetuae regnis coelestibus introducis! *Tu de manibus pauperum volas in coelum* et illic tuis amatoribus paras hospitium. Si *vinum es,* non coacescis; si *panis,* non verteris in putredinem; si *vestis,* nullam contrahis vetustatem. *Tu negotiatrix* omni mangone prudentior,

Digitized by Google

quae terrenis mercibus coelestia comparas et transitoriis aeterna permutas. *Felices nundinae tuae*, in quibus datur hospitium, suscipitur habitaculum; praebetur panis exiguus, recipitur regnum; porrigitur nummus, comparatur aula coelorum (*Opusc.* 9. *c.* 8. *P. L.* 145, 222).

Rupertus, Tuit. (✠ 1135) : Eleemosyna cujus vena seu venarum principium dilectio est, unde aurum verum misericordiae manu effodi solet, haec pretiosa est, haec in coelum ascendit, et ibi Regem regum, Dominumque dominantium delectabiliter pascit, potusque illi est delectabilis, eumque velut vestimentum cooperit, sicut et Ipse ore proprio testificabitur in die judicii : « *Esurivi enim, et dedistis Mihi manducare,* » et cetera, usque « *quando fecistis uni ex his fratribus minimis Meis, Mihi fecistis* (*Matth.* 25). » (*Comment. in Matth. l.* 5. *c.* 6. *P. L.* 168, 1423).

Innocentius III. (✠ 1216) : Eleemosyna mundat, liberat, redimit, protegit ; postulat, impetrat ; perficit, benedicit, justificat, resuscitat, salvat (*De Eleemosyna c.* 1. *P. L.* 217, 747).

Eleemosyna quomodo danda.

Hugo a S. Charo, Card.: Octo eleemosynam ornant : Compassio cordis, dulcedo sermonis, facultatis quantitas, hilaritas dantis, humilitas dantis, discretio, velocitas, intentio recta (*Sup. Matth. c.* 6. *v.* 2).

S. Augustinus : In judicio cordis consideranda est eleemosyna tribuentis ; nec considerandum est, quantum, sed quâ mente, quâ affectione dat, quod potest (*De verâ et falsâ poenit. c.* 15. *in app. P. L.* 40, 1125). — Deus non cui detur, sed quo animo detur, attendit (*De civ. Dei. l.* 21. *c.* 27. *n.* 3. *P. L.* 41, 748). — Si in cellario vel in horreo non habes, quod dare possis, de thesauro cordis tui potes proferre, quod tribuas.... Eleemosyna cordis multo major est, quam eleemosyna corporis..... Eleemosyna caritatis sine terrenâ substantiâ sufficit sibi; illa vero, quae corporaliter datur, si non benigno corde tribuitur, omnino non sufficit (*Serm.* 271. *n.* 5. *in app. P. L.* 39, 2252). — Supplicem nullum spernas ; et cui dare non non potes quod petierit, non eum spernas ; si potes dare,

Compassio pro munere reputatur.

Digitized by Google

da ; si non potes, affabilem te praesta ; coronat Deus intus voluntatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat : Non habeo ; caritas non de saccello erogatur (*Sup. Ps.* 103. *serm.* 1. *n.* 19. *P. L.* 37, 1351).

S. Gregor. Naz. : Da parum quid indigenti ; non enim parum est ei, qui omnium est egenus, imo nec Deo, si pro viribus dederis. Da pro magno promptitudinem ; si nihil habes, des vel lacrymulam ; magnum remedium est afflicto misericordia, quae ex animo procedit (*Orat.* 14. *n.* 38. *P. Gr.* 35).

S. Bonaventura : Pauper qui nihil habet, vellet dare pauperi, et nihil habet, quod det ; voluntas pro facto reputatur (*Serm. in Hexaëm.*).

Hospitalitatis merces.

S. Ambrosius : Unius horae hospitio vidua illa, quae suscepit Eliam et exiguo cibo pavit, perpetuum toto tempore famis invenit alimentum, et mercedem accepit mirabilem, ut nunquam de hydriâ farina deficeret. Elisaeus quoque defuncti pignoris resuscitatione donatâ, solvit hospitii pensionem (*De Abrah. l.* 1. *c.* 5. *n.* 35. *P. L.* 14, 436). — Vides, quia Abraham Deum recipit hospitio, dum hospites quaerit ? Vides, quia Loth Angelos suscepit ? Unde scis, ne et tu, cum suscipis hominem, suscipias Christum ? Licet in hospite sit Christus ; quia Christus in paupere est, sicut Ipse ait : « *In carcere eram et venistis ad Me ; nudus eram, et operuistis Me* » (*Matth.* 25, 36). (*Offic. l.* 2. *c.* 21. *n.* 107. *P. L.* 16, 132).

Christus in hospite suscipitur.

S. Augustinus : Quia hospitalitatem sectati sunt (discipuli Emmauntem petentes), Eum quem in expositione Scripturarum non cognoverunt, in panis fractione cognoscunt (*Quaest. Evang. l.* 2. *n.* 51. *P. L.* 35, 1362). — Diligenter haec audite, fratres, qui hospitalitatem exercere non vultis, qui hospitem velut hostem excipitis. Ecce beatus Abraham, dum homines ferventer exciperet, ipsum Deum suscipere hospitalitatis contemplatione promeruit. Hoc etiam in Evangelio Christus confirmavit dicens : « *Hospes fui, et suscepistis Me.* » Nolite ergo negligere peregrinos, ne forte

Digitized by Google

quem non excepistis, sit ipse Christus (*Serm.* 5. *n.* 4. *in app. P. L.* 39, 1748).

S. Gregorius M.: Pensate, fratres, quanta hospitalitatis virtus sit. Ad mensas vestras Christum suscipite, ut vos ab Eo suscipi ad convivia aeterna valeatis. Praebete modo peregrino hospitium, ut vos in judicio non quasi peregrinos nesciat, sed ut proprios recipiat ad regnum (*Hom.* 23 *in Evang. n.* 2. *P. L.* 76, 1183).

In pauperibus Christus magis suscipitur.

S. Hieronymus: Mensulam tuam pauperes et peregrini, et cum illis Christus noverit (*Ep.* 2. *n.* 5. *P. L.* 22, 531). — Nobis in Monasterio hospitalitas cordi est, omnesque ad nos venientes laetâ humanitatis fronte suscipimus. Veremur enim, ne Maria cum Joseph locum non inveniat in diversorio; ne nobis JESUS dicat exclusus: « *Hospes eram et non suscepistis Me* » (*Apolog. in Rufin. l.* 3. *c.* 17. *P. L.* 23, 491). — Fateor, me explanationes in Ezechiel multo ante tempore promisisse et occupatione de toto huc orbe venientium implere non posse, dum nulla hora nullumque momentum est, in quo non fratrum occurramus turbis, et monasterii solitudinem hospitum frequentiâ commutamus, in tantum, ut aut claudendum sit nobis ostium, aut Scripturarum, per quas aperiendae sunt fores, studia relinquenda (*Prooem. in l.* 7. *comment. in Ezech. P. L.* 25, 207).

Haeftenius: Christus propter nos pauper fuit, natus in paupere domo, paupere matre, et totâ vitâ paupertatem adeo coluit, ut non haberet, ubi caput reclinaret. Magis ergo in pauperibus Christus suscipitur, quia melius eum repraesentant. Deinde nulla fere causa suscipiendi pauperes esse potest, quam ipse Christus, ob cujus amorem admittuntur (*De hospit. suscipiend. l.* 11. *tract.* 1. *disq.* 2).

Hospitibus congruus honor est exhibendus.

S. Isidorus Hisp.: Licet omnibus hospitalitatis bonum cum gratiâ oporteat referri, uberior tamen monachis deferenda est honorificentia hospitalitatis (*Reg. Monach. c.* 22. *P. L.* 83, 892).

Smaragdus, Abb. S. Michaëlis ad Mosam. († 824): Quamvis una caritas omnes amplectatur interius, aliter

Digitized by Google

tamen exterius congruit ministrare pauperibus, aliter potentibus ; neque enim aequalis omnibus.... ciborum convenit praeparatio ; sed unicuique necesse est cum caritatis discretione congruus locus, congruus cibus, congruus lectus, congruus omnibus exhibeatur et honor, ut congrue a nobis recepti sine murmurio ad propria revertantur amici (*Comm. in Reg. S. Bened. c.* 53. *P. L.* 102, 890).

Nimius sumptus fugiendus.

S. Basilius : Advenit hospes saeculo huic addictus ? Ex factis discat, quae ei sermo non persuasit, et frugalitatis in escis servandae formam et exemplar accipiat. Maneant in ipso monumenta mensae Christianorum et ejus paupertatis, quae Christi causâ citra verecundiam perferenda est. Quod si his ille minime commovebitur ac potius deridebit, rursus nobis non exhibiturus est molestiam.... Nequaquam Dominus laudavit Martham in multiplex ministerium distractam ; sed « *Sollicita es,* » inquit, « *et turbaris circa multa ; atqui paucis, vel uno opus est ;* » paucis quidem, quantum scilicet ad apparatum, uno vero, nempe fine ipso, ut videlicet necessitati fiat satis..... Attamen cura et quaedam mensae decentia necessaria est in omnibus, sed ita tamen, ut extra praescriptos nobis necessitatis terminos numquam egrediamur ; imo vero hospitalitatis is finis sit, ut spectetur, quod necessitas cujusque accedentium postulat. Ait enim: « *Veluti utentes mundo hoc, et non abutentes* » (1 *Cor.* 7, 31). Abusus autem sumptus est ultra necessitatem (*Reg. fus.* 20. *n.* 2 *et* 3. *P. Gr.* 31, 971).

Spiritualia opera caritatis e cella proficiscentia.

Cassiodorus : Felix intentio, laudanda sedulitas manu hominibus praedicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitam dare et contra diaboli subreptiones illicitas calamo atramentoque pugnare. Tot enim vulnera satanas accipit, quot antiquarius Domini verba describit. Uno itaque loco situs operis sui disseminatione per diversas provincias vadit. In locis sanctis legitur labor ipsius ; audiunt populi, unde se a pravâ voluntate convertant et Domino purâ mente deserviant. Operatur absens de opere suo. Nequeo dicere vicissitudinem illum de tot bonis non posse percipere,

Digitized by Google

si tamen non cupiditatis ambitu, sed recto studio talia noscatur efficere. Verba coelestia multiplicat homo et quâdam significatione comprobabili (si fas est dicere) tribus digitis scribitur, quod virtus sanctae Trinitatis effatur. O spectaculum bene considerantibus gloriosum ! Arundine currente verba coelestia describuntur, ut unde diabolus caput Domini in passione fecit percuti, inde ejus calliditas possit exstingui. Accedit etiam laudibus eorum, quod factum Domini aliquo modo videntur imitari qui legem suam (licet figuraliter sit dictum) omnipotentis digiti operatione conscripsit (*De institut. div. litterar. c.* 30. *P. L.* 70, 1144).

Laus bibliographorum

Trithemius : « *Qui ad justitiam erudiunt plurimos, fulgebunt sicut stellae in perpetuas aeternitates.* » Quod non solum de illis intelligendum esse, qui de suâ venâ cudunt nova, sed etiam de his, qui vetera transcribunt, in sequentibus, Domino largiente, monstrabimus. Nam quantumcunque utilis sit doctoris traditio, absque ministerio scriptoris ad notitiam posterorum nequaquam deducitur. Quicquid enim boni agimus, quicquid fructuose docemus, in oblivionem cito rapitur, nisi scriptorum studio literis commendetur. Scriptores ergo virtutem dant verbis, memoriam rebus, vigorem temporibus. Hos si de Ecclesiâ tollas, vacillat fides, caritas friget, spes decidit, jus perit, confunditur lex, in oblivionem transit Evangelium. Denique si scriptura defecerit, dispergetur populus, devotio exstinguetur, pax catholicae unitatis confusa turbabitur. Sed absque scriptoribus non potest scriptura diu salva consistere, quae et casu frangitur et vetustate corrumpitur..... Unde ipse scriptor Ecclesiam ditat, fidem conservat, haereses destruit, vitia repellit, mores instruit et dat incrementa virtutibus. Scriptor devotus, qualem describere intendimus, Deum laudat, Angelos laetificat, justos homines confortat, peccatores emendat, humiles commendat, bonos conservat, superbos debellat, condemnat pertinaces. Scriptor pietate insignis, Dei praeco est, quia voluntatem Ejus et praesentibus annuntiat et futuris, promittens bonis vitam aeternam, poenitentibus veniam,

Digitized by Google

negligentibus poenam, contemnentibus damnationem. Quid hâc arte salubrius, quid commendabilius pietate, quam Deus diligit, Angeli colunt, coeli cives universi venerantur? Haec est enim, quae fidelibus arma fabricat contra haereticos, quae superbos dejicit, daemones spoliat suâ fortitudine, et normam vivendi ponit Christianis. Haec est quae inscios docet, pusillanimes corroborat, devotos colit, amore complexatur pacificos (*De laude script. manual. c.* 1). — Monachi scribentes libros divinos, manu et calamo voluntatem Domini longe futuris annuntiant. Et major est scriptoris pietas officio praedicantis, quia illius cum tempore perit monitio, istius perseverat in annos multos annuntiatio. Praedicator loquitur dumtaxat praesentibus, scriptor praedicat etiam futuris. Illius sermo, semel auditus, cito in nihilum redigitur; istius lectio, millesies repetita, nunquam minuitur. Cum praedicator deficit, cessat officium, scriptor etiam mortuus in volumine moribus facit institutum. Parum valet officium praedicantis, si scriptoris ministerio non juvetur. Quid enim praedicabit, si scriptor, quod legat, non scripserit? Ex pietate igitur scriptoris, utilis efficitur sermo praedicantis. Nisi enim ille scriberet, iste quod praedicaret non haberet. Quatuor autem utilitates praecipuas monachus in scribendo devotus consequetur. Tempus, quod pretiosissimum est, fructuose expenditur; ejus intellectus, dum scribit, illuminatur; ad devotionem interior affectus accenditur;et post hanc vitam singulari mercede praemiatur. Quomodo posset monachus concessum sibi tempus fructuosius expendere, quam scribendis voluminibus cum amore Dei insistere? Nam huic officio Deus favet, Angeli congaudentes assistunt, omnium devotio fidelium sincera famulatur. Denique interim quod bonas devotasque rescribit materias, cogitationes inanes vel turpes non patitur molestas, verba otiosa non loquitur, saevis rumoribus non maculatur, sed quietus et solitarius sedens cum gaudio epulatur in scripturis, et bonis exercitiis ad glorificandum Deum provocat intuentes. Etenim, dum bonas scribit materias, scribendo in agnitionem mysteriorum

Digitized by Google

paulatim introducitur, et interius animo magnifice illustratur. Fortius enim, quae scribimus, menti imprimimus, quia scribentes et legentes ea cum morulâ tractamus. Mens quoque scribentis ad devotionem felicius plerumque accenditur, dum scripturas ruminans saepe per eas inflammatur. Quale autem devoto scriptori praemium in coelo debeatur, ex multis eorum laboribus facile colligitur. Credimus enim, quod scriptor devotus et sincerus in illâ retributione justorum praedicatoris aureolâ non privetur, qui tam multos manu docere in fide conspicitur. Nam quod ille loquendo, hic scribendi officio docet. Fuit in quodam coenobio nostri Ordinis, mihi non incognito, frater quidam devotus, qui in scribendis ad ornatum bibliothecae voluminibus magnum habebat studium..... Unde et multa Sanctorum opuscula cum ingenti devotione excopiavit. Hujus mortui ossa, cum post multos annos levarentur de terrâ, tres digiti dexterae manus quibus tot volumina scripserat, tam integri et incorrupti inventi sunt, ac si eodem tempore sepulchro fuissent impositi. Reliquum autem corpus ut moris est, consumptum, ad ossa fuit. Quo testimonio colligitur, quam sanctum hoc officium apud omnipotentem Deum judicetur, cujus ut meritum viventibus ostenderet, etiam in mortuis cadaveribus membra scriptorum honoravit (*Opusc. de laud. script. manual. c.* 6).

Labor spiritualis monacho sacerdoti conveniens.

Petrus Venerab.: Plantari non possunt arbusculae, rigari nequeunt sata, neque aliquid ruralis operis exerceri, reclusione perpetuâ prohibente ; sed quod est utilius, pro aratro convertatur manus ad pennam, pro exarandis agris, divinis Litteris paginae exarentur, seratur in chartula verbi Dei seminarium, quod maturatis segetibus hoc est libris perfectis, multiplicatis frugibus, esurientes lectores repleat et sic panis coelestis lethalem animae famem depellat. Sic plane, sic verbi divini poteris fieri taciturnus praedicator, et, linguâ silente, in multorum populorum auribus manus tua clamosis vocibus personabit. Clausus tenebris spelaeo tuo et in codicibus tuis terras ac maria

Digitized by Google

peragrabis, in publicis ecclesiae conventibus lectoris ore verbum Dei de sublimi loco speculator inclamabis. In remotis claustrorum et domorum angulis illud idem servis Dei silentibus insusurrabis. Professio te eremitam, devotio faciet evangelistam, ut quod per teipsum non potueris, tuis laboribus promerearis. Animet te ad hoc agendum non parvum laboris praemium, quod pro omnibus consequeris, quibus hoc laudabili studio subvenire potueris. Nam quotquot tuorum voluminum lectione superbiam prostraverint, luxuriam subegerint, avaritiam contempserint, iram domuerint, a quibuslibet malis vel caruerint vel poenituerint, ut manipuli sudoribus tuis collecti, aeternarum frugum tuarum horrea cumulabunt..... Istis et consimilibus studiorum sanctorum laboribus totum beatae vitae tuae tempus occupans nec quantumlibet adversariis, quo se immergere valeant, vel in corde tuo, vel in cellâ tuâ spatium relinques, ut cum Deus virtutibus suis cuncta repleverit, nullus diabolo, nullus acediae, nullus reliquis vitiis locus supersit (*L.* 1. *epist.* 20. *P. L.* 189, 97).

Caritatis proximi tres gradus.

S. Thom. Aquin. : Consideratur fraternae dilectionis perfectio ex effectu ; quanto enim majora bona proximis impendimus, tanto perfectior dilectio videtur. Sunt autem circa hoc tres gradus considerandi ; sunt enim quidam, qui proximis obsequuntur in corporalibus bonis, puta, qui vestiunt nudos, pascunt famelicos et infirmis ministrant et alia hujusmodi faciunt, quae sibi Dominus reputat exhiberi (*Matth. c.* 25). Sunt autem aliqui, qui spiritualia bona largiuntur, quae tamen non excedunt conditionem humanam, sicut qui docet ignorantem, consulit dubitanti et revocat errantem, de quo commendatur Job. c. 4 : « *Ecce docuisti multos, et manus lassas roborasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua tremcntia confortasti.* » Sunt autem alii, qui spiritualia bona, et divina supra naturam et rationem existentia proximis largiuntur, scilicet doctrinam divinorum, manuductionem ad Deum, et spiritualem sacramentorum communicationem. Et de his donis Apostolus mentionem facit epistolâ ad Galatas (*c.* 3), dicens : « *Qui tribuit vobis*

Digitized by Google

spiritum et operatur virtutes in vobis ; » et primâ ad Thessalonicenses (*c.* 2): « *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, ecce accepistis illud non ut verbum hominum, sed sic ut est vere verbum Dei.* » Et secundâ ad Corinthios (*c.* 11): « *Despondi vos uni viro ;* » et postmodum subdit: « *Nam si is, qui venit, alium Christum praedicat, quem non praedicavimus, aut alium Spiritum accipitis, quem non accepistis, aut aliud Evangelium, quod non recepistis, recte pateremini.* » Hujusmodi autem bonorum collatio ad singularem quandam perfectionem pertinet fraternae dilectionis, quia per haec bona homo ultimo fini cunjungitur, in quo summa hominis perfectio consistit, unde ad hanc perfectionem ostendendam dicitur: « *Numquid nosti semitas nubium magnas et perfectas scientias* » (*Job. c.* 37), per nubes autem secundum Gregorium sancti praedicatores intelliguntur. Habent autem istae nubes semitas subtilissimas, scilicet praedicationis sanctae vias, et perfectas scientias, dum de suis meritis se nihil esse sciunt, quia ea, quae proximis impendunt, supra ipsos exsistunt. Additur autem ad hanc perfectionem, si hujusmodi spiritualia bona non uni tantum, vel duobus, sed toti multitudini exhibeantur, quia etiam, secundum Philosophos, bonum gentis perfectius est et divinius, quam bonum unius. Unde Apostolus dicit Ephesiis (*c.* 4): « *Alios autem pastores et doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi,* » scilicet totius Ecclesiae. Et primâ ad Corinth. (*c.* 14), dicit: « *Quoniam aemulatores estis spirituum ad aedificationem Ecclesiae, quaerite, ut abundetis* (*Opusc. de perfectione vitae spiritualis c.* 14. *n.* 3).

Cura animarum nec quaerenda nec recusanda;

S. Augustinus : Vos exhortamur in Domino, ut propositum vestrum custodiatis, et usque in finem perseveretis, ac si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avidâ suscipiatis, nec blandiente desidiâ respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo (*Ep.* 48. *n.* 2. *P. L.* 33, 188).

Statui religioso non inconveniens.

S. Thom. Aquin. : Stultum est dicere quod ex hoc, quod aliquis in sanctitate promovetur, efficiatur minus

Digitized by Google

idoneus ad spiritualia officia (concionem, instructionem) exercenda. Et ideo stulta est quorundam opinio dicentium, quod ipse status Religionis impedimentum affert talia exsequendi (*II. II. q.* 187. *art.* 1).

Christus exemplar sacerdotis.

S. Hildegardem Deus ita allocutus est: « Sicut Filius Meus est nuntius salutiferorum sacramentorum, et Sacerdos sacerdotum, ac Propheta prophetarum, et aedificator felicium turrium, ita etiam, si necessitas ingruerit, qui inter hujusmodi homines radicem odoris cum utilitate habet, sit nuntius et sacerdos, sit propheta et consiliator ecclesiasticae aedificationis ; nec omnino ab his separandus est, si tantum oculus claritatis in eo lucet, nec ad usum ecclesiasticum dormiat, sed ad instructionem ejus vigilet, occupationem tantum saecularis causae, et contagia saecularium rerum abjiciens, quia nec Angeli, nec sacerdotes, nec prophetae justitiam Dei occultabunt, sed eam ex praecepto illius in veritate proferent, quemadmodum de Joanne, qui arundo vento agitata non fuit, cujus austeritatem isti subsequuntur ; in quorum similitudine in Evangelio iterum scriptum est (*Matth.* 3): « *Et egrediebatur ad illum omnis « Judaeae regio, et Hierosolymitae universi, et baptizabantur « ab illo in Jordane flumine, confitentes peccata sua.* » (*Sciv. l.* 2. *vis.* 5. *P. L.* 197, 486).

(S. Ambrosius): Recte comparantur apibus Sacerdotes, quia sicut apes castitatem corporis praeferunt, cibum vitae coelestis exhibent, aculeum legis exercent, puri ad sanctificationem, suaves ad refectionem, severi sunt ad ultionem (*Serm.* 43. *n.* 1. *in app. P. L.* 17, 689).

Sacerdos debet esse pater.

S. Joan. Chrysost. : Quasi communis quidam totius orbis pater sacerdos est. Dignum igitur est, ut omnium curam agat, omnibusque provideat, sicut et Deus, cujus ministerio servit et fungitur vice (*Hom.* 6. *sup. ep.* 1. *ad Tim. n.* 1. *P. Gr.* 62, 529).

Sanctus moribus.

S. Gregorius M.: Decet Dominicum Sacerdotem moribus et vitâ clarescere, quatenus in eo, tanquam in vitae

Digitized by Google

suae speculo plebs commissa et eligere quod sequatur et videre possit, quod corrigat (*Epistol. l.* 8. *ep.* 33. *P. L.* 77, 935).

Hugo a S. Charo, Card.: Duo sunt maxime necessaria sacerdoti, splendor vitae splendorque conscientiae, ut videlicet tam exemplo quam documento resplendeat (*Serm. de S. Sylvestro*).

Imit. Christi: Ex ore Sacerdotis nihil nisi sanctum nihil nisi honestum et utile procedere debet verbum, qui tam saepe Christi accepit Sacramentum (*L.* 4. *c.* 11).

Irreprehensibilis sit vita et doctrina sacerdotis.

Trithemius: Duo necessaria sunt sacerdotibus Christi, vita scilicet et doctrina. Tibi autem vita, populo necessaria est doctrina. Sit ergo vita sacerdotis irreprehensibilis sine crimine, sit scientia doctrinalis sine errore. Ex his itaque pensare poteris, quid in sacerdotio tuo studere jubearis. Hoc namque prae omnibus tibi curandum est, ut moribus sanctis comprobes verba salutaria, quae doces. Nam vita bona sine doctrinâ non excusabit rectorem, qui curam suscipiens animarum pabulum illis verbi salutaris in tritici mystici mensurâ distribuere jubetur. Et quamvis populo sufficere possit, si bene instruantur a presbytero, tamen ipsi non sufficit sacerdoti, si ea, quae docet, non etiam demonstret exemplo. Pro utriusque enim rei, vitae scilicet et doctrinae, administratione Deo redditurus est rationem et utrobique periculum, si aut vita mala aut doctrina fuerit otiosa. Considera nunc igitur et diligentissimâ investigatione perquire, qualis sacerdotio conveniat vita, quam mundum et sanctum te oporteat esse, quam purum in mente, sapientem in sermone, strenuum in opere. Altari astans Filium Dei et Virginis immolaturus, quam devote quamque reverenter te habere oporteat, sacrificii excellentia declarat (*Ep.* 1. *ad nov. presbyt.*).

Animarum inaestimabile pretium.

S. Bernardus: O anima, Dei insignita imagine, decorata similitudine, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, haeres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne?..... Totus iste mundus ad unius

Digitized by Google

animae pretium aestimari non potest ; non enim pro toto mundo animam suam Deus dare voluit, quam pro animâ humanâ dedit. Sublimius ergo est animae pretium, quae nonnisi sanguine Christi redimi potuit..... Nonne Dei Filius, cum esset in sinu Patris, a regalibus sedibus pro eâ descendit, ut eam a potestate diaboli liberaret? Flevit super illam, quae flere se nesciebat ; nec solum flevit, sed etiam occidi Se permisit, ut pretiosi sanguinis sui pretio eam redimeret. Aspice, mortalis ! pro te datur hostia talis ! Agnosce, homo, quam nobilis est anima tua et quam gravia fuerint Ejus vulnera ! (*Medit. c.* 3. *in app. P. L.* 184, 489).

Quantum opus sit cura animarum.

Richardus a S. Victore († 1173) : Nescio, si potest homo aliquid a Deo in hâc vitâ majus accipere ; ignoro, an possit hâc gratiâ interim majorem aliquam Deus homini conferre, quam ut ejus ministerio perversi homines in melius mutentur, ut de filiis diaboli filii Dei efficiantur. An forte cuiquam magis videbitur esse mortuos suscitare? Ergone majus erit suscitare carnem iterum moriturum, quam animam in aeternum victuram ? Ergone majus erit carnem revocare ad gaudia mundi, quam animae restituere gaudia coeli ? Ergone majus erit, restituere carni bona transeuntia iterum peritura, quam animae reddere bona aeterna in aeternum mansura? O qualis dos, quanta dignitas, talem gratiam a Deo accipere ! non debuit Dei sponsa a sponso suo dotem aliam accipere, non decuit coelestem sponsum sponsae suae dotem aliam donare, quam ut per adoptionis gratiam possit multos Dei filios gignere et de filiis irae filiisque gehennae regni coelestis haeredes ascribere (*Benjamin minor c.* 44. *P. L.* 196, 33).

Quanti Deus aestimet animas.

S. Joan. Chrysost. : Ut anima corpore melior est, ita his, qui indigentibus pecunias et facultates suppeditant, majoribus praemiis digni sunt hi, qui admonendo et continue docendo in viam rectam supinos et desides inducunt, monstrando eis virtutum divinarum fragrantiam et vitiorum maleolentiam... Ut scias, quantum bonum sit, cum salute nostrâ et alios lucrari, audi prophetam, ex personâ Dei dicentem : « *Qui educit pretiosum a vili, quasi os meum erit* »

Digitized by Google

(*Jer.* 15, 19). Quid hoc est? Qui ab errore ad veritatem, ait, manuduxerit, vel a peccato ad virtutem proximum induxerit, quantum homini licet, Me imitatur. Etenim Ipse, cum Deus sit, propter nihil aliud nostram induit carnem et alia humana omnia sustinuit, quandoquidem crucem quoque suscepit, quam ut nos peccato obnoxios a maledicto liberaret. Et hoc quoque Paulus clamat dicens: « *Christus nos* « *redemit a maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* » Si igitur ipse, qui Deus est ineffabilis essentiae, ob misericordiam ineffabilem omnia propter nos et salutem nostram suscepit, cur non et nos erga fratres justi sumus agnoscentesque eos ut membra nostra et eripientes ex diaboli faucibus in viam virtutis inducimus (*Hom.* 3. *in Gen. n.* 4. *P. Gr.* 53, 37). — Quam multa propter hunc gregem passus est Christus; homo factus est, servi formam assumpsit, consputus est, alapis caesus est, postremo ne mortem quidem recusavit, et quidem ignominiosissimam; quin et ipsum Sanguinem Suum fudit! Itaque si quis voluerit Illi commendatus esse, curam habeat ovium Illius, publicam quaerat utilitatem, fratrum suorum prospiciat saluti. Nullum enim officium hoc Deo carius est (*Orat. de B. Philogono. n.* 2. *P. Gr.* 48, 751). — Omnia facere pro salute proximorum, hoc est opus Angelicum, magis autem Christi (*Hom.* 3. *sup. Ep. ad Hebr. n.* 2. *P. Gr.* 63, 30). — Cura fratrum summa vitae Christianae est; hoc signo noscitur quis, an Christianus sit, hoc maximum indicium est fidei, haec est germana caritas (*Hom.* 9. *in Gen.* 2. *P. Gr.* 54, 623). — Nihil adeo potest nos Christi imitatores efficere, sicut erga proximum cura (*Hom.* 25. *sup. Ep.* 1. *ad. Corinth. n.* 3. *P. Gr.* 61, 208).

S. Hieron. : Hostia placabilis Deo hominum salus est (*Sup. Matth. l.* 2. *c.* 12. *v.* 3. *P. L.* 26, 79).

S. Gregor. Naz.: Nullâ re perinde Deus delectatur, ut hominis pro quo omnis sermo est atque mysterium emendatione et salute (*Orat.* 39. *n.* 20. *P. Gr.* 36, 359).

S. Gregorius M. : Nullum est tam gratum Deo sacrificium, quam zelus animarum (*Sup.* 4, *Psalm. poenitent. n.* 17. *in app. P. L.* 79, 593).

Digitized by Google

S. Laurent. Just. : Hoc sacrificio nil majus, nihil suavius, animarum scilicet intendere lucris (*De casto connub. c.* 12).

Sacerdoti zelus animarum convenit;

S. Ambrosius : Zelum habere debet sacerdos, qui incorruptam servare studet Ecclesiae castitatem. — Zelo vindicatur Hierusalem, zelo pudicitia, zelo Ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia possidetur (*Sup. Psalm.* 118. *c.* 18. *n.* 11. *P. L.* 15, 1456).

Omni quoque Christiano.

S. Joan. Chrysost. : In proximi salute sua unicuique salus stat..... Proximo prospicere suam ipsius est salutem tueri (*Hom.* 31. *sup. Ep.* 1 *ad Cor. n.* 2. *et* 3. *P. Gr.* 61, 260). — Non id mihi persuadere possum, salvum fieri quemquam posse, qui pro proximi sui salute nihil laboris impenderet (*De sacerd. l.* 6. *n.* 10. *P. Gr.* 48, 686).

Dionysius Carth. : Zelo divini honoris ac fraternae salutis simus semper accensi (*Sup. Ep. Jacob. c.* 5. *art.* 7).

Prima cura animae propriae.

Imit. Chr. : Habe primo zelum super teipsum, et tunc juste zelare poteris etiam proximum tuum (*L.* 2. *c.* 3).

S. Laurent. Justin. : Rectus et commendabilis zeli iste est ordo, ut quisque prius se, deinde corripiat ceteros (*Serm. de vitâ solitar. c.* 4).

Qualis zelus proximi esse debeat,

S. Bernardus : Zelum tuum inflammet caritas, informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus ; nec torporem habeat, nec careat discretione, nec timidus sit (*Serm.* 20, *sup. Cant. n.* 4. *P. L.* 183, 868).

Et in quibus operibus exercendus sit.

B. Albertus M. : Zelus animarum verus et perfectus est, quando aliquis sanctis meditationibus, ferventibus desideriis, lacrymis, orationibus, vigiliis, jejuniis, praedicationibus, confessionibus, consiliis, doctrinis atque aliis bonis operibus pro salute animarum laborat (*De parad. animae. p.* 1. *de virtut. c.* 27).

Verbum Dei praedicandum est.

S. Gregorius M. : Qui ad verae praedicationis verba se praeparat necesse est, ut causarum origines a sacris paginis sumat, ut omne quod loquitur, ad divinae auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo aedificium locutionis suae firmet (*Moral. l.* 18. *c.* 26. *n.* 39. *P. L.* 76, 58).

Digitized by Google

Gillebertus, Abb. de Hoilandiâ († 1168) : Evangelice ex toto loquere, qui vir Evangelicus es. — Verbum Dei et lucet et ardet (*Sup. Cant. serm.* 16. *n.* 5; *et serm.* 24. *n.* 2. *P. L.* 184, 83, 126).

S. Petrus Dam.: Verba Domini quasi ignis sunt, quia frigus expellunt, calorem mentibus ingerunt ; malleus autem sunt, quoniam obstinationis et pervicaciae duritiam molliunt (*Opusc.* 31. *c.* 7. *P. L.* 145, 541).

S. Isidorus Hispal.: Sacerdotis praedicatio operibus confirmanda est, ita ut, quod docet verbo, instruat exemplo ; vera est illa doctrina, quam vivendi sequitur forma. Nam nihil turpius est, quam si bonum, quod quisque sermone praedicat, explere opere negligat. Tunc enim praedicatio utiliter profertur, quando efficaciter adimpletur (*Sent. l.* 3. *c.* 36. *n.* 2. *P. L.* 83, 707).

Hugo a S. Charo, Card.: Sapiens est praedicator, qui plus attendit operi quam sermoni : cujus verba sunt opera, quae audiuntur a silentio ; quia quando silet a praedicatione, praedicat tamen in operatione (*Sup. Ep.* 1. *ad Thess. c.* 1. *v.* 8).

S. Petrus Dam. : Quisquis per injunctae praedicationis officium ad pugnandum alios incitat, sed ipse non pugnat, illi similis est, qui buccinae clangoribus obstrepit, sed congredi cominus non praesumit (*L.* 4. *Ep.* 15. *P. L.* 144, 330).

S. Bonaventura : Erudiuntur omnes praedicatores, ut prius vacent perfectioni propriae et deinde aedificationi alienae, quia, ut dicit S. Gregorius, « cujus vita despicitur, restat ut ejus praedicatio contemnatur » (*Sup. Luc. c.* 1).

Vita praedicantis sit purgata a vitiis,

S. Thomas Aquin. : Nullus debet assumere officium praedicationis, nisi prius fuerit purgatus, et in virtute perfectus, sicut et de Christo dicitur, quod coepit JESUS facere et docere ; et ideo Christus statim post baptismum austeritatem vitae assumpsit, ut doceret, post carnem edomitam oportere alios ad praedicationis officium transire, secundum illud Apostoli : « *Castigo corpus meum, et in servitutem*

Digitized by Google

redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar » (*P.* 3. *q.* 41. *art.* 3).

Et clarescens virtutibus.

Trithemius : Si verus praedicator fieri vis, fac primo quae jubet Deus, deinde et alios doce, ne si prius docere praesumpseris quam facere, reprobus efficiaris. Prius vita quam doctrina requirenda est ; plus enim placet tacens virtuosus, quam iniquus verbosus (*In. c.* 2. *Reg. S. Bened.*).

S. Bernardus : Canales hodie in Ecclesiâ multos habemus, conchas vero perpaucas ; tantae caritatis sunt, per quos nobis fluenta coelestia manant, ut ante effundere, quam infundi velint, loqui quam audire paratiores, et prompti docere, quod non didicerunt (*Serm.* 18. *sup. Cant. n.* 3. *P. L.* 183, 1139).

Hugo a S. Charo, Card.: Eloquium Domini masticatum per meditationem, decoctum per amorem, conversum in sanguinem per poenitentiae et compunctionis amaritudinem omnia membra vivificat (*Sup.* 2. *Thess. c.* 3. *n.* 1). — Bona Domini sunt : paupertas, angustia, fames, vilitas, humilitas, morum honestas, animarum zelus, doctrinae pabulum ; quae quasi divitias pauperibus erogandas debet portare secum praedicator, ut tanto citius ad sequendum Deum persuadeat, quanto auditoribus in seipso monstrat quod praedicat. — Quatuor necessaria sunt praedicatori : Operis exemplum, doctrinae verbum, castitatis lilium, fidei perfectio (*Sup. Gen. c.* 24. *v.* 10). — Praedicator sit sapiens, sit eloquens, sit humilis, sit patiens, aliter non praedicet (*Sup. Josue. c.* 6. *v.* 20). — Nisi praedicator ut coelum fuerit stellatus virtutibus, altus vitâ, clarus scientiâ, concavus humilitate, increpatio sua plus nocet quam juvat (*Sup. Josue c.* 10. *v.* 41).

Cor praedicatoris ardens caritate.

S. Joan. Chrysost. : Non attingere quispiam debet praeclari praedicationis muneris functionem, nisi paratus sit, millies animam suam tradere in mortem atque discrimina (*Hom.* 6. *de laudibus divi Pauli in f. P. Gr.* 50, 507).

S. Gregorius M. : Qui caritatem erga alterum non habet, praedicationis officium nequaquam suscipere debet (*Hom.* 17 *in Evg. n.* 1. *P. L.* 76, 1139). — Otiosus est sermo

Digitized by Google

docentis, si praebere non valet incendium amoris (*Hom.* 30. *sup. Evang. n.* 5. *ibid.* 1223). — Ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quae frigido corde proferuntur (*Moral. l.* 8. *c.* 26. *n.* 72. *P. L.* 75, 945).

S. Gregorius Naz.: Sermo tuus tonitru vitaque fulgur erat (*L.* 2. *carm.* 119 *v.* 40. *P. Gr.* 38, 73)

S. Franciscus Assis. († 1226): Officium praedicationis Patri misericordiarum omni sacrificio est acceptius, maxime si fuerit studio caritatis impensum (*Opusc. coll.* 17).

S. Bonaventura: Exaudi teipsum, durissime, immanissime, surdissime doctor; quid tibi lingua aurea et cor ferreum (*Pharetr. l.* 1. *c.* 15). — Doctor Scripturae Evangelicae debet esse: inunctus divinâ gratiâ, institutus merâ obedientiâ, inflammatus benevolentiâ fraternâ (*Sup. Luc. prooem.*).

Trithemius: Non est sermo praedicantis otiosus, quem inflammat ignis divini amoris (*De regim. claustr. l.* 1).

Praedicatori meditatio necessaria.

S. Gregorius M.: Praedicatores sancti sublimes valde sunt: non solum opere, sed etiam contemplatione; extrema ergo pars ista sublimitas operis est, intima vero illa, contemplationis (*In* 1. *Reg. l.* 5. *c.* 4. *n.* 4. *int. dub. P. L.* 79, 360). — Perfectus praedicator non est, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit.... Hinc est, quod humani generis Redemptor per diem miracula in urbibus exhibet, et ad orationis studium in monte pernoctat, ut perfectis videlicet praedicatoribus innuat, quatenus nec activam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant; sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant (*Moral l.* 6. *c.* 37, *n.* 56. *P. L.* 75, 760). — Stude, quaeso, et quotidie Creatoris tui verba meditare; disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentius ad aeterna suspires, et mens vestra ad coelestia gaudia majoribus desideriis accendatur (*L.* 4. *ep.* 31. *P. L.* 77, 706).

Digitized by Google

Atque oratio.

S. Augustinus : Nisi Deus interiore gratiâ mentem regat atque agat, nihil prodest homini omnis praedicatio veritatis (*De Civit. Dei l.* 15. *c.* 6. *P. L.* 41, 442). — Agit noster iste eloquens, cum et justa et sancta et bona dicit,..... agit ergo quantum potest, cum ista dicit, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur; et haec se posse, si potuerit, et in quantum potuerit, pietate magis orationum, quam oratorum facultate non dubitet, ut orando pro se, ac pro illis, quos est allocuturus, sit orator antequam dictor. Ipsâ horâ jam, ut dicat, accedens priusquam exserat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet, quod biberit, vel quod impleverit, fundat (*De doctrin. christ. l.* 4. *c.* 15. *n.* 32. *P. L.* 34, 103).

S. Franciscus Assis. : Prius praedicator haurire debet secretis orationibus, quod postea sacris ostendat sermonibus ; prius intus calescere, quam extra verba proferre. — Praedicator laboret, magis lacrymosâ prece, quam loquaci sermone (*in suis Opusc. coll.* 17). — In praedicatione est distributio quaedam donorum coelitus acceptorum (*Collat.* 14).

Fructus praedicationis.

Hugo a S. Charo, Card.: Verbum Dei tribuit : aegris medicinam, caecis lumen, famelicis panem, sitibundis vinum, infrigidatis ignem, impugnatis clypeum, desolatis consolationem (*Sup. Ps.* 57. *v.* 6).

S. Bonaventura : Verbum Dei non solum intellectum dirigit, affectum incendit, et opus perficit ; sed quod consummatum est, complet, dum ad supernam gloriam introducit (*Serm.* 2. *de S. Evang.*).

Innocentius III. († 1216) : Tantae virtutis est praedicatio, quod animam revocet ab errore ad veritatem, et a vitiis ad virtutes. Prava mutat in recta, aspera convertit in plana, instruit fidem, erigit spem, et roborat caritatem, evellit nociva, plantat utilia, et fovet honesta. Est via vitae, scala salutis, et janua paradisi (*Prolog. ad sermones. P. L.* 217, 312).

S. Hieronymus: Post horam nonam in commune concurritur, psalmi resonant, Scripturae recitantur ex more. Et

Digitized by Google

completis orationibus cunctisque residentibus, medius, quem Patrem vocant, incipit disputare. Quo loquente, tantum silentium fit, ut nemo alium respicere, nemo audeat exscreare. Dicentis laus in fletu est audientium, tacitae volvuntur per ora lacrymae, et ne in singultus quidem erumpit dolor. Cum vero de regno Christi, et de futurâ beatitudine, et de gloriâ coeperit annuntiare venturâ, videas cunctos moderato suspirio, et oculis ad coelum levatis, intra se dicere : « *Quis « dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo et requiescam ?* » (*Ep.* 22. *ad Eustoch. n.* 35. *P. L.* 22, 420).

Conversio gentium appetenda.

S. Joan. Chrysost. : Ne omittamus proponere Gentilibus doctrinas Scripturarum, sed omne impendamus studium, ut ab errore liberati ad veritatem reducantur. Nam licet in erroribus comprehensi sint, cognati tamen nostri sunt, et congruit, ut magnam eorum curam habeamus nunquam torpescentes, sed summâ diligentiâ facientes ea, quae in nobis sunt; utilem illis medicinam adhibeamus, (si forte vel tarde), ut saltem tandem aliquando, ad veram sanitatem redeant. Nihil enim ita gratum est Deo, et ita curae, ut animarum salus.... Talem igitur habentes Dominum, tam misericordem, tam benignum, tam mansuetum, cum nostrae, tum fratrum nostrorum curam geramus salutis : nam et hoc nostrae salutis argumentum erit, et occasio, si non solum pro nobis ipsis solliciti, sed et proximo utiles fuerimus, ipsum ad viam veritatis manuducentes (*Hom.* 3. *sup. Gen. n.* 4. *P. Gr.* 53, 36).

S. Bonifacius, Monach. et Ep. Moguntin. Mart. († 755) in Frisiam discedens S. Lullo : Jam, inquit, instat resolutionis meae dies et proximus finis, quo depositâ carnis sarcinâ, aeternae retributionis praemium, Deo dante, assequar. Tu vero, fili carissime, erudiendis populis tibi commissis sedulam navato operam, ut eos a paganicae superstitionis praestigiis revocare pergas (*Vita c.* 11. *n.* 33. *P. L.* 89, 626).

Puerorum educatio quomodo suscipienda.

S. Basilius M. : Cum Dominus dicat : « *Sinite pueros venire ad Me* » (*Marc.* 10 14) et Apostolus eum laudet, qui

Digitized by Google

ab infantiâ sacras literas didicit, rursusque praecipiat, liberos educari in disciplinâ et correptione Domini, omne tempus primae etiam aetatis, iis, qui accedunt, excipiendis idoneum esse censemus, eos quidem qui parentibus orbati sunt, nostrâpte sponte assumentes, ut ad Jobi exemplum orphanorum parentes efficiamur ; eos vero, qui sub parentibus sunt, ab ipsis adductos, coram multis testibus suscipientes, ne occasionem demus volentibus occasionem, sed eorum, qui adversum nos blasphemiam loquuntur, os omne injustum obstruatur. Excipiendi igitur sunt ad hunc modum, nec ipsi tamen statim in fratrum corpore aut annumerandi sunt aut recensendi, ne si illi a fine proposito aberrarent, ipsorum probra in pium vitae institutum refunderentur ; sed educandi illi quidem sunt in omni pietate, tanquam communes fratrum liberi.... Atque etiam literarum studium eorum instituto accommodatum esse oportet et vocabulis e Scripturâ sumptis utantur, et ipsis narrentur admirabilium factorum historiae, loco fabularum, et edoceantur sententias Proverbiorum, et memoriae praemia eisdem proponantur tam pro nominibus, quam pro rebus, ut jucunde et quasi animum relaxantes nullâ cum molestiâ nullâque offensione ad scopum pertingant... Animus igitur dum adhuc facile conformari potest, dumque tener est, ac instar mollis cerae rerum oblatarum formas nullo negotio induit, ad omnia bona statim ab initio exercendus est ; ut ubi affuerit ratio habitusque discernendi accesserit, a jactis initio elementis et a traditis pietatis formis cursus instituatur, ratione id quod utile est suggerente, consuetudine vero facilitatem ad recte agendum praebente (*Reg. fus.* 15. *n.* 1. *P. Gr.* 31, 951). — Numquid conveniat, ut in fratrum societate *magister* sit *puerorum saecularium ?* Cum Apostolus dixerit : « *Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros : sed* « *educate illos in disciplinâ et correptione Domini ;* » si, qui eos adducunt, adducant hâc mente, et qui suscipiunt, tales sint, ut planissime *confidant posse se oblatos pueros in disciplinâ ac correptione Domini educare, servetur quod a Domino*

Quomodo instituenda.

Digitized by Google

praeceptum est his verbis: « *Sinite parvulos venire ad Me, et* « *nolite prohibere, talium est enim regnum coelorum.* » Sed *citra propositum et spem hujusmodi, neque hoc gratum Deo, neque conveniens nobis, neque utile esse* existimo (*Regul. brev.* 292. *ibid.* 1287).

Puerorum educatio quanti sit momenti ad religionem propagandam.

Mabillon. : S. Anschario (in Daniam perducto) ad propagandam religionem nihil opportunius aut conducibilius evangelicis praeconibus visum est, quam institutio scholarum in quibus pueri indigenae cum literis, tum fidei christianae mysteriis erudirentur (*Annal. t.* 2. *p.* 501).

Qualis esse debeat magister puerorum.

S. Basilius : Praeficiatur pueris quispiam aetate provectior ceterisque experientiâ praestantior, qui etiam lenitatis testimonium habeat, ut paternâ clementiâ ac perito sermone, corrigat juvenum peccata, atque peculiaria remedia singulis delictis afferat; simulque et reprehendatur peccatum, et anima ad imperturbatum quendam statum exerceatur. (*Reg. fus.* 15. *n.* 2. *P. Gr.* 31, 954).

S. Isidorus Hisp. : Cura nutriendorum parvulorum pertinebit ad virum, quem elegerit Pater, sanctum, sapientemque, atque aetate gravem, informantem parvulos, non solum studiis literarum, sed etiam documentis magisterioque virtutum (*Reg. Monach. c.* 20. *n.* 5. *P. L.* 83, 891).

S. Bonaventura : Boni magistri bonos discipulos facere consueverunt (*De sex alis Seraph. c.* 1).

Externae periculacurae animarum.

S. Petrus Dam. : Plerumque contingit, ut qui propriâ non contentus, alienae progreditur saluti consulere, sui potius cogatur periculum sustinere; cumque alii velut inter procellosa naufragia palpitanti manum porrigit, ipsum quoque praecipitem vorax fluctus involvit. Tutius ergo est sub hujus vitae nocturnâ caligine, nos, in litore positos, naufragantibus lumen ingerere, quam ad eos compassionis gratiâ cum propriae vitae periculo pernatare; quatenus ipsi per nos, dato recti cursûs indicio, sinum tuti portûs attingant, non autem nos ad eos transfretantes vorago spumosi maris absorbeat. In vertice montis Raphidim Moyses

Digitized by Google

orabat, et duce Josue, Israël in convalle pugnabat. Sed si Moyses in adjutorium populi sui ad campestria descendisset, Amalech procul dubio Israëlitarum caedentium terga percuteret. Si ille manus ad corripienda arma deponeret, factâ suorum strage, facilem victoriam adversariis triumphantibus praebuisset. Quod nimirum patenter agnoscitur, si ipsa Sacrae Historiae series subtiliter attendatur, ubi dicitur : « *Quia cum levaret Moyses manus, vincebat Israël ; sin autem paululum dimisisset, superabat Amalech* (*Ex.* 17).» Orantis ergo manus, manus praeliantium roborabant ; et quia istae imbelles ad coelum patebant, idcirco illae dimicantes victoriam caesis hostibus obtinebant. Illarum quidem fuit pugna, sed istarum non ambigitur fuisse victoria ; quia ut illis daretur vincere, istae meruerunt divinitus impetrare. At contra Balaam, filius Beor, qui ad proelium cum Madianitis egreditur, cum his, quos jugulare decreverat, gladio trucidatur (*Num.* 31). Et jure, qui proprio non est contentus officio, discrimini redditur obnoxius alieno. Infelix meruit inter bellantium cuneos hostilibus gladiis confossus occumbere, qui in pace positus per prophetiae oraculum ipsius belli potuisset exitum renuntiare (*Opusc.* 12.*c.* 27. *P. L.* 145,280).

Caritatis opera non repugnent monasticae professioni.

Trithemius : Legimus de sanctis patribus hujus sacratae religionis multa laudum praeconia, quae ad imitationem eorum nobis proponuntur. Magna in eis fervebat devotio ; arsit in eorum mentibus regularis disciplinae zelus commendandus, qui eos nunquam sinebat esse otiosos. Salvo enim officio divino, cui omnes devote insistebant, de reliquo monachi studio vacabant Scripturarum ; quibus non solum illuminabantur intellectu, sed etiam compungebantur affectu. In exercitio monachorum semper viget amor, qui de lectione ad orationis vigilantiam vocat studiosos. Nam qui se in sanctis Scripturis amplius exercitassent, vacantibus horis, studio et expositionibus earundem intendebant libros conficientes et varios tractatus, quibus studia fratrum suorum ad Deum quotidie provocabant. Ceteri autem fratres juxta quod Regula vetat, otio non vacabant, sed post orationes

Digitized by Google

operi manuum devote insistebant. Libros scribebant, qui ad hoc erant idonei, et a doctoribus edita ex schedis ad mundum redigebant. Alii scriptos codices artificiose conglutinabant, corrigebant alii, rubro minio ceteri exornabant. Nullius manus huic sancto deerat officio, gaudebant se omnes participes haberi studiorum, quae in expositionibus Scripturarum gerebantur (*De viris illustr. Ord. S. Bened. l.* 1).

Fidelium caritas frigescens, in monachorum congregatione reviviscit et augetur.

S. Joan. Chrysost. : Ego tibi sanctorum Monachorum ostendam tabernacula; veni, et ab eis disce quippiam utile. Lucernae sunt hi lucentes ubique terrarum; muri sunt urbibus circumsedentes. Propterea solitudines petierunt, ut et te doceant populares contemnere tumultus. Nam ipsi quidem utpote qui fortes sint, etiam in medio turbine frui possunt tranquillitate; tibi vero penitus exhausto quies est necessaria, et ab assiduis fluctibus aliquantulum respirare. Illuc itaque frequenter vade, ut continuam diluas maculam, precibus eorum et monitionibus (*Hom.* 72. *in Matth. n.* 4. *P. Gr.* 58, 672).

Digitized by Google

Septimum Elementum.

Regimen seu ratio monasterium in spiritu s. Regulae ordinandi.

Divina s. Ecclesiae constitutio — Consimilis monasterii forma — Dei est familia — Abbas familiae Pater — Ejus electio et nomen — Perpetuitas sive stabilitas Abbatis — Pietas paterna et filialis — Paternum munus: filiorum generatio vel novitiatus — Educatio — Gubernatio — Qualis esse debeat Abbas — Ejus timor Domini, humilitas, dilectio Dei, amor in filios, doctrina, prudentia, discretio, patientia — Perfecta Patris monarchia — Officiales — Prior, Magister novitiorum, Cellerarius, alii — Annua officiorum absolutio — Duplex consilium, Seniorum et Conventûs — Integritas constitutionis monasterii — Congregatio — Abbatia-mater et filiae — Caput Congregationis — Visitatio — Capitulum generale.

Declaratio.

Constitutio sive forma monasticae familiae.

Jam ad extremum venimus Ordinis monastici elementum, nempe ad formam illius vel **constitutionem**. Quae quantum in se momenti habeat ac ponderis, ex eo apparet, quod ipsam, quam ordinat stabilitque, societatis vitam integram servat ac tuetur. Haec quidem causa est, cur Dominus s. Ecclesiae constitutionem

Digitized by Google

Suâ Ipsius auctoritate sic componere voluerit, ut aeque firma esset divinitusque fundata atque veritas ejus et gratiae dispensatio. Neque scio, an pertinacius hostes Ecclesiae constitutionem, quam doctrinam moliti sint destruere vel saltem labefactare (1), pro certo habentes, se cum illâ ipsam simul Ecclesiam eversuros. Quibus etiam hoc adjungas, quod Spiritus Sanctus procedente tempore, ut doctrinam, ita constitutionem illam magis et magis firmaverit atque in luce posuerit (ut Summi electionem Pontificis, creationem Episcoporum, infallibilitatem cathedrae S. Petri).

Consimilis Ecclesiae et monastici Ordinis constitutio.

Jam vero quum Ordo monasticus omnino vitam sequatur rationemque Ecclesiae, conjecturâ facile augurari licet, constitutionem alteram alterius simillimam esse maximeque geminam. Quod ut pateat, diligenter, quaenam sit monasterii forma seu gubernatio, inquiramus. Nam SS. Patriarcha singulare spectat coenobium, quod sic ordinat legibusque componit, ut in se integram complectatur Ordinis monastici vitam et constitutionem. Quid igitur est Monasterium e Legislatoris mente ac sententiâ? Nihil aliud quam parvum quoddam exemplum Ecclesiae, cujus omnino speciem proponit. Est enim **familia Dei.** Insignem hanc coenobii notam S. Regula sole clarius in medio ponit.

Monastica familia.

(1) Exemplo sunt: Byzantinismus, Gallicanismus, Josephinismus, Liberalismus.

Digitized by Google

Itaque monasterium coetus est *filiorum* summo Regi sub *Patre* spirituali famulantium. Nec sine divino nutu atque intimo concursu paternum locum et honorem hic Pater inire videtur. Nimirum Dei gratiâ aspirante jam multo antea in animis monachorum quasi praestituitur, qui eum prae ceteris paterno munere dignum agnoscunt, filialemque anticipant amantissimi animi observantiam ac pietatem. Latum dein filiorum suffragium Ecclesia solemni benedictione tanquam coelesti signat sancitque sigillo, datâque jurisdictione atque auctoritate, divinae Paternitatis partem aliquam societatemque monachorum *Patri* communicat. Hoc quidem modo firmissimum, quo monastica nititur familia, fundamentum jactum est roburque datum et disciplinae et caritati. Primum enim istinc venerabile illud sanctumque manat coenobitici Patris nomen, qui **Abbas** vocatur (1). Quae quidem appellatio tanti est ponderis apud SS. Patriarcham, ut subinde moneat Abbatem, ne, quid nominetur, e memoriâ deponat. Etenim indicare vult SS. Pater, voce illâ summam contineri et caput monastici statûs, ita ut Abbas, si quidem *Pater* sit monachorum, plane suis partibus sufficiat.

Abbas familiae pater creatur.

Abbatis nomen.

(1) *Abbatis* nomen vere est sanctum. Nam vocabulum "*Abba*" inter pauca illa locum habet, quae in Evangelio ex ipso sacratissimo Jesu ore deprompta eâdem formâ eodemque sono, quo prodierunt, nobis conservata reperiuntur. cf. Marc. 14, 36.

Digitized by Google

Abbas ad totam vitam constitutus.

Inde et hoc sequitur, *Abbatem* ad totam vitam constitutum esse, *perpetuâ auctoritate* ac jurisdictione praeditum. Ipsa enim naturalis paternitas ejusmodi est, ut non ad tempus maneat, sed sempiternum jungat cognationis ac necessitudinis vinculum, patrisque ac filii partes omnino nunquam mutentur. Haec quidem universalis lex eo plus habere momenti in Paternitate spirituali videtur, quod non in corpore, sed in ipsâ fundata est animâ, quae illam quasi in immortalitatis suae societatem accipit. Quamobrem non modo *fidelium Patres*, sc. Papa, quem " totus colit praedicatque orbis "; deinde Episcopi, parochi, verum etiam Abbates, *Patres monachorum*, ne monastica familia proprio suo careat firmamento, optimo jure sunt perpetui. Quae quidem Abbatis perpetuitas haud incommode vocatur ejusdem *stabilitas*. Oportet enim tam Patrem quam filium *stabilem* (1) esse, ut nihil prorsus, nisi sola mors, sanctam illam arctissimamque, quae inter utrumque ac monasterium intercedit, conjunctionem dirumpere queat. Quae quidem *stabilitas* si alterutri, sive Patri sive filio, deest, fieri omnino nequit, ut Dei familia salva permaneat, quippe quae ne radices

Abbatis Paternitas coelitus defertur.

1. SS. P. Benedictus *stabilitatem* tanti habet, ut eam voto proprio a filiis suis confirmari velit. Quod quidem votum a principio ad ipsum pertinere monasterium sive ad *familiam claustralem*, quam SS. Pater " *congregationem* " nuncupat, satis compertum est. (Cf. c. 4 in fine et in c. 58 s. Reg.)

Digitized by Google

quidem mittere neu efflorescere possit in tam mobili fluxoque solo. Monastica igitur, de quâ agimus, Abbatis Paternitas profecto ut reliqua, quae in Ecclesiâ exstant, charismata, "*datum* "*optimum et donum perfectum desursum est*, "*descendens a Patre luminum, apud quem* "*non est transmutatio nec vicissitudinis obum-* "*bratio*" (Jac. 1, 17). Una cum omnibus, quibus pollet, juribus officiisque Paternitas illa quodammodo coelitus defertur, indelebiliter quasi stilo gratiae mentibus et monachorum et Abbatis inscripta tanquam spirituale monumentum, quod fidei lumen collustrat.

Hinc pietas paterna et filialis.

Hinc est quod mutua illa, quae tantum ad perfectam valet caritatem consequendam, pietas, tam paterna quam filialis, enascitur, in dies crescens usque ad sanctam fortissimi amoris maturitatem. Ex eodem fonte divina illa redundat virtus, quae mirum in modum vitae religiosae officia sublevat coelestemque animi pacem, fiduciam teneritudinemque et progenerat et perficit, quae sunt monachi propriae. Hoc denique potissimum est, quod quum exitiosam honorum cupiditatem coërcet plurimaque concordiae tranquillitatisque aufert pericula (1), tum Abbati necessariam pastoris

1. Cf. *Suarez* (tract. 8 *de Religione* l. 2 c. 7 n. 8): "Ubi *praelaturae* per electiones "conferendae sunt, moraliter loquendo consultius est, ut sint vel *perpetuae* vel ad- "modum diuturnae... *propter damna et pericula electionum*, quae tam intrinseca "videntur supposità hominum fragilitate et experientiâ, ut difficilius videatur illa "vitare, quam quae sequi solent ex perpetuitate."

Digitized by Google

moderationem praebet facultatemque egregia suscipiendi opera, quae majorem et industriae et temporis impensam exigunt. Omnibus hisce a nobis dictis addas velim, quod jam attigimus, Abbatis perpetuitatem et certâ s. Regulae (1) doctorumque juris Ecclesiastici (2) auctoritate fulciri et necessario sequi e propriâ familiae indole ac formâ.

Annulus Abbatis.

Itaque mystico perpetuitatis sempiternaeque fidei "subarrhatus" annulo Abbas sanctum et suscipit et exsequitur *Patris munus*. Cujus primum est, novos familiae *filios Dei gignere* in spiritu Evangelii et s. Regulae. **Novitius** enim, qui, divinâ vocatus gratiâ, ejus claustrum

Patris est 1.) filios generare,

1. *SS. P. Benedictus* institutum, e quo Abbas per totam vitam suo fungitur munere, ex *Oriente*, ubi inde ab initio viguit, in *Occidentem* transtulit. *Abbas* enim ad tempus constitutus non magis tum cogitari potuit, quam *Episcopus* ejusmodi. Quae quidem sententia per amplius mille annos stetit. Decimo quinto demum saeculo *Ludovicus Barbo* ab eâ ausus est abscedere et quidem, sicut ipse fatetur, ideo tantum, quod nullam aliam invenit viam, quâ monasticus Ordo e miserâ "*Commendae*" calamitate emergeret (Videatur libellus: "De initio et progressu Congregationis Cassinens." Cap. VII. apud Pez, Thesaurus Anecd. tom II. pars III. pag. 289 et: *Tamburinus*, de jure Abbatum tom. I. disp. I. qu. 2. n. 28). Accessit, quod Venetiis ortus republicanae nimis formae favebat. Quod quidem Italiae exemplum simillimis ex rationibus secutae sunt Congregationes Hispaniae ac Portugalliae. Sed, ubicumque et "Commenda" exclusa erat et libera Abbatis electio inviolata servabatur, veluti in *Germaniâ*, *Helvetiâ*, *Hollandiâ*, *Hungariâ*, *Poloniâ*, etiam *perpetuitas Abbatis* integra ordinarie manebat.

2. *Card. Petra:* "*Antiquitus* quilibet *Abbas* eligebatur uti *Sponsus ac perpetuo* "in certo monasterio ab iisdem monachis, qui erant fixi in eodem monasterio, et "factâ electione et habitâ confirmatione *nequibant electi removeri.*" Tom. I. Comment. ad Const. 2. *Eugenii III.* n. 41. p. 322. Ipse etiam *Van Espen*, monachorum etsi libertati infensissimus, fatetur: "*Antiquitus* monasteriorum praefecti sive *Abbates* "*perpetui* vel ad vitam fuisse videntur, neque ullâ in veteri *monasticâ Regulâ* aut "Constitutione de Abbatibus aut Abbatissis triennalibus mentio fit".. Jus Eccles. p. I. tit. 31. c1. n. 15. — Ad quae annotanda duo nobis jure videntur, primum quod haud facile in claustrali familiâ complures reperiuntur, qui omnibus, quae ad Abbatis munus probe explendum requiruntur, virtutibus sint ornati;— deinde quod *Abbas perpetuus* in dies et peritior magisque idoneus evadit ad praestanda officia sua et subditorum indoles atque ingenia accuratius perspicit auctoritateque crescit.

Digitized by Google

ingreditur, ad monasticam nasci vitam filiusque illius Abbatis, frater monachorum illiusque familiae fieri membrum debet. Quare, ut ejusdem familiae indolem, habitum, generis quasi lineamenta accipiat, eo oportet Abbatem, quidquid ipsi est studii atque industriae, diligentissime conferre. Coenobium enim alma Mater, Abbas proprius Pater efficitur monachandi. Ergo curandum huic est, ut nova soboles penitus monasticae coalescat familiae, concordissime quasi uno animo ac sensu victura cum fratribus. Ex quo intelligi potest, suum cuique monasterio novitiatum merito deberi, ut a proprio quasi partus Abbate in familiam novitius inseratur (1). Jam monachus, ubi sacrâ professione, quam alterum Patres baptisma nuncupant, quodammodo renatus est monasterioque ut filius datus, haudquaquam de manu excidit ac de curâ Abbatis. Etenim partum sequitur *educatio*, quâ recens natus sensim ad monasticae asceseos sacraeque scientiae maturitatem informatur. Quam quidem institutionem prae omnibus ad officium spiritualis

2. / educare,

1. Sequitur e supra dictis, Abbatem eos, quos ipsi Deus adduxerit, filios nonnisi necessitate aliquâ compulsum alieno posse novitiatui instituendos tradere. Constat enim, et *s. Regulam* et totam *monastici Ordinis antiquitatem* id ponere, ut unumquodque coenobium suum proprium habeat novitiatum. Tum demum, ex quo tempore simplex amplaque illa familiae notio ac vis magis et magis in oblivionem venit, institutum *communis novitiatus* alicubi induci vel potius *extrinsecus* in monasticum ordinem inferri coepit. Nam ortum suum ex illis habet congregationibus, quae, *stabilitate* carentes, non tam *familias* condunt, quam *militares* potius *turmas*, ad bellum contra Ecclesiae inimicos gerendum proprie destinatas, quibus communis novitiatus magis expedire videtur.

Digitized by Google

3.) Regere.

pertinere Patris apertum est. Itaque Abbas et ipsemet crebris familiam doctrinis sermonibusque erudire et scholasticatum sive studiorum disciplinam paternâ dirigere diligentiâ curat. Tandem Patris est, vigilantissimo et oculo et corde familiam *regere* omniaque in domo Domini sapientissime ordinare, moderari, disponere. Operam igitur dat Abbas, ut non solum rei familiaris curam gerat, sed etiam regularibus omnibus exercitiis praesit tanquam Paterfamilias; maxime vero ut animabus filiorum ad qualecunque consilium, solatium, subsidium praesto sit.

Quasi-episcopalis Abbatis dignitas.

En triplex paternae generationis, educationis gubernationisque munus, Abbati a sanctâ Ecclesiâ impositum. At hoc munus etiam majoris nunc auctoritatis est. Nam s. Ecclesia quasi-episcopali Praelatum dignitate ornans, mirifice et illud auxit ac nobilitavit, partemque Abbati dedit triplicis illius, quâ Christus, cujus vice fungitur, pollet, sacerdotalis, prophetici regiique muneris. Ideo Pontificali ornatu indutus divino praesidet cultui domumque omni coelesti benedictione et gratiâ replet, vere "*deducens, sicut oves, populum*" Domini "*in manu Moysi et Aaron*" (Ps. 76, 21).

Qualis esse debeat Abbas.

Hisce expositis, jam "*qualis esse debeat Abbas,*" paucis dicamus. Primum oportet eum plenum esse *timoris Dei*, memoriâ semper

Digitized by Google

repetentem (id, quod decies ipsi inculcat SS. Patriarcha) severissimam, quam de administratione suâ redditurus est, rationem. Neque enim absolutus subditorum dominus est, sed servus Dei, villicus procuratorque aeterni Patrisfamilias, ad cujus mox judicium sistetur. Ergo Abbati omnia, non prouti libet, sed ex voluntate Dei peragenda sunt. Divina haec voluntas sacrosancta Abbatis lex ac norma est, cui si fidelissime obtemperat, pro suâ parte religiosum s. obedientiae votum persolvit. "*Adveniat regnum Tuum*," non meum, et "*fiat voluntas Tua*," minime vero meum arbitrium, — hic est probi Abbatis sensus, sermo precatioque. Eidem igitur infula spineae potius, quam regiae coronae speciem praebet monens, ut gregi prosit magis, quam praesit. Porro, quoniam "*Dei gratiâ*" est, quod est, solum Dominum, paternae suae dignitatis auctorem intuens, eo refert animum, "*Ut In Omnibus Glorificetur Deus.*" Itaque in perfectâ et mentis et cordis *humilitate* fundatus ornatusque est sanctâ simplicitate, ut unice divinum spectet honorem causamque Jesu Christi ac s. Ecclesiae. Quum semetipsum vere despiciat omnemque fugiat ostentationem, quo plus honoratur, eo se altius humiliari sentit, observantias quidem omnes ad Eum revocans, cujus indignissimum se instrumentum esse persuasum habet.

Omnia agat in timore Dei.

Infula Abbatis.

Divinam unice gloriam intendat.

Humilis ac simplex.

Digitized by Google

Deum diligat, suae memor animae.

E timore autem Domini humilitateque non fictâ efflorescit sancta *dilectio Dei*. In Abbatem enim maxime divinum illud cadit eloquium: "*Quaerite primum regnum Dei et justitiam* (dilectionem) *Ejus, et haec omnia* (reliqua) *adjicientur vobis*" (Matth. 6, 33). Nimirum prae filiis Pater debet Deum quaerere, suae ipsius saluti ac sanctificationi summopere inserviens. Itaque, pastoris instar ovium superne vigilantis, studet Abbas in sublimitate orationis divinaeque praesentiae versari, gregis forma factus et custodia. Plane nihil est, quod de sanctâ fide, spe et caritate dejicere eum possit, ut contuentes filii laete dicant: "*Ipse est pax nostra*" (Eph. 2, 14) et bonus odor Christi. Ita imperturbate, pacifice et similiter placide gubernabit, atque opilio vel potius Angelus custos. "*Diligis Me?*" sic interrogavit Dominus Petrum. Quo quidem affirmato eidem dixit: "*Pasce oves Meas!*" (Joan. 21, 16. sq.) Atque haud secus Abbas, si Deum ut filius diligit, filios suos amabit ut *Pater*. Induet sicut electus Dei, sanctus et dilectus, "*benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*" (Col. 3, 12). Pius ejus et castus amor, quo dies noctesque vere paternâ, imo matris curâ vigilat, quasi oculus est columbinus cum aquilae vultu sociatus. Solum in seipsum austerus, omnibus omnia fit, cum divino clamitans Archipastore:

Pius amor in filios.

Digitized by Google

Omnibus omnia factus.

"*Venite ad me, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Et discite a me, quia mitis sum... Jugum enim* (Domini) *suave est et onus leve*" (Matth. 11, 28 sq.). Apostolici enim haud immemor moniti "*Dei minister est, subditis in bonum*" (Rom. 13, 4), ita ut pastoralis ejus baculus continuo stillet coelestis rorem benedictionis. Vulnus si forte curandum est, post correptionis vinum non negligit oleum clementiae infundere, mirâ patris lenitate mitigans severitatem magistri, ut emendatus filius exultet: "*Virga tua* (quâ castigor) *et baculus tuus* (quo fulcior), *ipsa me consolata sunt*" (Ps. 22, 4). Cum virtutibus modo memoratis pius Abbas singularem conjungit *doctrinam, prudentiam atque discretionem.* Etenim ipsius est, filios docere vias Domini, quibus ad puritatem cordis, sapientiae lumen mysticamque cum summo bono unitatem perveniant. Ejusdem porro est, S. Regulae vim ac spiritum recte docteque interpretari de ejusque praeceptis exsequendis cum sanctâ discretione eximere, ita ut benignissimam pii Jesu coelestisque Patris misericordiam omnibus imitetur partibus. "*In omni*" denique "*patientiâ*" familiam debet gubernare, vere (id quod pectoralis ipsi crux in mentem revocat) filiorum antesignanus et crucifer, qui quidem prius in suo corde salutis vexillum infigere, quam inter alios imperium ejusdem

Baculus pastoralis.

Correptio paterna.

Abbatis doctrina, prudentia, discretio.

Familiam in omni regat patientiâ.

Crux pectoralis.

Digitized by Google

propagare studeat. " *In patientiâ vestrâ possidebitis animas* " et " *vestras* " et filiorum, quorum aeterna res prosperrime ad pedes s. Crucis vel tabernaculi tractatur atque curatur. Sed satis de hoc.

Paterna sive monarchica Abbatis potestas.

Jam, quae Abbatialis sit gubernationis forma, exquiramas. Ex eo, quod Abbas proprie monachorum *Pater* est, consequenter efficitur, *paternam* eum *auctoritatem* tenere, ita quidem, ut ex solo illius judicio imperioque totum monasterii regimen pendeat. In paternâ igitur Abbatis manu positae sunt et personae et res familiares, quarum omnino momentum ac potestatem habet, ex suâ tantum conscientiâ de unaquaque re decernens.

Perfecta monarchia.

Nemo non videt, in paternâ hâc sive *monarchicâ* Abbatis auctoritate cardinem versari totius monasticae constitutionis. Etenim ut omnis familia, ita praecipue familia Dei, tam quae in coelis est, quam quae in terrâ (Ecclesia, dioecesis, parochia, coenobium), *perfectam* in conspectu ponit *Monarchiam*, in quâ omnia dominatu unius reguntur sive Dei sive illius, qui Ejus locum tenet. Proinde et Abbas nullo alio constringitur modo, nisi quem Dei mandata legesque vel Ecclesiae vel Ordinis ei imponunt. Ubi vero filiis licet Patri imperare agendique praescribere modum, profecto ibi subversa familia de ejusque salute actum est.

Digitized by Google

Unde ratio, quâ SS. Patriarcha monasterium regi vult, facile patet.

Atqui Abbatem omnibus, quotquot coenobii administratio requirit, officiis satisfacere solum non posse, quis est, qui hoc neget? Idcirco **officiales** sibi eligit tanquam totidem muneris sui "*solatia.*" Inter quos primum *Prior* locum tenet. Eo enim Abbas tanquam proximo utitur laborum socio atque administro, ita ut, absente ipso vel impedito, monasterio praesit, omni curâ vigilans, ne quam regularis observantia jacturam faciat. Prioris muneri quasi vicarius, si opus est, succedit *Subprior* monasterii. Deinde in tironibus educandis atque instituendis diligentissimam Abbati sollicitudinem suam praebet *Magister Novitiorum*, cujus quidem officium, quia spes messis in semine est, plurimum momenti habet ac ponderis. Nam Magister tanquam forma est, quae in se transfusa novitiorum corda recipiat eaque effingat secundum cor Jesu Christi. Propterea oportet praestare ipsum clarissimum exemplar monachi per diligentissimam s. Regulae observantiam, quâ munitus humiliter ac suaviter, sancte et patientissime novitios Deo atque Abbati informet ut filios obsequiosissimos ac felicissimos. Plane materno affectus amore maximam animarum aestimationem habere easque hâc potissimum imbuere doctrinâ debet: "*Deus vester*

Abbas suos sibi officiales eligit.

Prior et Subprior.

Magister novitiorum

Digitized by Google

Cellerarius.

est et vos estis Dei." In temporalibus porro monasterii curis ac negotiis vicariam Abbati operam praestat *Cellerarius*. Ejus enim est, rem familiarem religiosissime administrare, necessaria ad domesticam vitam fideliter procurare, dispensare, conservare; omnia denique ministeria externa in timore Dei juste, pie sapienterque gerere. Quod quidem operosum munus ut laeto exsequatur animo, auxiliaribus quibusdam ab Abbate officialibus praefectus

Reliqui monasterii officiales.

est, in quorum numero referuntur: *Procurator, oeconomus, depositarius, vestiarius, coquus, hortulanus*, alii. His si annumeraverimus *infirmarium, hospitalarium* et *eleemosynarium, instructorem* fratrum conversorum, *ceremoniarium, cantorem* ac *sacristam*, Capituli *secretarium, annalistam* et *cancellarium, bibliothecarium* denique, vix quemquam e solitis claustri officialibus praetermisisse nobis videmur. Quorum quidem suum quisque officium, tanquam obediens filius, sicut auctore, ita auspice duceque Abbate, debet et suscipere et exsequi, nihil omnino agens, nisi quod et quamdiu velit Paterfamilias. Quamobrem non modo ad Abbatis nutum possunt a munere amoveri, sed fert etiam commendatissima monastici Ordinis consuetudo, ut quotannis singuli et omnes *officiales muneribus solemniter solvantur* ac paucos demum post dies aut novi aut iidem

Annua officiorum absolutio.

Digitized by Google

iterum, prout Abbati libuerit, instituantur. Ipso autem vacationis tempore, quum jus omnis imperii in unius Abbatis reposita sit manibus, mirum prorsus est, quanta lux et quam sancta quasi majestas afferatur et pietati et auctoritati Patris.

Intimum Abbatis consilium.

At praeter illa, de quibus disseruimus, muneris subsidia, alterum sibi Abbas adminiculum comparat. Licet enim omnia proprio regat jure suo, tamen familiam, quotiescunque de gravibus ejusdem negotiis agitur, in deliberationem familiareque adhibet consilium. Quod ut faciat, ipsâ impellitur familiae naturâ atque consuetudine et pietate illâ paternâ, quae perfectâ animorum concordiâ et consensione nititur.

Hinc duplex emanavit institutum monasticum, ordinarium unum, alterum extraordinarium quoddam *Abbatis consilium*. Primum illud tanquam coenobii Senatus est sive coetus *Seniorum*, quorum dimidiam partem ipse sibi Abbas, alteram Conventus legere quotannis solet. Ordinarios hos consiliarios Pater tanquam filios usu ac sapientiâ praestantissimos in deliberationem vocat pro quâvis familiae vel necessitate vel utilitate. Cui quidem senatui maxima similitudo est cum collegio Canonicorum, quos Episcopus in suum assumit consilium. Alterum illud extraordi-

Digitized by Google

Adhibendi ad consilium fratres.

narium, quo Abbas utitur, consilium est *Conventus* totius familiae. Peraequum enim est ac pii Patris proprium, quoties de gravioribus agitur rebus familiae, ipsum cunctos ejusdem convocare filios, sententias eorum in sanctâ et familiaritate et caritate exquisiturum. Atque illi, quum, quae ipsis videntur, filiali animo prorsus libero humilique exponant, magnopere cavebunt, ne quo modo discedant a verecundo, quod Patri debeatur, obsequio. Ita, quum et Patris imperium vere pium sit, omni destitutum libidine, et filiorum studium tale, quale sanctus zelus familiaeque hierarchicus ordo deposcunt, fieri omnino non potest, quin animi consiliorum etiam societate magis magisque conglutinentur in cor unum atque unam animam (1). Ex iis, quae de paternâ Abbatis auctoritate attulimus, hoc plane liquet, potestatem ejus non delegatam, sed ordinariam esse, optimoque jure Summo Pontifici immediate subjici.

Abbas monachorum Ordinarius

Ecce jam sacra monastici regiminis forma adumbrata talis, qualis elucere nobis e S. Regulâ ejusque spiritu videtur. Eadem certe

1. Cf. egregium *Cap. 3 s. Regulae.* Et si canonicis postea decretis aliqua ab Abbatis arbitrio excepta atque assensui suffragiisque Conventûs subjecta sunt, tamen hujusmodi exceptiones regulam confirmant potius, quam attenuant, quoniam omnes fere praeter admissionem novitii ad s. vota hoc intendunt, ne monasterii res familiaris dissipetur. Tantum igitur abest, ut s. Ecclesia liberam Abbatis gubernationem coerceat, ut monasticam constitutionem a periculis atque abusibus sapientissime tueatur.

Digitized by Google

Regula, sicut jam dictum est, solum illustrare ac disponere *coenobium* instituit, quoniam hoc quidem *suum perficit quasi orbem atque organismum, omnia prorsus in se complectens, quae ad vitae monasticae integritatem plenitudinemque pertinent, tam secundum substantiam illius, quam secundum formam* (1).

Singula monasteria in se perfecta.

Neque tamen eo jam absoluta ac plane perfecta est Ordinis monastici constitutio. Ipsa enim *naturalis familia*, cujus quodammodo exemplar ac supernaturalis forma coenobitica est familia, latius sese explicat, propagat atque disseminat. Nam membra paulatim emittit, quae familias condant novas, cum *familiâ-matre* conjunctas, unde *gens* sive *cognationis communitas* enascitur. Simili ratione *coenobitica familia* paulatim diffunditur et in monasticam, ut ita dicam, gentem seu prosapiam accrescit. Cujus quidem amplificationis speciem si quaeris, ad incunabula velim Ordinis monastici redeas. Nimirum Deus, quum *B. Benedictum* ad excelsum monastici Legislatoris munus instituisset, tot ipsi discipulos adduxit, brevi ut Sublacensis cella loco deficeret. Quamobrem vir Dei duodecim illorum misit, qui alterum conderent monasterium ibi-

Monasterium in Congregationem accrescit.

Prima Congregationis species.

1. Quae quidem perfectio vel integritas ut etiam in exteriori Abbatiae dispositione appareat, SS. Patriarcha constituit, ut, quaecunque ad usum vitae necessaria sunt, quantum fieri posset, intra ipsum compararentur monasterium. Cf. s. Reg. c. 66 et c. 57.

Digitized by Google

que vitae disciplinam incunabulis aequalem instituerent. Simul unum ipsis Patrem praefecit, cui omnia detulit Abbatis et jura et officia. Idque SS. Pater duodecies repetiit. *En illustre* **Congregationis** *monasticae exemplar atque archetypum.* Abbatiam-matrem cernimus et filiarum coronam; deinde novos Abbates eorumque communem Patrem seu Patriarcham *SS. Benedictum.* Hic enim nequaquam abalienatus ab illis separatusque est, imo vero pius eorum Pater permansit. Amantissimo enim filios, praecipue Abbates, corde amplectens, pro illis vigilabat, orabat, curabat, semper ad eos juvandos, docendos, admonendos vel etiam, si opus esset, arguendos paratus. Ex quâ quidem primariâ monasticae Congregationis formâ haud difficile videtur, normam, quam sequi debeant coenobia, designare. Ante omnia constat, illam e verâ sanctae familiae ratione proficisci et *patriarchalem* omnino, neque vero, ut mos habet hujus aetatis, constitutionalem prae se ferre indolem ac naturam. Ut spem fructuosae afferat vitae, Congregationem necesse est modo spiritualis *generationis* (vel certe *regenerationis*) (1) effici. Coenobium igitur recens natum spiritualem filiationis necessitudinem jungit cum Abbatiâ, ex quâ

Congregationis ratio.

1. *Regenerationem* dicimus, si monasterium, ut ad strictiorem reducatur disciplinam, sese talem observanti Abbatiae-matri adjungit eoque tanquam ejusdem filia *quasi iterum generatur* ad novam sanctimoniae vitam.

Digitized by Google

prodiit, ita ut haec ipsius *Mater* sit (*metropolis* sive *metrocoenobium*, gallice "*moutiermère*"). Hanc vero matrem quâdam *filiali* et pietate et observantiâ esse colendam, quis infitiabitur? At *alma Mater* Sponsum habet mystice sibi conjunctum, qui principatûs illius et consors et patronus est, *Abbatem* dico *metrocoenobii*. Qui quum ob mysticum illud connubium vere sit Congregationis caput, Patris dignitate atque auctoritate praeditus, quis est, quin convenire hoc putet, *paterno etiam nomine ipsum salutari?* Inspiciamus omnis spiritualis ordinis speculum atque exemplar, sanctam Ecclesiam. Ibi enim *summus* quidem *omnium Episcopus et Pater* Papa est, provinciarum autem capita *Metropolitae* vel *Archiepiscopi*, qui non modo Ecclesiae ipsorum metropolitanae, sed etiam suffraganorum Antistitum *Patres* exsistunt. Atque hoc quidem in ipsâ nititur ratione originis provinciarum ecclesiasticarum. Episcopus enim a summo Pontifice missus fidei lumen latius latiusque disseminat ac, prouti opus est, novas condit sedes Episcopales. Quarum sedium *Episcopi* ita ab illo pendent, ut hic sit ipsorum *Archiepiscopus* ejusque Ecclesia *Metropolis* vel *Ecclesia-mater* illarum (1), in quas ut in *filias* quibusdam maternae auctoritatis juribus utitur. Jam vero

Metrocoenobium alma filiarum mater.

Quo nomine Pater Congregationis sit appellandus

1. Cf. Catech. Rom. P. II. cap. 7. de ordinis sacram. n. 26.

Digitized by Google

simili modo atque haec *Provincia Ecclesiastica* nascitur *coenobitica Provincia* seu *Congregatio*, ita ut in hâc quoque re vita monastici Ordinis aptissime respondeat S. Ecclesiae vitae. Quodsi igitur *Episcopis* comparandi sunt in monastico Ordine *Abbates*, nonne consentaneum videtur, Congregationis Patrem, instar *Archiepiscopi*, nuncupari *Archiabbatem* (1)? Accedit, quod "*Archiabbatis*" nomen haud obscure videtur paternam Congregationis (2) formam (Abbas, id est, pater) conservare. Denique eadem denominatio ne traditioni quidem monasticae repugnat, ut exemplum docet Archiabbatis S. Martini in Pannoniâ, qui caput est venerabilis Congregationis Hungaricae. Decernat hac de re summus Pontifex et Abbatum Abbas, penes quem omnis est et ecclesiastica et monastica potestas. Hoc certe vix quisquam negabit, appellationes nuper in usum receptas vel "*Praesidentis*" vel "*Generalis Superioris*" vel Abbatis "*Generalis*" discrepare a familiâ ac simplicitate monasticâ in eamque extrinsecus sese insinuasse. Nobis autem benigne permittatur, ut brevitatis

---

1. Ut is, qui in Ecclesia valet, usus clariori ponatur in luce, citare etiam *archipresbyteros et archidiaconos* juvat.

2. Nequaquam enim per naturam monastici instituti licet, cuncta ejusdem monasteria in unum corpus sub unius capitis gubernatione conjungere; juvat potius secundum Metropolium rationem compluria coenobia ad amplioris familiae societatem coalescere.

Digitized by Google

causa caput Congregationis *Archiabbatem* vocemus.

Cujus quaenam sint jura et officia, obscurum vix est nec tam difficile ad explicandum, quam intuenti primo videtur. Clarissimam enim lucem quaestioni huic afferunt quum statuta Congregationis Cluniacensis, tum praecipue immortalis illa, quam *S. Stephanus*, Cistercii Abbas, conscripsit "*Charta Caritatis.*" Quae quidem adeo diligenter, subtiliter ac discrete justissimam coenobiticae vitae rationem explicat, ut, quae inter praecipua monasticae traditionis documenta censeatur, merito digna sit. At etiam plus habere auctoritatis videri potest. Etenim tam s. Concilia velut *Lateran.* IV. et *Tridentinum*, quam summi Pontifices, imprimis *Innocentius III.* et *Gregorius IX.*, ad illius potissimum normam ("juxta morem Cisterciensis Ordinis") dirigenda *Cluniacensium* aliorumque Monachorum generalia capitula, declararunt (1). Unde forte argumentari licet, totam illius constitutionis indolem ad veram monasticae Congregationis ideam ex mente Ecclesiae propius accedere.

"Charta Caritatis" monasticae Congregationis quasi norma.

Itaque animo primum teneatur, Archiabbatem esse *Patrem* quidem totius Congregationis, sed tantum proprii, cui praeest, metrocoenobii

Archiabbas sui tantum coenobii gubernator.

1. Lateran. IV. ann. 1215. cap. XI. — Trident. sess. XXV. cap. VIII. — Greg. IX. Constit: "Behemoth" ann. 1233.

Digitized by Google

gubernatorem. Ex quo sequitur, a suo Abbate unumquodque monasterium sic regi, ut penes eum universa sit administratio illius ac dispositio tam in rebus temporalibus quam in spiritualibus. Quisquis coenobio praeest ut Abbas, perfectus propriusque filiorum suorum Pater est et caput. Unde, si quis forte monachus ob salutem vel totius Congregationis vel propriae familiae e coenobio suo ad aliud aliquamdiu transferendus videtur, Archiabbati hoc edicere non licet nisi consentientibus ipsis, de quorum familiis agitur, Abbatibus. Nimirum Archiabbas Abbatum potius Pater est, quorum filii illum non tam ut Patrem, quam ut patriarchale colunt Congregationis caput. Quamquam, ne prorsus irrita evadat capitis dignitas, hoc asserendum nobis videtur, jurisdictione et auctoritate paternâ Archiabbatem in totâ Congregatione uti oportere. Hinc duo in eum privilegia jure redundant, quorum primum quidem e principatu Abbatiae–matris profluit, quae filiarum, ut quodammodo cor sic norma est. Ad illius igitur regulam totam ubilibet vitam monasticam exaequari decet, ita ut et s. Regulae sensum definiat (1) et ordinem ritumque

Metrocoenobium normam praebeat totius vitae monasticae.

1. Cf. Charta Caritatis cap. I n. 1: " Nunc ergo volumus illisque (Abbatibus et monachis) praecipimus, ut *Regulam B. Benedicti per omnia observent, sicut in Novo-monasterio observatur. Non alium inducant sensum in lectionem s. Regulae; sed sicut antecessores nostri Patres,* monachi videlicet Novi-monasterii, intellexerunt et tenuerunt *et nos* hodie *intelligimus et* tenemus, ita et isti intelligant et teneant. " (P. L. 166, 1379)

Digitized by Google

s. Liturgiae una cum quibusdam usibus magis generalibus, quorum conservat librum, statuat (1). Porro alterum, quod proprium est Archiabbatis, jus in eo consistit, ut paternâ cum sollicitudine atque auctoritate regulari invigilet totius Congregationis observantiae (2), legitimus quasi custos, conservator ac vindex s. Regulae et propriae, quae Congregationem distinguit, disciplinae monasticae.

Duplex ratio invigilandi regulari observantiae: 1.) Visitatio.

Unde duplex illi gravissimi momenti munus enascitur. Ad Archiabbatem enim pertinet, frequenter (singulis plerumque annis, cf. *Trid. Conc.* Sess. 25, c. 20) Congregationis Abbatias **visitare** (3). Cujus quum sit Pater, pio temperare animo non potest, quin domos dilectorum perlustret filiorum, Abbatum dico, earumque prosperitate gaudeat. Ubi omnem impendet operam curamque, ut non solum pietatis caritatisque vinculum, quo cum Abbatia-matre conjuncta est filia, arctius astringatur, verum

1. Cf. Charta Caritatis cap. I n. 2: "Quia omnes monachos (reliquorum Abbatum) ad nos venientes in claustro nostro recipimus et ipsi similiter nostros in claustris suis recipiunt, ideo nobis opportunum videtur et hoc etiam *volumus, ut mores et cantum et libros omnes, ad omnes horas diurnas et nocturnas et ad Missas necessarios, secundum formam morum et librorum Novi-monasterii (Cistercii) possideant*, quatenus in actibus nostris *nulla sit discordia*, sed *unâ caritate, unâ Regulâ similibusque vivamus moribus.*"

2. Cf. Charta Caritatis cap. I: "*Curam animarum* illorum (sc. Abbatum et monachorum omnium) *gratiâ caritatis* retinere volumus, ut, *si quando a proposito et observantiâ s. Regulae, quod absit, declinare tentaverint, per nostram sollicitudinem ad rectitudinem vitae redire possint.*"

3. Cf. Charta Caritatis (Cap. II n. 8): *Semel per annum visitet Abbas Majoris Ecclesiae per* se vel per aliquem de coabbatibus suis *omnia coenobia*, quae ipse fundaverit. Et si fratres amplius visitaverit, inde magis gaudeant (P. L. 166, 1380).

Digitized by Google

etiam monachorum studium, quo amantissime proprium complectuntur Abbatem, augeatur ac magis inflammetur. Archiabbas Monasterium aliquod ingressus laete excipitur, eique proprius Abbas omnibus in exercitiis et praesidendi et benedicendi honorem filiali cedit pietate(1). Neque minus ille benignis sapientibusque monitis, consiliis, deliberationibus Abbatem juvat, et si quem monachum aliquâ afflictum difficultate aut delinquentem invenerit, sancte eum sublevat vel per Abbatem suum corrigit. Quaecunque enim in coenobio emendanda, sananda, restauranda censet, ea auctore Patrefamilias potius, quam suâ sponte ad meliorem revocare conditionem studet (2). Jam vero ut pio animo Pater invisere filios cupit, ita filii desiderant, almam Matrem Patremque salutatum ad metrocoenobium venire. Nimirum sancto quodam animi fervore feruntur, ut Abbatiam-matrem honore, Archiabbatem filiali prosequantur amore, cultu atque obsequio. Vere igitur suavissimi sunt et festivissimi dies,

1. Cf. Charta Caritatis (Cap. II. n. 4) : Cum Abbas Novi-monasterii ad aliquod horum coenobiorum visitandi gratia venerit, *Abbas illius loci, ut Ecclesiam Novi-monasterii suae Ecclesiae matrem esse recognoscat, cedat ei in omnibus locis sui monasterii;* et ipse Abbas adveniens locum illius Abbatis, quamdiu ibi manserit, teneat.

2. Cf. Charta Caritatis (Cap. II n. 6) : "Abbas Novi-*monasterii caveat, ne quidquam praesumat tractare* aut *ordinare* aut *contingere de rebus illius loci*, ad quem venerit, *contra Abbatis vel fratrum voluntatem.* — N. 7. : "Si autem praecepta Regulae vel nostri Ordinis instituta intellexerit in eodem loco praevaricari, *cum consilio praesentis Abbatis caritative studeat fratres corrigere.* Si vero Abbas loci non affuerit, nihilominus *corrigat, quod sinistrum invenerit.*"

Digitized by Google

quos quasi in sinu matris Pater filiique sancte peragunt et quibus certatim mutuum sibi amoris ac boni zeli impendunt studium.

2.) Capitulum generale.

His verbis significatum a nobis est salutare institutum **Capituli generalis,** quod certis temporibus, monente s. Ecclesiâ celebrari solet (1). Atqui Archiabbatis est, solemnia haec Congregationis comitia convocare eorumque moderatorem esse. Profecto tum vere Pater est in medio filiorum. Exponitur autem, qui familiarum sit status quaeque spes, enarranturque fortunae vicissitudines, labores, difficultates. Si aliqua vel rei familiaris vel personarum angustiis premitur, subsidium petitur fratrum, qui maximo caritatis studio ad propulsandam necessitatem concurrunt. Omnes sibi invicem tanquam unius familiae membra manum porrigunt, opem ferunt, praesto sunt (2). Porro in deliberationem vocantur res prosperitasque totius Congregationis, bonum pacis et concordiae, disciplinae vigor regularisque observantiae. Unde fieri omnino non potest, quin mutuae Patris filiorumque cohortationes mirifice renovent atque inflamment non solum

Abbatum mutua inter se subsidia, hortamina, incitamenta.

1. Cf. Charta Caritatis (Cap. III n. 13): "*Omnes Abbates* de Ordine nostro singulis annis ad Cisterciense *Capitulum generale*, omni postpositâ occasione, convenient, illis solis exceptis, quos corporis infirmitas retinuerit."

2. Cf. Charta Caritatis (Cap. III n. 17): "*Si aliqua Ecclesia pauperiem intolerabilem incurrerit*, Abbas loci illius omni Capitulo hanc causam intimare studeat, et tunc singuli *Abbates, maximo caritatis igne succensi*, illius Ecclesiae *penuriam* de rebus a Deo sibi collatis, *prout habuerint, sustentare festinent.*"

Digitized by Google

fraternam unanimitatem, sed etiam s. Regulae amorem omnibusque animum addant et sanctum stimulum (1).

Capitulum culpae.

Neque tamen his res absoluta est. Nam *Capitulum generale*, de quo agimus, proprium etiam " *Capitulum* " est instar regularis Capituli, quod in suâ quisque Abbas familiâ rite peragit, et quod denominatum est a *Capitulo* s. Regulae publice lecto atque explicato, cui quidem voluntaria adjungi solet confessio sive *Capitulum culpae*. Proinde in Capitulo generali non modo de regulari disseritur observantiâ, sed instituitur etiam quoddam *culpae Capitulum*, in quo Archiabbas similem inter Abbates locum tenet, atque hi ipsi inter filios suos. Idcirco si quid Abbates deliquerint in excelso munere suo fungendo, id magno humilique animo Patri confitentur ejusque piam reprehensionem, admonitionem, poenitentiam grati excipiunt, laetantes, quod ad tempus rursum monachi agere partes ipsis liceat (2).

Omnes eidem Abbates et Priores intersunt.

Ex his, quae a nobis proposita sunt, aequum ac par esse concluditur, ad Capitulum generale

---

1. Cf. Charta Caritatis n. 14 : " In quo quidem Capitulo generali *de salute animarum suarum* tractent, et, *in observatione s. Regulae et Ordinis si quid emendandum fuerit vel agendum, ordinent. Bonum pacis et caritatis inter se reforment.* "

2. Cf. Charta Caritatis (Cap. III. n. 15) : " Si quis *Abbas minus in Regulâ studiosus* fuerit vel *rebus saecularibus nimis intentus* vel *in aliquibus vitiosus* repertus fuerit... *veniam petat et poenitentiam sibi pro culpâ indictam adimpleat.* " — " *Proclamatio*", quae pro voluntariâ culpae confessione vel pro reprehensione ejus, qui Capitulo praeest, in consuetudinem venit, nobis discrepare a spiritu familiae videtur.

Digitized by Google

solos convocari Abbates Prioresque conventuales (non claustrales), ne, praesentibus monachis, Patrum auctoritas ullum detrimentum faciat. Neque minus hoc apparet, Archiabbatis tanquam totius Congregationis Patris esse, electioni praesidere cujuslibet novi Abbatis (1). Ex alterâ vero parte conveniens est et justum, si novus eligendus sit Archiabbas, praeter metrocoenobium reliquas etiam Congregationis familias aliquod electionis momentum habere. Denique, si quod Congregationis coenobium novam condit familiam, illius Abbas paternam nanciscitur in filiam auctoritatem, perinde atque Archiabbas. Qui tamen "major Abbas" in Capitulo generali Archiabbatem pristino colit pietatis studio (2).

Electio capitis Congregationis.

En adumbrata a nobis, vel — hoc dicere ausim — a s. Ecclesiâ aliqualiter proposita, monasticae *Congregationis* summa. Ex quâ quidem quot et quanta in monasticum Ordinem redundent emolumenta, supervacaneum est exponere. Hoc unum proferre liceat, quod ex hodierni temporis usu non singula amplius

1. Cf. Charta Caritatis (Cap. IV, n. 18): "Si qua domus Ordinis nostri Abbate proprio fuerit destituta, *Major Abbas*, de cujus domo illa exivit, omnem *curam habeat ordinationis illius, donec Abbas alius eligatur in eâ.* Et praefixâ die electionis, etiam ex Abbatibus, si quos domus illa genuerit, advocentur, et, *consilio et voluntate Patris Abbatis*, Abbates et monachi domus illius *Abbatem eligant.*"

2. Cf. Charta Caritatis (Cap. III. n. 12): Quum aliqua Ecclesiarum nostrarum Dei gratiâ adeo creverit, ut aliud coenobium construere possit, illam definitionem, quam nos inter fratres nostros tenemus, et ipsi inter se teneant, *excepto, quod inter se* annuum *Capitulum non habeant.*"

Digitized by Google

monasteria, sed sola Congregationum capita, additis forte paucis Abbatibus Ordinariis, sedem habent in Conciliis oecumenicis.

Utinam igitur amplissima illa, quae quum antiquitate tum gloriâ meritisque praestant, Ordinis monastici coenobia, adhuc separata, sese conjungant, ut in ampliores congregata familias ex se ipsis renascantur et sanctâ vitâ fecunditateque alacriter juvenescant! Tum quis scit, an Sanctissimus universae Dei familiae Pater, *Summus Abbas* et Papa noster, aliquando omnium SS. Patriarchae Congregationum Capita ad aeternam convocet Urbem, ut, in oecumenicum quasi *Concilium monasticum* congregata, renovatum Ordinem tanquam sacrum universalis regenerationis fermentum atque adminiculum in manus tradant communis Patrisfamilias. Profecto id quod auctore SS. P. Benedicto feliciter quondam cessit, divinâ juvante gratiâ iterum evenire potest, hoc dico, ut monasticus Ordo tanquam arca testamenti, duce summo Pontifice, pro electo populo Israël strenue propugnet, Domini proeliis decertans clarissimasque reportans de hostibus Christi victorias, *Ut In Omnibus Glorificetur Deus!*

Monasticus Ordo acies ordinata vel arca Dei.

Digitized by Google

Testimonia

I. ex S. Regula, II. ex decretis et documentis S. Ecclesiae, III. ex Sanctorum et Doctorum scriptis deprompta.

S. Regula.

IN *Abbatis ordinatione* illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi *ommis concors Congregatio*, secundum timorem Dei, sive etiam pars quamvis parva Congregationis saniori consilio elegerit. Vitae autem *merito*, et *sapientiae doctrinâ eligatur*, qui ordinandus est, etiam si ultimus fuerit in ordine Congregationis. — *Domui Dei dignum constituant dispensatorem*, scientes, pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud *caste et zelo Dei* faciant, sicut e contrario peccatum, si negligant (*c.* 64).

Electio Abbatis.

Abbas, quia vices Christi agere videtur, Domnus et *Abbas vocetur*, non suâ assumptione, sed *honore* et *amore Christi*. Ipse autem cogitet et sic se exhibeat, ut dignus sit tali honore (*c.* 63).

Abbas, Pater nomine, dignitate, gratiâ et officio.

Abbas, qui praeesse dignus est monasterio, semper *meminisse debet, quod dicitur, et nomen* Majoris *factis implere. Christi enim agere vices in monasterio creditur*, quando Ipsius vocatur praenomine, dicente Apostolo : « *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater* » (*c.* 2).

Qualis esse debeat Abbas.

Meminisse debet semper Abbas, quod est, *meminisse quod dicitur*, et scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur ; sciatque quam difficilem et arduam rem suscepit, *regere animas* et multorum servire moribus (*c.* 2). — Ordinatus Abbas *cogitet semper, quale onus suscepit*, et *cui redditurus est rationem villicationis* suae ; sciatque sibi oportere prodesse magis quam praeesse (*c.* 64).

In timore Dei agat omnia.

Abbas *cum timore Dei* et observatione Regulae omnia

Digitized by Google

faciat, sciens se procul dubio de omnibus judiciis suis *aequissimo judici Deo rationem redditurum* (*c.* 3).

Abbas non conturbet gregem sibi commissum, *nec quasi liberâ utens potestate injuste disponat aliquid;* sed cogitet semper, quia de omnibus judiciis et operibus suis *redditurus est Deo rationem* (*c.* 63).

Cogitet Abbas, se de omnibus judiciis *Deo redditurum rationem*, ne forte invidiae aut zeli flamma urat animam (*c.* 65).

Abbas in omnibus judiciis suis *Dei retributionem cogitet* (*c.* 55).

Ad Abbatem respicit, quidquid a discipulis delinquitur (*c.* 36).

Memor sit semper Abbas, quia doctrinae suae vel discipulorum obedientiae, utrarumque rerum, *in tremendo judicio Dei facienda erit discussio*, sciatque Abbas culpae pastoris incumbere, quidquid in ovibus *paterfamilias* utilitatis minus potuerit invenire (*c.* 2).

Sciatque, quia, qui suscipit animas regendas, *praeparet se ad rationem reddendam.* Et quantum sub curâ suâ fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die judicii ipsarum *omnium animarum est redditurus Domino rationem*, sine dubio *additâ et suae animae.* Et ita timens semper futuram discussionem pastoris de creditis ovibus, cum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus. Et cum de admonitionibus suis emendationem aliis subministrat, ipse efficitur a vitiis emendatus (*c.* 2).

Abbas humilis servus Dei.

Abbas Regulam in omnibus conservet, ut, dum bene ministraverit, audiat a Domino, quod « *servus bonus*, » qui erogavit triticum conservis suis in tempore suo : « *Amen, dico vobis*, » ait, « *super omnia bona sua constituet eum* » (*c.* 64).

Pius Abbatis amor in filios.

Abbas pium Patris ostendat affectum. — Non ab eo persona in monasterio discernatur. *Non unus plus ametur*, quam alius, nisi quem in bonis actibus aut obedientiâ invenerit meliorem.... Sive servus sive liber, omnes in Christo unum sumus et sub uno Domino aequalem servitutis militiam bajulamus : « *Quia non est personarum acceptio apud*

Digitized by Google

Deum. » Solummodo in hâc parte apud Ipsum discernimur, si meliores aliis in operibus bonis et humiles inveniamur. Ergo *aequalis sit omnibus ab eo caritas*, una praebeatur omnibus secundum merita disciplina (*c.* 2).

(Oportet eum esse) castum, sobrium, *misericordem ;* et *semper superexaltet misericordiam judicio*, ut idem ipse consequatur. Oderit vitia, *diligat fratres. — Studeat plus amari quam timeri* (*c.* 64).

Vita S. Benedicti : Exemplo sit pietas SS. Patriarchae, qui, quum ei destructio monasterii praediceretur, petiit, ut sibi saltem ex eo loco discipulorum animae concederentur ; et in consolatione vitam omnium, qui eum comitabantur, accepit (*c.* 17).

Curam gerat animarum pissimam.

Omni sollicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes fratres, quia « *non est opus sanis medicus, sed male habentibus.* » Et ideo uti debet omni modo ut sapiens medicus : immittere quasi occultos consolatores Sympaectas, id est seniores sapientes fratres, qui quasi secrete consolentur fratrem fluctuantem et provocent eum ad humilitatis satisfactionem et consolentur eum, ne abundantiori tristitiâ absorbeatur ; sed sicut ait Apostolus : « *Confirmetur in eo caritas et oretur pro eo ab omnibus.* » Magnopere enim debet sollicitudinem gerere Abbas circa delinquentes fratres et omni sagacitate et industriâ curare, ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat. *Noverit* enim *se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem ;* et metuat Prophetae comminationem, per quem dicit Deus : « *Quod crassum videbatis, assumebatis ; et quod debile erat, projiciebatis.* » Et *Pastoris boni pium imitetur exemplum*, qui, relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem, quae erraverat, quaerere, cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere et sic reportare ad gregem (*c.* 27).

Ante omnia, *ne dissimulans aut parvipendens salutem animarum* sibi commissarum, plus gerat sollicitudinem de rebus transitoriis et terrenis atque caducis, sed semper cogi-

Digitized by Google

tet, quia animas suscepit regendas, de quibus et rationem redditurus est. Et, ne causetur forte de minori substantiâ, meminerit scriptum : « *Primum quaerite regnum Dei et justitiam Ejus, et haec omnia adjicientur vobis.* » Et iterum : « *Nihil deest timentibus Eum* » (*c.* 2).

Si viderit (Abbas, *in delinquente fratre*) nihil suam praevalere industriam, *adhibeat* etiam (quod majus est) *suam et omnium fratrum pro eo orationem*, ut Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc jam utatur Abbas ferro abscissionis, ut ait Apostolus : « *Auferte malum ex vobis.* » Et iterum : « *Infidelis si discedit, discedat :* » ne una ovis morbida omnem gregem contaminet (*c.* 28).

Paterna sit correctio.

In correctione prudenter agat, et ne quid nimis ; ne dum nimis eradere cupit aeruginem, frangatur vas ; suâque fragilitate semper suspectus sit, memineritque calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, ut permittat nutriri vitia, sed *prudenter et cum caritate* ea amputet, prout viderit cuique expedire (*c.* 64).

Alium quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus, et secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam, ita *se omnibus conformet et aptet*, ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum etiam in augmentatione boni gregis gaudeat (*c.* 2).

Vita S. Benedicti : Exemplo sit *correptio monachi*, qui ad orationem stare non poterat (*c.* 4) ; — fratris, qui mappulas acceperat (*c.* 19) ; — monachi superbe cogitantis, dum lucernam tenebat (*c.* 20).

Ibid. : Quum vir Dei in eodem monasterio *regularis vitae custodiam* teneret, nulli per actus illicitos in dexteram laevamque partem deflectere a conversationis itinere licebat (*c.* 3).

Abbatis doctrina.

Oportet Abbatem doctum esse in lege divinâ, ut sciat, unde proferat nova et vetera (*c.* 64).

Abbas *nihil extra praeceptum Domini* (quod absit) debet aut docere aut constituere vel jubere ; sed *jussio ejus vel*

Digitized by Google

doctrina fermentum divinae justitiae in discipulorum mentibus conspergatur (*c.* 2).

Ergo si aliquis suscipit nomen Abbatis, *duplici debet doctrinâ suis praeesse* discipulis : id est, omnia bona et *sancta factis amplius, quam verbis ostendere*, ut capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat, duris vero corde et simplicioribus factis suis divina praecepta demonstret. Omnia vero, quae discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda, ne aliis praedicans ipse reprobus inveniatur. Ne quando illi dicat Deus peccanti : « *Quare tu enarras justitias Meas et assumis testamentum Meum per os tuum ? Tu vero odisti disciplinam et projecisti sermones Meos post te.* » Et : « *Qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti ?* » (*c.* 2).

In doctrinâ namque suâ Abbas Apostolicam debet illam semper formam servare, in quâ dicitur : « *Argue, obsecra, increpa.* » Id est miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, *dirum magistri, pium patris ostendat affectum :* id est, indisciplinatos et inquietos debet durius arguere ; obedientes autem et mites et patientes, ut melius proficiant obsecrare; negligentes autem et contemnentes, ut increpet et corripiat, admonemus. Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox, ut coeperint oriri, radicitus ea, ut praevalet, amputet, *memor periculi Heli* sacerdotis de Silo. Et honestiores quidem atque intelligibiles animos primâ vel secundâ admonitione verbis corripiat (*c.* 2).

Prudentia et discretio.

In imperiis suis (Abbas) sit *providus et consideratus*, sive secundum Deum sive secundum saeculum sint. *Opera, quae injungit, discernet ac temperet*, cogitans discretionem sancti *Jacob* dicentis : « *Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti unâ die.* » Haec ergo aliaque testimonia discretionis, matris virtutum sumens, sic omnia temperet, *ut sit, quod et fortes cupiant et infirmi non refugiant* (*c.* 64).

Abbatis esse, *dispensare in S. Regulâ* patet ex hoc, quod jubente illo licet loqui post Completorium (*c.* 42), cibum ante

Digitized by Google

statutam horam vel postea sumere (*c.* 43), foris manducare (*c.* 51), et alia.

Agat in omni patientiâ.

Abbas non sit turbulentus et anxius, non sit nimius et obstinatus, non zelotypus et nimis suspiciosus, quia nunquam requiescet (*c.* 64).

Paterna Abbatis potestas perfecta monarchia.

Cum voluntate Abbatis omnia agenda sunt (*c.* 49).

(Omnis res agenda) *in Abbatis pendeat arbitrio*, ut quod salubrius esse judicaverit, ei cuncti obediant. Sed sicut discipulo convenit obedire magistro, ita et *ipsum provide et juste condecet cuncta disponere* (*c.* 3).

Nos praevidemus expedire propter pacis caritatisque custodiam, *in Abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterii* sui (*c.* 65).

Monachi, ut aliquid imperatum a majore fuerit, *ac si divinitus imperetur*, moram pati nesciunt in faciendo (*c.* 5).

Ordinetur omnis utilitas monasterii, *prout Abbas disposuerit* (*c.* 65).

Non quasi liberâ utens potestate injuste disponat aliquid (*c.* 63).

Si quis aliquid rationabiliter et cum humilitate caritatis reprehendit aut ostendit, tractet Abbas prudenter, ne forte eum propter hoc ipsum Dominus direxerit (*c.* 61).

Officiales.

(Ab Abbate) tales eligantur, *in quibus securus Abbas partiatur onera sua*, et non eligantur secundum ordinem, sed *secundum vitae meritum et sapientiae doctrinam.* Quod si quis ex eis aliquâ forte inflatus superbiâ, *repertus* fuerit *reprehensibilis*, correptus semel et iterum et tertio, *si emendare noluerit, dejiciatur* et alter in loco ejus, qui dignus est, subrogetur. Et de *Praeposito* eadem constituimus (*c.* 21).

Domus Dei a sapientibus sapienter administretur (*c.* 53).

Eligantur fratres boni testimonii et sanctae conversationis et constituantur, qui *sollicitudinem gerant in omnibus secundum mandata Dei et praecepta Abbatis* sui (*c.* 21).

Curam gerant de omnibus; *sine jussione Abbatis nihil faciant* (*c.* 31).

Digitized by Google

Prioris officium.

Cf. *cap. 65* S. Regulae, imprimis : Abbas, cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi Praepositum. Qui tamen Praepositus illa agat cum reverentiâ, quae ab Abbate suo ei injuncta fuerint, nihil contra Abbatis voluntatem aut ordinationem faciens, quia quantum praelatus est caeteris, tantum eum oportet sollicite observare praecepta Regulae (*c.* 65).

Magister Novitiorum.

(Noviter venienti) *Senior* talis *deputetur*, qui aptus sit ad lucrandas animas et qui super eum omnino curiose intendat et sollicitus sit, si vere Deum quaerit et si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Praedicentur ei omnia dura et aspera, per quae itur ad Deum.... Legatur ei haec Regula et relegatur, ut sciat, ad quod ingreditur.... Et probetur in omni patientiâ (*c.* 58).

Cellerarius monasterii.

Cf. *Cap. 31* S. Regulae *integrum.*

Reliqui officiales.

Curam maximam habeat Abbas, ne a Cellerariis aut servitoribus negligantur infirmi (*c.* 36). — Cf. *Cap. 21, 32, 35, 36, 53, et 66.*

Seniorum consilium.

Si qua... agenda sunt in monasterii utilitatibus, *Seniorum* tantum (Abbas) utatur consilio, sicut scriptum est : «*Omnia fac cum consilio, et post factum non poenitebis*» (*c.* 4).

(Agat) cum consilio fratrum timentium Deum (*c.* 65).

Consilium totius familiae sive conventus.

Quoties aliqua praecipua agenda sunt in monasterio, *convocet Abbas omnem congregationem* et dicat ipse, unde agitur. Et audiens consilium fratrum tractet apud se et *quod utilius judicaverit, faciat.* Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus, quia saepe juniori Dominus revelat, quod melius est. Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subjectione, ut non praesumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit, sed magis *in Abbatis pendeat arbitrio, ut, quod salubrius esse judicaverit, ei cuncti obediant ;* sed sicut discipulis convenit obedire magistro, ita et ipsum provide et juste condecet cuncta disponere. In omnibus igitur omnes magistram sequantur Regulam, neque ab eâ temere declinetur a quoquam. Nullus in monasterio sequatur

Digitized by Google

cordis proprii voluntatem, neque praesumat quisquam cum Abbate suo proterve intus aut foris monasterium contendere (*c.* 3).

Coenobia, congregatio.

Vita S. Benedicti: Cum sanctus vir diu in eâdem solitudine virtutibus signisque succresceret, multi ab eo in eodem loco ad omnipotentis Dei sunt servitium congregati, ita *ut illic duodecim monasteria* cum omnipotentis JESU CHRISTI Domini opitulatione *construeret*, in quibus *statutis Patribus* duodenos monachos deputavit (*c.* 3).

Ibid.: De castigatione monachi vagi videatur totum (*capit.* 4).

S. Ecclesia.

Ecclesiastica hierarchia in Christo fundata.

Concil. Prov. Senonense (*Sens, a.* 1850): Singulis paroeciis praesunt singuli pastores. Hi Episcopi auctoritate ac ductu sacra administrant. Ita fit, ut fidelis subjaceat pastori suo, hic Episcopo, Episcopus summo Pontifici, ipse denique Pontifex Christo. Atque hic ille est ordo sacrae hierarchiae, *obedientiâ*, *subjectione*, *amore* constans, qui oculis hominum hujus saeculi semper obversatur, ex quo efflorescere vident nunquam senescentem Ecclesiae pulchritudinem ac vigorem. Ecclesiae constitutio velut coagmentatio est atque compages divini aedificii, a Christo et in Christo angulari lapide constructi. Haec a duodeviginti jam saeculis in suâ unitate stabilis ac constans illud perpetuum et semper novum praebet miraculum immensae cujusdam societatis et per universam terram diffusae, semper vexatae, semper impugnatae, et quamvis laborantis interdum, semper tamen victricis; quia etsi jam ejus incunabula filiorum sanguine redundant et omni aetate numerosissimi hostes ad ejus perniciem incumbunt, illam tamen, qui condidit et constituit Deus, idem tuetur ac protegit et porro tuebitur semper ac proteget (*Literae ad. Cler. et fidel. prov. Senonens.*).

Perseverat inconcussa.

Ecclesia est familia.

Concil. Prov. Ultrajectens. (*a.* 1865): Dum unionem cum Petri successore maximâ, quâ par est, veneratione pandimus ac declaramus, parochis committimus, ut omni

Digitized by Google

studio de hujus unionis necessitate fideles edoceant, *reverentiam et obedientiam* Sedi Romanae debitam in ipsis foveant, *filialem amorem* erga patrem universalem credentium in ipsis excitent (*Tit.* 1. *c.* 7). — Quemadmodum ex sacro hierarchico ordine et ex populo fideli unum Ecclesiae corpus componitur, eo quod unum sit supremum caput, unus Episcopus episcoporum, Romanus Pontifex, ita per communionem cum Episcopo, uni cathedrae, Domini voce fundatae, adhaerenti, ipsi mystico Christi corpori fideles conjunguntur atque uniti manent..... Nam Episcopi constituti etiam sunt patres in domo Dei et *familiâ* Sanctorum. Ad ipsos proinde pertinet, quotquot in JESU CHRISTO per Evangelium *geniti* et ex aquâ et Spiritu sancto renati sunt, paterno affectu complecti, debiles in bono proposito sustentare, pusillanimes consolari, aberrantes reducere, infirmos consolidare, confractos alligare, depravatos convertere, eos, qui perierunt, quaerere, caritatem in omnes, praesertim in egenos et miseros fovere atque exercere (*Tit.* 2. *c.* 2).

Monachorum congregatio est familia.

Pontificale Rom. : Omnes, quamvis per gratiam Baptismi fratres simus in Christo et unum Patrem habeamus in coelo, si Ejus praeceptis, prout possumus, obsequimur, procul dubio tunc maxime unimur, quando orationibus et beneficiis invicem nos copulamus; quemadmodum in primitivâ Ecclesiâ sancti Patres, quibus cor unum et anima una erat, fecisse leguntur, quorum plures, Christi amore mente accensi, possessiones et facultates rerum vendentes, congregatis in unum pretiis, ad Apostolos ferebant gaudentes. Quae Apostoli accipientes tribuebant omnibus, prout opus erat (*In benedict. Abbat.*).

Monasterii pater creatur a familia.

Congregatio Hirsaugiensis : Electio Abbatis hoc habet quasi legitimum sempiternum, quod ad eam nullus mortalium interesse solet praeter eos solos, qui sunt ecclesiae nostrae professi. Ergo imprimis res ipsa sedulis omnium fratrum precibus studiosissime Deo commendatur ac deinde

Digitized by Google

coadunato seniorum consilio de ipsâ electione tractatur et, quomodo secundum Dominum fieri possit, totâ intentione perquiritur (*Consuetud. L. 2. c. 1. P. L.* 157, 1037).

Congr. Bursfeldensis : Fratres obnixe hortamur, ut, implorato per devotas orationes divino auxilio, ad id omnibus viribus intendant, ut talis Abbas eligatur, quem S. Pater in suâ s. Regulâ requirit, qui Dei honorem, Ordinis, monasterii, fratrumque bonum zelet (*Distinct.* 2).

Congr. Argentinensis : Quia non expedit monasteria destituta Abbatibus manere, curabit Prior et Capitulum, ut electio novi Abbatis primo, quo commode fieri potest, tempore instituatur. — Qui electioni novi Abbatis praeest, capitulares efficaciter hortatur, ut sepositis quibusvis privatis affectibus, suae obligationis memores, in praesenti electionis actu, a quo tota paene salus monasterii dependet, Dei gloriam et communem monasterii utilitatem prae oculis habentes eum eligere satagant, quem secundum Deum in spiritualibus et temporalibus monasterio utiliorem atque digniorem judicaverint (*Declar. ad. c.* 64. *S. Reg.*).

Abbas habet Patris nomen.

Congr. Hispanica : Cum Abbas *Patris* officio fungatur, par est, ut titulo paternitatis afficiatur ac *Pater noster* appelletur (*Ceremoniale p. 2. distinct. 1. c. 1*).

Abbatis paternitas coelitus defertur.

Congr. Argentinens. : Electioni Abbatis pridie praemittatur abstinentia et jejunium. Ipso die electionis sacrosanctum Missae Sacrificium devote celebrent omnes eligentes et pro felici successu tanti negotii gratiam et *Spiritus Sancti assistentiam* ardentissimis precibus implorent (*Declar. ad c.* 64. *s. Reg.*).

Congr. Suevica : Id quisque quotidianis precibus et sacrosanctis Sacrificiis aliisque pietatis operibus a Deo obtinere nitatur, ut talem obtineant Abbatem, qualem describit et desiderat S. P. N. c. 64 suae Regulae. — Quod attinet ad electionem Abbatis *per inspirationem vel quasi inspirationem*, ad eam alia forma aut solemnitas non requiritur, sed

Digitized by Google

solum, ut, nullâ praecedente disputatione de certe eligendâ personâ, omnes unanimiter in eandem personam consentiant ; quia omnem in hoc casu ordinem aut eligendi formam Sanctus Spiritus, qui ad ejusmodi electionem animos movisse censetur, abunde supplet (*P. 3. c. 1. punct. 1*).

Pontificale Rom. : Pater omnipotens, aeterne Deus, affluentem spiritum Tuae benedictionis super hunc famulum Tuum, nobis orantibus, propitius infunde, ut qui per nostrae manus impositionem hodie Abbas constituitur, sanctificatione Tuâ dignus, *a Te electus* permaneat et nunquam postmodum a Tuâ gratiâ separetur indignus. — Famulo Tuo, quem pastoralis officii culmen subire *voluisti*, Tua bonitas adsit et benedictio (*De benedict. Abbat. auctor. Apostol.*).

Abbatem pietas paterna decet.

Congr. Bursfeld. : Abbas meminisse debet, quod es , ut sit Pater fratrum suorum et Religiosos suos non solum ut fratres, sed ut filios paterno complectatur affectu, a quibus salvâ Regulâ plus amari studeat, quam timeri (*Distinct. 3. c. 1. § 4*).

Monachos filialis reverentia et devotio.

Congr. Argentinens. : Saepius cogitent subditi Religiosi, qualiter neo-electus Abbas ex injuncti sibi muneris officio se totum fere subditorum suorum curis impendere et de eorum profectu ac defectu in regularis vitae observantiâ supremo judici post absolutum vitae suae cursum strictissimam rationem reddere debeat ; aequum proin esse omnino, ut magno eum amore et honore omnes et singuli prosequantur. — Abbati igitur suo omnes ubique et semper debitam reverentiam et obedientiam exhibeant non solum, cum eos transit aut cum ipsis loquitur, caput detegendo cum decenti inclinatione, aut eidem assurgendo, si forte sederint, verum etiam mores actionesque suas in ipsius praesentiâ religiose componendo, jussis prompte obediendo, admonitiones ipsius et correctiones non graviter ferendo, nec proterve alloquendo, sed veniam potius deprecando et emendationem spondendo semperque *filialem amorem* erga

Digitized by Google

ipsum referendo ac nomen et auctoritatem ipsius, praesertim apud exteros, debito et omni meliori modo, quo possunt, fovendo ac tuendo. Si quis vero in his omnibus deprehensus fuerit culpabilis, acrioribus poenis plane sit subjectus. — Quoties etiam fuerit Abbas absens per quatuordecim dies aut plures a monasterio, ad propria revertenti Praelato fratres humiliter et reverenter occurrant, ac ex hilariori ipsorum susceptione et piâ salutatione demonstrent, quanto ipsum dilectionis affectu complectantur (*Declar. ad c.* 64. *s. Reg.*).

Congr. Bursfeld. : Cum grave nomine monasterii et fratrum suorum onus Abbas susceperit, meminerint etiam fratres filialis in eum affectus et observantiae, ut dum Abbas eorum spirituali et temporali bono studet, ipsi reciproce illi in omnibus amorem et reverentiam impendant. — Si fratres videant exactam delinquentibus adhiberi disciplinam, non ideo confidentiam tollant, sed correctionem *filialiter* suscipiant ; non enim ideo gallina (ut ait S. Augustinus hom. 24. ad populum) desinit esse mater, si pullum, quem in angustiis fovet, pede premat (*Distinct.* 3. *c.* 1. § 6).

Annulus Abbatis mysticum cum coenobio significat connubium.

Pontificale Rom. : Accipe annulum, fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemeratâ fide ornatus, illibate custodias (*De benedict. Abbat. auctor. Apostol.*).

Abbatis est generatio filiorum monasterii.

Congr. Bursfeld. : Abbatis est, ipsos novitios benedicere, ipsorum sicut et conversorum professiones excipere (*Distinct.* 3. *c.* 1. § 1).

Novitiorum institutio.

Concil. Basileense, (*a.* 1431) : Novellae plantationes rivis aquarum debite enutritae crescunt in robora fortiora adeo, ut tempore suo frondibus dilatentur, venustentur floribus et demum fructum parturiant dulcissimum ; quapropter ordinamus, ut Novitii probandi statim induantur habitu monachali, nec tamen, nisi prius personae idoneae, per quas laus Dei possit congrue adimpleri, fuerint approbatae. Quibus ex fratribus maturus constituatur instructor, qui frater lucrandis eorum animabus curiose intendat. Legat et

Digitized by Google

exponat eis regulam in anno probationis, prout in capitulo Regulae quinquagesimo octavo plenius est expressum. Qui etiam Novitii post annum probationis, si profiteri voluerint, sine impedimento ad professionem recipiantur (*Ex manuscr. Abbatiae Salisburg.*).

Clemens VIII, (✠ 1605): Magister novitiorum curam adhibeat diligentem, ut novitii omnes in regulari disciplinâ sedulo exerceantur, agnoscantque praecipue divinae, quâ digni facti sunt, vocationis praestantiam et excellentiam, quae vera sit atque perfecta votorum solemnium et quam necessaria cujusque Ordinis Constitutionum observantia; modum in oratione tum vocali tum mentali fructuose persistendi, illicitas passiones et vitia (ad quae natura, per peccatum labefactata, omni tempore prona est ac proclivis) per sensuum custodiam et mortificationem cohibendi, austeritatem, jejunia, cilicia, disciplinas, conscientiae puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, confessionis praesertim, quae bis saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum, cordis et tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium. — Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, fiatque semper Magistro praesente vel socio, qui multum invigilet, ne duo commorentur ab aliis disjuncti, atque eo tempore cujusque, in quam natura feratur, propensionem scrutentur. — Non liceat eis durante Novationis et probationis tempore unâ cum Professis, nisi in Choro, in Ecclesiâ tempore officiorum, in processionibus aut in coenaculo causâ refectionis commorari (*Const.* "*In suprema*" *a.* 1602 *n.* 27, 30 *et* 31).

Congr. Montis Oliveti: Novitii intra probationis tempus de verbo ad verbum totam doctrinam Christianam, Prologum Regulae, 4. 5. 6. 7. 19. 20. 22. 33. 42. 49. 68. 71. 72. 73. capita et summatim reliqua contenta in Regulâ tam bene discant, ut memoriter haec omnia recitare sciant,

Digitized by Google

addiscant praeterea *cantum firmum* et ea omnia, quae ad monachalem professionem spectant, nec ad professionem admittantur, nisi prius examinati sint coram Abbate et Senioribus. — Nemo etiam ex monachis novitium alloquatur nisi in publico et praesente magistro. Novitii nunquam monachorum cellulas ingrediantur (*P.* 1. *c.* 58).

Congr. Argentinens. : Quamvis adultos et eos, qui provectioris aetatis sunt, ab Ordine et Congregatione nostrâ non penitus excludamus, nihilominus cum eam vitae rationem, cui quisque a teneris assuevit plerumque in seram usque aetatem constanter servare soleat, censemus multo consultius esse, ut primaevae Patrum nostrorum consuetudini, a quâ velut fecundâ sanctitatis atque eruditionis parente tot viri sancti doctique a primis Ordinis nostri incunabulis prodiere, porro insistatur, et minoris aetatis pueri, qui tamen religiosae vitae amore ducantur et decimum quintum saltem aetatis annum expleverint, ad tyrocinium recipiantur, in quo unâ cum litterarum studiis, in cantu etiam et morum pietate ac monasticae vitae disciplinâ solerter et diligenter in innocenti illâ et ad omne bonum mollis instar cerae flexibili aetate instituantur. — Magister novitiorum singulis diebus cum eis instituat conferentiam spiritualem, in quâ ipsis praelegat exponatque s. Regulam et statuta ita, ut juxta ordinationem S. P. N. eam intra annum novitiatus tertio absolvat, et simul eos doceat et instruat, quanti intersit, vocationis suae beneficium non negligere, quantâ reverentiâ et devotione, fervore spiritus et alacritate cordis officium divinum accedere, et quantâ attentione illi interesse debeant : quantâ oporteat eos observantiâ Superiores prosequi, quâ caritate fratres complecti, quam ad exterorum aedificationem, vultu, moribus semper et ubique proferre pietatem et modestiam, quam debeant in recreationibus patientes, silentes, humiles, cellae et quietis amantes, in conversatione pacati atque modesti, in mensâ temperantes et sobrii, et ad ea, quae leguntur, attenti, in exercitiis quotidianis seduli, in animi relaxatione moderati

Digitized by Google

atque compositi, in moribus casti et verecundi, in verbis veraces, sinceri et fideles esse. — Praeter S. Regulam ipsis quoque Congregationis nostrae statuta diligenter praelegat et, ubi opus est, exponat..... Instituat insuper eosdem de omnibus ceremoniis monasticis, de inclinationibus, de incessu, de reverentiis Superioribus exhibendis, semper monens, ut in omnibus actionibus religiosae humilitatis specimen exhibere studeant; nec ceremonias solum monasticas et ecclesiasticas ipsos edoceat, sed et sensum et significationem earum spiritualem paulatim instillet, origines, rationes et motiva religiosa, ex quibus procedere debent, ne aridi tantum gestus sint, sed cum devotione peragantur ab illis, et virtutis et religionis impulsu, adeoque sint fructus spiritus. Tandem ad praecavendos, quantum licet, errores et confusiones in choro, in refectorio, id summo studio curet, ut privatim et diligenter perdiscant, quae publice ipsis peragenda, legenda, aut cantanda sunt. — Et quia S. Pater N. Benedictus cap. 58 S. Reg. insuper jubet, ut novitio omnia dura et aspera, per quae itur ad Deum, praedicentur, ideo magister novitiorum in praelectione S. Regulae singulari studio ipsis explicet ostendatque, quam perfectam et omnibus numeris absolutam S. P. N. in religiosis suis exigat obedientiam, quam graves sint paupertatis Benedictinae leges, quanta castitatis stabilitatisque servandae, quantave ad perfectionem semper tendendi sit obligatio, ad quae omnia consequenda demonstret ipsis, non aliud esse medium, nisi mortificationem et devotionem, quarum illa sit veluti malleus, haec veluti calor ad ferrum cordis nostri emolliendum (*Declar. ad c.* 58. §§ 2. 12, 13, 14).

Novitiorum institutio.

Congr. Suevica: Magister novitios saepius probet in abnegatione sui, renuntiatione proprii sensus, abdicatione propriae voluntatis, contemptu mundi, confusione sui, exercendis actibus humilitatis, patientiae, viliora ipsis ministeria demandando, grata et commoda subtrahendo, varie eos mortificando, modo tamen convenienti et instituto nostro consentaneo. — Diligenter interea observet, quae singu-

Digitized by Google

lorum sint propensiones, qui mores; et si quos animadvertat esse proprii sensus ac judicii, pervicaces, superbos, indevotos, contumaces, litigiosos, turbulentos, aut alias ob corporis imbecillitatem vel alium defectum impares ad communia ordinis nostri onera ferenda, Abbati quam primum significet, ut in tempore dimitti possint, et singulariter animadvertat, in hoc casu semper praeferendam rationem boni communis monasterii bono privato particulari cujuscunque (*P.* 3. *c.* 3. *p.* 3).

Congr. Hispanica: Magister novitiis crebro ob oculos ponat status excellentiam, ad quem a Deo vocati sunt; eminentiam quatuor votorum Religionis obedientiae, castitatis, paupertatis et clausurae; perfectionem et suavitatem S. Regulae nec non Constitutionum, secundum quas vita transigenda erit. Porro quotiescunque cum ipsis loquetur vel exhortabitur, eo collimabit, ut amore sui status accendantur, ad quod magnum momentum conferet, si conscientiae examen aliquoties in die instituant ac animos in Dei praesentiam ubique intentos habeant. Honesta quoque recreatio subinde permittenda, quâ respirent, cui tamen Magister ipsorum intersit. Hic omnia sua mandata amore summo temperabit ac miscebit, quo illos coelo lucretur (*Caerem. p.* 2. *distinct. c.* 4).

Congr. Hirsaugiens.: Clerico vel laico, qui nondum sunt experti vitam nostram, diligentius est insinuandum, ut habetur in Regulâ, quam dura, quam aspera necessario patiantur, si ad subjectionem nostram pervenerint, quae nimirum compellit eos, nullam potestatem propriae voluntatis habere, sed ad nutum alterius per omnia pendere. — Professio ejus, qui de alieno monasterio venit, plus quam aliorum novitiorum prolongatur et postquam de nostrâ consuetudine introducitur, in nullo minus, quidquid deliquerit, per correptionem dissimulatur, ut, si revera Dominum quaerat, comprobetur (*Consuetud. l.* 1. *c.* 2. *P. L.* 150, 933).

Congr. Gallica (1837): Durante novitiatu alumni sub directione proprii Magistri potissimum incumbent animarum

Digitized by Google

profectui, virtutum monasticarum acquisitioni ac perfectae sui ipsius mortificationi. Idcirco profanis et curiosis studiis non exercebuntur, bene vero strenuam pro viribus operam dantes labori, qui ab eis exigetur. Maximo zelo ediscere curabunt, quae sunt veri monachi, scilicet S. Regulam, de cujus spiritu et litterâ habebuntur pro ipsis collationes praecipuae, praeter illam, quae quotidie agitur pro omnibus in monasterio. Culpas quâlibet feriâ quartâ, praesentibus aliis, Magistro dicent. Sedulam operam cantui Gregoriano, ceremoniis rubricisque dabunt ; demum excolendae memoriae, ne pereat aut languescat, satagent (*Ex additionibus a.* 1879 *approbatis, artic.* 67).

Quanti sit momenti novitiorum institutio.

Leo Pp. XII. (✠ 1829) : Ex optimâ tyronum institutione totius sacrae cujusque familiae status decorque plane pendent, quâ quidem vel neglectâ vel remissâ, hic etiam paulatim labatur et corruat, necesse est (*Constitut.* "*Lectissimam*" *a.* 1827 §. 2).

Concil. Prov. Ultraject. (*a.* 1865) : Maximi momenti est observatio eorum, quae ecclesiasticae sanctiones exigunt de novitiorum admissione ad habitum et ad professionem ; indubitatum namque est exinde imprimis pendere bonum vel malum religiosi cujusque instituti. Praepositis regularibus secundum statuta suorum ordinum et S. Sedis praecepta, liberum est, postulantes ad habitum recipere probatosque ad professionem admittere ; sed antea de illorum indole, ingenio, moribus inquirere debent ac sedulo investigare, quo consilio, quo spiritu, quâ ratione ad regularem vitam ducantur. Quocirca servandum esse meminerint Apostolicum mandatum die 25 Januarii 1848 editum de testimonialibus Ordinarii litteris requirendis ante receptionem illorum, qui ad habitum religiosum admitti petunt. Alterum quoque Apostolicum decretum, die 19 Martii 1857 emissum observandum stricte erit, juxta quod, novitiatu exacto, ante vota solemnia, simplicia saltem per triennium praemittenda esse edicuntur. Ceterum non antea admittendi erunt novitii ad professionem, quam in tyrocinio probati fuerint per totum

Digitized by Google

illud tempus, quod sacri canones et instituti constitutiones exigunt. Probatio autem ipsa eâ ratione facienda, quae institutionibus super receptione et educatione novitiorum in monasteriis et conventibus designatis vel designandis, Clementis VIII. jussu editis, determinatur. Enixe monemus rogamusque regularium ordinum superiores, ut exquisitissimam in tyronum probatione adhibeant et adhibere faciant diligentiam atque industriam. Severius potius agant in probandis admittendisque candidatis ad votorum professionem, quam ob nimiam facilitatem eos admittant, qui, divinâ vocatione haud ducti, instituto religioso damno et dedecori, fidelibus autem scandalo esse possunt (*Tit. 7. c. 2*).

Institutio professi.

Congr. S. Bernardi in Italiâ Ord. Cisterciens.: *Circa educationem noviter professorum* omnino observetur constitutio Clementis VIII., a cujus observantiâ nulla consuetudo in contrarium, quae corruptela potius vocanda est, excuset, atque adeo post professionem emissam [qui non fuerint statim mittendi ad Collegium, donec ad illud mittantur, nec non et reliqui,] debebunt intra Novitiatum detineri sub regulis et modo vivendi ipsorum Novitiorum, aut certe, si opus fuerit, transferri in aliud monasterium, in quo professorium cum requisitis ad Novitiatum juxta Constitutiones Clementis VIII. reperiatur, ibique usque ad aetatem, sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem, vel saltem per triennium post professionem sub directione ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Novitiorum Magistrum praeditum esse oportet, manere, litterarum studiis operam navantes secundum uniuscujusque capacitatem (*Constitut. approb. ab. Urb. VIII. a.* 1641).

Congr. Suevica : Quemadmodum novitiis, ita etiam professis singulariter attendendum est, ne quidquam remittant ab iis, quae in Novitiatus didicere exercitiis, sed quotidie majores in religiosis virtutibus progressus faciant (*P. 3. c. 3. p. 3*).

Congr. Hispanica : Juniores, qui nondum exegerunt tres annos integros in habitu, sub disciplinâ et doctrinâ

Digitized by Google

Magistri degant, quem ipsis Abbas praefecerit. Ad exercitia spiritualia quod attinet, observet ac perficiat cum ipsis ea, quae de novitiis statuta sunt, curetque diligenter, ne bonam doctrinam et fructum spiritualem, quem ex novitiatu ceperunt, perdant. Examen conscientiae quotidie faciant et veluti virtutum studiosi secum subducant rationes, dispiciantque, an proficiant (*Caeremon. p. 2. distinct. 3. c. 6*).

Abbatis paterna monachorum et monasterii directio.

Congr. Suevica : Abbas summo studio suorum saluti ac profectui invigilet, et ipse eos saepius paternis monitis ad verae obedientiae, fraternae caritatis, humilitatis, mortificationis ac ipsius denique religiosae perfectionis studium incitet incitarique curet. — Abbas ex monito S. Patris nostri hanc sibi primam et potissimam vindicet curam, ut nitorem cultus divini et monasticae disciplinae observantiam constanti et prudenti zelo juxta instituti nostri rationem et constitutionum nostrarum praescriptum in suo monasterio conservet, quam etiam ut novis quotidie incrementis fovere et promovere possit, divinae gratiae subsidium quotidianis precibus et sacrificiis suis ardentissime imploret (*P. 3. c. 1. p. 2*).

Concil. Prov. Bituricense (*a.* 1850) : Noverint Conventuum moderatores, domos sibi creditas ita esse regendas, ut et gloria Dei promoveatur et Ecclesiae decus et civilis ipsius civitatis bonum, et ut religiosae familiae et animarum saluti provideatur, et circumstantium populorum procuretur aedificatio (*Tit. 2*).

Concil. Prov. Strigoniense (*a.* 1858) : Vos, Superiores conventuum, graviter monemus, hortamur et obsecramus, ut religiosi viri, vestrae curae crediti, serio meditantes vocationem, quâ vocati sunt, digne ambulent in eâ, et vota, quae Deo semel voverunt, religiosissime reddere studeant (*Tit. 7*).

Concil. Prov. Pragense (*a.* 1860) : Omnes Superiores meminerint, se, dum non tantum regendi, sed et judicandi suos et puniendi potestatem habent, in conscientiâ obligari, ut omnibus, quibus potuerint, modis regularem vitam inter suos alant, perficiant, abusus tollant, et internam pariter ac

Digitized by Google

externam Ordinis et conventus prosperitatem promoveant (*Tit.* 7. *c.* 2).

Abbas dignitate quasi episcopali ornatur ab Ecclesia.

S. Theodorus Pp. (✝ 649): Quia caritatis debito provocamur et Apostolicae Sedis benignitate ac benevolentiâ incitamur, honorem fratribus exhibere et specialibus Romanae Ecclesiae filiis specialioris praerogativae gratiam elargiri, ut hominibus spectabiliores appareant, et commissas sibi Ecclesias Apostolicae dilectionis familiaritate suffulti tutius regant, atque ipsorum subditi majorem eis reverentiam et honorem exhibeant, hoc privilegium, perenni auctoritate servandum, ipsi monasterio (Bobiensi) et ejus Ecclesiae alacriter indulgemus, ut videlicet liceat Abbati ejusdem venerabilis loci mitrâ et aliis pontificalibus uti. Et quia etiam de B. Petri et nostrae dilectionis gratiâ disposuimus, ipsum monasterium, et ejus Ecclesiam peramplius honorare, ex Apostolicae Sedis liberalitate concedimus, ut Abbas ejusdem monasterii infra sacra mysteria constitutus signaculo sanctae crucis valeat praemuniri (*Ep.* 6. *a.* 643. *P. L.* 87, 99).

Congreg. Hirsaugiens.: Abbatis sella juxta dextrum altaris cornu ita est posita, ut facies illius ad chorum sit versa. At si ipsemet missam cantare voluerit, cappa una de his, quae sunt armarii, ab eodem illi defertur, ut per eum chorus teneatur. — Liber post Evangelium ad osculandum ei defertur et pax datur. Ubicunque missam audit, sacerdos, sive diaconus Evangelium lecturus, se ad eum pro benedictione vertit (*Consuetud. l.* 2. *c.* 12. *P. L.* 150, 1049).

Qualis esse debeat Abbas.

Pontificale Rom.: Famulum Tuum, quem communis electio famulorum Tuorum Abbatem ovium Tuarum esse constituit, protectionis Tuae gratiâ munire digneris; sicque *regere subditos commendatasque oves* concedas, ut cum illis omnibus regna coelorum adipiscatur, quatenus Te, Domine, opitulante, *Apostolicis* jugiter fultus doctrinis, centesimo cum fructu laetus introeat portas paradisi atque a Te, Domine, collaudante audire mereatur: « Euge serve

Digitized by Google

bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini Tui. » — Concede quaesumus, Domine, mihi famulo Tuo, ut praedicando et exercendo quae recta sunt, per exemplum bonorum operum animos meorum instruam subjectorum ; et aeternae remunerationis mercedem a te piissimo Pastore percipiam. Per D. N. J. Ch. — Suscipiat, Te Domine largiente, hodie in bono opere perseverantiam, in adversis constantiam, in tribulationibus tolerantiam, in jejuniis desiderium, in impietatibus misericordiam, in humilitate principatum, in superbiâ odium, in fide dilectionem, in doctrinâ pervigilantiam, in castitate continentiam, in luxuriâ abstinentiam, in varietatibus moderationem, in moribus doctrinam : Te tribuente Domine, talis in hoc ministerio perseveret, qualis Levita electus ab Apostolis sanctus Stephanus meruit perdurare. Totam ab hac die mundanam conversationem despiciat, Tuâ, Domine, benedictione largiente, contemnat praesentia, diligat coelestia, desideret sempiterna, sit exemplum et forma justitiae, ad gubernandam regendamque Ecclesiam Tuam fideliter, ut speculator idoneus inter suos collegas semper efficiatur ; sit magni consilii, industriâ censurae, et efficaciâ disciplinae, ita, Te Domine tribuente, in omnibus mandatis Tuis sine reprehensione Tibi mundo corde serviens, ut ad bravium supernae vocationis, multiplicato foenore, cum centesimo fructu, coronâque justitiae, ad coelestium thesaurorum dona Tua perveniat. — Largire famulo Tuo Tuarum dona virtutum, justitiam, temperantiam, fortitudinem, prudentiam, caritatem, sobrietatem, patientiam, longanimitatem, constantiam insuperabilem, fidem non fictam, spem inconcussam, mentem devotam, humilitatem perfectam, intelligentiam rectam, benignitatem, modestiam, unanimitatem, pacem, concordiam, castitatem, abstinentiam, vigilantiam, discretionem, rectitudinem, scientiam, pietatem, consilium, et in cunctis actibus bonis inviolatam perseverantiam (*De bened. Abbat. auctor. Apostol.*).

Clemens VIII. (✠ 1605) : Ad Praelaturas illi praecipue

Digitized by Google

eligantur, qui possint et consueverint Regulas Ordinis et Constitutiones observare, praesertim quae pertinent ad servitium chori ac vestitum et victum communem (*Constit.* " *Nullus omnino* " *a.* 1601. *n.* 23).

Congreg. S. Mauri (*Confirmata* 1621) : Superiores omnes perpendant sedulo, quantum onus sustineant, ac animarum sibi commissarum profectui spirituali sic invigilent, ut iis, quibus praesunt auctoritate, praeluceant virtutis exemplo (*Decl. in cap.* 2. *Reg. S. Bened.*).

Abbas agat in timore Dei.

Innocent. III. (✠ 1216) : Vos, filii *Abbates*, super vobis ipsis et credito vobis grege taliter vigilare procuretis, exstirpando vitia et plantando virtutes, ut in novissimo districti examinis die coram tremendo Judice, qui reddet unicuique secundum opera sua, dignam possitis reddere rationem (*L.* 16. *ep.* 6. *P. L.* 216, 792).

Statuta Congreg. Bursfeld. : Sciat Abbas, se Deo rationem redditurum de suâ et suorum conversatione sciatque Pastoris culpae incumbere, si quid minus utilitatis in iis Deus invenerit, quod ipse industriâ suâ procurare potuisset ; quare et gratiam instructionis in se et dirigibilem indolem in suis a Deo petere suosque Deo in sacrificiis offerre non negligat. — Sedulo itaque curet observantiam orationis mentalis, silentii, jejuniorum, caritatis fraternae similiumque exercitiorum, quia basis sunt et fundamentum totius Religionis (*Distinct.* 3. *c.* 1 § 3).

Congreg. Suevica : Abbas, « *forma gregis factus ex animo*, » solidis virtutibus auctoritatem sibi comparet et tueatur ; caveat sollicite ne quid perpetret, quod aliis scandalo esse, aut ipsi jure merito vitio tribui possit, certus, tot mortibus se dignum fore, quot ipse perniciosis exemplis ad lapsum et peccatum induxerit (*P.* 3. *c.* 1. *p.* 2).

Abbatis infula.

Pontificale Rom. : Imponimus, Domine, capiti hujus famuli Tui, Abbatis, galeam munitionis et salutis ; quatenus, decoratâ facie et armato capite cornibus utriusque Testamenti, terribilis appareat adversariis veritatis et, Te ei

Digitized by Google

largiente gratiam, impugnator eorum robustus existat, qui Moysis famuli Tui faciem, ex Tui sermonis consortio decoratam, lucidissimis Tuae claritatis ac veritatis cornibus insignisti et capiti Aaron, Pontificis Tui, tiaram imponi jussisti. Per Chr. D. N. (*De bened. Abbat. auct. Apost.*).

Missale Rom. : Mitram, Domine, et salutis galeam impone capiti meo, ut contra antiqui hostis omniumque inimicorum meorum insidias inoffensus evadam (*Oratio Pontificis dum accipit mitram*).

Abbas sit humilis et simplex.

Congr. Suevica : Abbas humilitati praecipue studeat, quam tamen morum gravitate et maturitate temperet (*P. 3. c. 1. p. 2*).

Congr. Bursfeld. : Abbas habitu a fratribus in formâ non differat, nec in qualitate modestiam religiosam, seclusâ omni vel minimâ vanitate, excedat, sed intra terminos honestatis, spectato suo officio, et modestiae, spectatâ suâ obligatione, vestiatur. — Nec intra nec extra monasterium ullis lautis conviviis sumptus non necessarios faciat aut fieri permittat. — Bona monasterii secundum intentionem fundatorum et S. Benedicti fratribus, pauperibus et hospitibus, servatâ in omnibus religiosâ parcimoniâ et moderatâ libertate, dispenset; superflua, vana et inutilia in aedificiis, habitu, famulatu omnino caveat (*Dist. 3. c. 1. § 5 et 3*).

Clemens XII. (✠ 1740) : Cum Abbatum, eorumque omnium, qui ad regimen aliquod assumuntur, officium sit, commune totius Ordinis bonum procurare, nec vires eorum ad tantum onus ferendum sufficere certum sit, imprimis divinam opem ipsi implorare non desinant ; idque potissimum faciant, cum necessitas occurrerit. Deinde noverint, se ad laborem et sollicitudinem magis quam ad honorem assumptos esse ; meminerintque, se exemplo bonorum operum debere fratribus praeire. Communes itaque regulas ipsi accurate servent et particularia in cibo, indumentis et aliarum rerum usu, quantum fieri potest, devitent. Calleant rationes officii sui et ex frequenti Constitutionum tam privatarum suarum, quam communium aliorumque officialium

Digitized by Google

sibi subjectorum lectione intelligant, non temere et pro suo arbitrio rem sibi agendam esse, sed ex praescripto Regulae, Constitutionum et receptarum consuetudinum regendum Ordinem, fratresque gubernandos (*Const.* "*Misericordiarum Pater*" *a.* 1740 *p.* 1. *c.* 1).

Abbas propriae sanctificationi studeat.

Congr. Bursfeld.: Cum Abbas sicut honore ita et observantiâ praefulgere debeat, dabit operam, ut, rationabili causâ cessante, et dum actu in necessario pro monasterio labore non occupatur aut justâ necessitate non impeditur, saepius choro, meditationi, recollectioni Divinisque intersit et forma gregis factus, in iis, quae ad Deum spectant, religioso exemplo praeluceat. — Abbas, cum non solum aliorum saluti studere, sed et animae propriae curam gerere debeat, curet, ut quantum administratio rei familiaris permittit, saepius sit in choro, in officio matutinali et meditatione, ut ita et Deo satisfaciat et fratres ad observantiam animet (*Dist.* 3. *c.* 1. § 1 *et* 5).

Congr. Argentinens. : Praelati ut subditos in obsequendo reddant promptiores, ipsi forma gregis fiant et duces agendorum. Ergo regularibus observantiis, in quantum eorum negotia et temporalium administratio, seu corporis et virium constitutio permittunt, interesse studeant; blandissime quippe jubetur exemplo. Caveant igitur ne propriae suorumque salutis immemores (prout ipsos admonet Conc. Trid. sess. 6 c. 1 de reform.), terrena coelestibus ac divinis humana praeferant et, ovium sibi commissarum curâ neglectâ, temporalium sollicitudine se detineant occupatos (*Decl. in c.* 2. *s. Reg.*).

Clemens XII.: Sic regimini aliorum, tum spirituali, tum etiam temporali incumbant (Abbates), ut nihil de virtutum exercitationibus, propriaeque salutis curam remittant. Omnia igitur quae ad religiosam perfectionem spectant monachisque erga Abbates et Superiores exercenda praecipiuntur, ut puta reddendae conscientiae ratio, recessus communi aliorum consortio per aliquot dies, spiritualium meditationum causa, et cetera hujusmodi; ea ab ipsis Abbatibus et Superioribus facienda intelliguntur (*Const.* "*Misericordiarum Pater*" *a.* 1740 *p.* 3. *c.* 1).

Digitized by Google

Abbas paternum manifestet amorem in omnes filios.

Congr. Suevica : Abbas mansuetudini et caritati studeat, et ut suorum sibi vicissim conciliet amorem, singulorum necessitatibus non corporis tantum, sed et multo magis animae paternâ sollicitudine et curâ provide et paterne prospiciat (*P. 3. c. 1. p. 2*).

Clemens XII.: Caveant ne familiaritate atque indulgentiâ cum quibusdam alios offendant, aut occasionem offensionis quoque modo in hac parte praebeant. Neque alienum ab aliquo animum ostendant, sed erga omnes aequaliter et sine personarum acceptione se gerant (*Const. "Misericordiarum Pater" a. 1740 p. 3. c. 1*).

Congr. Hispanica : Abbas tanquam suos filios pius Pater accipiat, summâ suavitate ac amore sincero medicinam adhibendo, idque unice agendo, ut Deo et Religioni suos filios lucretur. Concipiat etiam grandem animo dolorem, intelligens, eos a viâ regiâ declinasse, viresque omnes intendat, ut reducat (*Caerem. monast. p. 2. dist. 2. c. 2*).

Baculus pastoralis significat paternam subditorum directionem et correptionem.

Pontificale Rom. : Accipe baculum pastoralis officii, quem praeferas catervae tibi commissae ; ut sis in corrigendis vitiis pie saeviens; et cum iratus fueris, misericordiae memor eris (*De bened. Abb. auct. Apost.*).

Clemens XIV.: Mementote quotquot superiores estis, vobis constanter sectandam esse prudentiam, aequitatem, caritatem, ut praelati, judicis, et patris munera rite exercere valeatis, vitia exstirpare, et fovere virtutes (*Const. "In vinea Domini" a. 1772 § 14*).

Congr. Argent. : Zelum disciplinae exigens Dominus a Praelatis: « Noli quaerere, » inquit, « fieri judex, nisi valeas virtute interrumpere iniquitates, » nimirum docens non levis culpae eum se reum facere, qui, cum pro suo munere sibique traditâ potestate peccata compescere et emendare deberet, dissimulando et connivendo fovet et auget (*Decl. in c. 2. s. Reg.*).

Clemens XII.: In correctionibus et poenitentiis injungendis caveant iracundiae aut alterius pravae affectionis

Digitized by Google

speciem ; sed personarum dispositionem considerent, aedificationis universalis et particularis illarum rationem habentes. Nisi autem prudentia rebus particularibus adhibenda aliud dictaverit, in correctionibus procedendum erit hoc ordine, ut qui peccant, primo in caritate quidem, sed eo tamen modo, ut eis confusio et rubor injiciatur, deinde amori ea, quae timorem incutiant si opus erit, adjiciantur. De publicis vero defectibus publica debet esse poenitentia (*Const.* " *Misericordiarum Pater* " *a.* 1740 *p.* 3. *c.* 1).

Abbas doctrinam praebere debet filiis suis.

Pontificale Rom. : Vis tuum sanctum propositum et sancti N. Regulam observare, tibique subjectos, ut idipsum faciant, diligenter instruere? Respondet electus (Abbas): Volo. — Famulus Tuus sit Te docente scius. Tribue ei thesaurum sapientiae, ut sciat et habeat, unde nova et vetera proferat (*De bened. Abb. auct. Apost.*).

Clemens VIII. (✠ 1605) : Illud Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores sint rationis, quam in novissimo die reddituri sint pro grege sibi commisso ac propterea omni studio invigilent, ut, quae eorumdem Ordinum Regulis et Constitutionibus de oratione mentali, silentio, jejuniis, aliisque spiritualibus exercitiis prudenter ac pie sancita sunt, ea omnia et singula ad unguem observentur intelligantque super his veluti fundamentis omnium religionum aedificia construenda et amplianda esse, quae ut faciliorem exitum sortiantur, et fructus uberiores in animis fratrum producant, valde opportunum erit, si in quolibet Conventu singulis hebdomadis habeatur sermo de Religiosâ disciplinâ, Regularique observantiâ (*Const.* " *Nullus omnino* " *a.* 1601 *n.* 25).

Congr. Bursfeld. : « Duplici doctrinâ Abbas praeesse debet discipulis, ut bona et sancta factis potius quam verbis ostendat, » ut quam in aliis, jussu S. Patris, perfectionem requirit, illam actibus plus quam ore doceat (*Dist.* 3. *c.* 1 § 3).

Clemens XII.: Efficiant (Abbates), ut secum vel cum aliis, a se deputatis, de propriâ conscientâ statis temporibus fratres tractatum habeant ; nec spiritualium collationum

Digitized by Google

consuetudinem negligant, sed crebro et magna cum caritatis significatione alloquantur subditos; eorumque necessitatibus non corporis tantum, sed multo etiam magis animi paterno affectu prospiciant. Quem vero intelligent gravi aliquâ tentatione pulsari, ejus peculiarem curam, non solum per se, sed etiam, si necesse fuerit, per alios gerant, caveantque, ne, remedium differendo, difficiliorem morbi curationem faciant. — Dent operam, ut omnibus fratribus cum omni sollicitudine invigilent, eosdemque ab iis quae nocere possint domi et foris defendant, tum praeveniendo, tum etiam, si quid mali acciderit, remedium adhibendo, ita ut in omnibus honori et famae tum fratrum singulorum, tum Ordinis totius consulatur (*Const.* " *Misericordiarum Pater* " *a.* 1740 *p.* 3. *c.* 1).

Abbas agat cum prudentia,

Honorius I. (✠ 638) : Sit ante oculos mentis et corporis traditionum regula paternarum, et unusquisque Praelatus noverit, qualiter debeat imperare subditis; sit ita moderata vivacitas, sit sollicitudinis supereminens in fratribus strenuitas (*Privileg. Bobiensi Coenobio datum. P. L.* 80, 484).

Discretione,

Congr. Argent. : Noverint Abbates quanta indigeant prudentiâ in regendis subditis et qua discretione se debeant uniuscujusque naturae aptare, ut animas lucrifaciant (*Decl. in c.* 2. *s. Reg.*).

Patientia.

Congr. Bursfeld. : « Summe sollicitus sit Abbas, ne aliquam de ovibus creditis perdat, noveritque se infirmarum suscepisse curam animarum non super sanas tyrannidem. » Unde imperfectos non fastidiat, de iis desperate non sentiat, memor, non esse opus sanis medico, sed male habentibus (*Dist.* 3. *c.* 1. § 4).

Crux pectoralis significat patientiam.

Missale Rom. : Munire digneris me, Domine JESU CHRISTE, ab omnibus insidiis inimicorum omnium, signo sanctissimae Crucis Tuae : ac concedere digneris mihi indigno servo Tuo, ut, sicut hanc crucem Sanctorum tuorum reliquiis refertam ante pectus meum teneo, sic semper mente retineam et memoriam passionis, et sanctorum victorias Martyrum (*Oratio cum Praelatus accipit Crucem pectoralem*).

Digitized by Google

Abbati totius monasterii gubernatio convenit.

Pontificale Rom. : Accipe Regulam, a SS. Patribus traditam, ad regendum custodiendumque gregem *tibi a Deo creditum*. Accipe gregis Dominici *paternam providentiam* et animarum procurationem (*De benedict. Abb. auctor. Apost.*).

Abbas officiales sibi eligit.

Concil. Basileense (*a.* 1431) : Ut ipse Domnus Abbas in rerum temporalium occupatione nimium non gravetur et eo magis ad spiritualia promptus reddatur, volumus et ordinamus, quod ipse officiales monasterii cum consilio Seniorum constituat, videlicet Cellerarium, Infirmarium, Vestiarium, Sacristam, Ostiarium et ceteros officiales ad cunctas administrationes sibi in monasterio necessarias, qui de omnibus praeceptis et per eos distributis toties, quoties visum fuerit Abbati expedire, coram eo et ceteris Senioribus fidelem faciant rationem (*Ex Manuscr. Salisburg.*).

Congr. Bursfeld. : Ut regularia debite et fructuose administrentur, constituere sibi debet Abbas diversos Religiosos *officiales* seu *Administros*, qui vicariam ei praestent operam ; hi autem non secundum ordinem seu solius senii considerationem nec ex privato affectu, sed solum secundum timorem Dei et pro vitae merito ac personarum qualificatione ordinandi sunt, licet, ubi cetera sunt paria, ad officia regularia potius promovendi sint, quos major aetas et diutius continuata observantia commendaverit. Sed et iidem ex motivo solum majoris boni pro Monasterio aut animarum salute destituendi sunt, ubi tam in constitutione quam destitutione vota fratrum habere locum non possunt, cum S. Benedictus Abbati ordinationem monasterii sui commiserit (*Distinct.* 3. *c.* 1. § 3).

Officiales sunt nutu amovibiles.

Congr. Argentin. : Electio Superiorum ad Abbatem absolute spectat ; consultum tamen erit, si ita voluerit, ut electio Prioris fiat cum consilio duorum vel trium Seniorum ex conventu (*Declar. ad c.* 21. *S. Reg.*). — S. Pater concedit Abbati liberam potestatem ponendi ac deponendi Priorem, adhibito tamen consilio Seniorum ; sic etiam ipsi liberum erit, ceteros officiales religiosos constituere vel etiam

Digitized by Google

suspendere, tum, ut ex hoc eorum humilitas comprobetur, tum, ut, qui per annum circa varia distracti, multa in se et aliis negligunt, melius se recolligere possint (*Declar. in c.* 65. *S. Reg.*). — Abbas officiales constituat prudentes, rerum peritos, sibique fidos et obtemperantes, cum quibus onera sua tuto partiri possit (*Declar. in c.* 2. *S. Reg.*). — Praelati ad officia eligant eos, ut praescribit Summus Pontifex Clemens VIII. (*Constitut.* " *Nullus* "), quos noverint, regulas Ordinis sui ac constitutiones observare, praesertim eas, quae pertinent ad servitium chori, victum et vestitum communem, nec non de quorum vitâ et moribus securi sint, et qui sint fideles, ut monet eos Innocentius III. (cap. 3. « Cum ad monasterium; » c. 6 de Statu monachorum). Officiales autem taliter electos in Domino adhortamur, ut cum omni humilitate ac obedientiâ obeant injunctum sibi munus, seu opus quodcunque a Superiore praescriptum. Quod si aliquis ex iis extollatur pro scientiâ artis vel perfectione operis, eo quod videatur aliquid conferre monasterio, vel si murmuraverit contra ordinationem Superiorum, de opere ac officio suo aliqua disponentium, talis astringatur ad redditionem rationis et deponatur, si semel vel bis admonitus se non emendaverit (*Declar. ad c.* 32. *S. Reg.*).

Abbas eligit idoneos ac probatos.

Congr. Camaldulens. (*fund. a.* 1018. *a. S. Romualdo, confirm. ab Alexandro II. a.* 1072): Superior, collectis in unum omnibus suis monachis, in Capitulo (re tamen ipsâ secum prius et cum Senioribus mature consideratâ) declaret et publicet, quem eligat, si est Abbas, in Priorem, et si est Prior, in Subpriorem. Deinde Decanum, vel plures juxta numerum Monachorum, mox Sacristas, Infirmarios, Hospitarios, Ostiarios, Dispensatores, ac Cellae vinariae Praepositos, reliquos deinde omnes Monasterii officiarios (*Constit. a.* 1562. *c.* 21).

Innocentius III. : Tales ad agenda officia monasterii deputentur, qui fideles fuerint et discreti. *Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetua possidenda*, tanquam in suâ sibi vitâ locetur; sed cum oportuerit amoveri, sine contradictione quâlibet revocetur (*L.* 5. *ep.* 82. *P. L.* 214, 1066).

Digitized by Google

Congr. Suevica : Abbas Superiores Conventûs moderatoresque constituat, quos viderit disciplinae monasticae amantiores esse vitaeque integritate ac prudentiâ ceteros antecedere, quos ipse etiam, quoties et quantum necesse fuerit, consiliis suis dirigat, auctoritate animet atque confirmet. — Officiales constituat, qui sunt boni nominis, prudentes, rerum periti sibique fideles et obsequentes, cum quibus onera sua tuto partiri possit. Nullius tamen officialis injunctum officium seu munus sit perpetuum, sed quoties et quando consultum visum fuerit, non tantum cum viderit aliquos minus debite satisfacere suo officio, verum etiam aliis de causis (*P. 3. c. 1. p. 2*).

Qualis esse debeat Prior.

Innocentius III. : Prior prae ceteris post Abbatem potens sit in opere et sermone, ut exemplo vitae verboque doctrinae fratres suos et instruere possit in bono, et a malo etiam revocare, zelum religionis habens secundum conscientiam, ut delinquentes corripiat et castiget, obedientes vero foveat et confortet (*L. 5. ep. 82. P. L. 214, 1066*).

Benedictus XII.: Sane cum Prior claustralis esse debeat potens in opere ac sermone, volumus et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut instituatur ipse Prior fervidus et discretus, prout in Congregatione Monasterii seu alterius loci ejusdem Ordinis seu Religionis aptior poterit inveniri sitque talis, qui continue in Conventu resideat claustrique curam et regimen exercere assidue teneatur (*Constitut. "Summi Magistri." a. 1336. n. 30*).

Congreg. Hirsaugiensis: Quando Prior est ordinandus, primo Domnus Abbas habet inde consilium cum Seniobus et in arbitrio illorum electionem ponit. Postea refert sententiam in capitulo, et de quo consenserit laudant omnes (*Consuetud. l. 2. c. 16*).— Ad capitulum Priori omnimodâ, prout dignum est, reverentiâ ab omnibus impenditur, et tamen cavet, se de his intromittere, quae ad Abbatis judicium novit respicere, sollicitus ibi et ubique ad se pertinentia pie discreteque tractare (*L. 2 c. 17*). — Ab horâ ordinationis suae

Prior nihil agat contra Abbatis ordinationem.

Digitized by Google

Prior post Domnum Abbatem de omnibus rebus et causis quae ad monasterium pertinent, se intromittit, nisi de thesauro ecclesiae et de armariâ, quae in potestate Abbatis consistunt (*L.* 2. *c.* 16. *P. L.* 150, 1056).

Congr. Bursfeld. : Abbas cum solus omnia administrare non possit, secundum Regulam de privato consilio fratrum Deum timentium eligat et ordinet sibi Piorem, qui potens sit in opere et sermone, qui exemplo vitae et verbo doctrinae praeesse fratribus, eos regere, corripere, consolari, fovere et ad omnem regularem observantiam adhortari sciat. Sit itaque rigidus disciplinae observator, non turbulentus, non dominans in clero, sed forma gregis factus, sit moribus gravis et modestus, qui sciat animos animasque fratrum suorum lucrari, sit Abbati in religiosâ et sincerâ humilitate conjunctissimus eaque omnia exsequi satagat, quae S. Regula de Praeposito Monasterii praescribit. — In scrutandis cellis et lectis fratrum, in visitandis infirmis et eorum necessitatibus consulendis et generaliter in iis, quae quotidiana seu frequens fratrum requirit necessitas et in quibus ad ipsum a Fratribus habetur recursus, concedendis Prior Abbatem relevet, nisi tale quid fuerit, quod pro sui magnitudine non deceat absque scitu et speciali licentiâ Abbatis fieri (*Dist.* 3. *c.* 2).

Prior sit Abbati religiosa humilitate conjunctissimus.

Charta Visitationis S. Petri Salisburg. (*a.* 1431): Ordinamus, ut Prior constituatur providus et discretus, qui auctoritatem seu curam sibi commissam circa conventum fideliter exerceat atque continue in Capitulo seu Conventu resideat fratrumque curam et regimen exercere assidue teneatur, ut sicut dicitur nomine Prior, ita primus esse debeat in omni loco et opere Dei curetque, quo lex silentii statutis horis et temporibus diligentissime observetur, et ante omnia cum diligentiâ circa officium divinum intentus sit saltem singulis quatuor temporibus singulorum cellas visitet, ne arma seu proprium aut peculium in illis inveniatur (*Ex manuscr. Abbatiae Salisburg.*).

Congr. Suevica: Prior ab Abbate constitutus omnem

Digitized by Google

Prior uno ac eodem spiritu cum Abbate Dominicum gregem pascat.

obedientiam ac reverentiam eidem exhibeat et in hac parte reliquis imprimis exemplum praebeat, ut et ipsi pari erga illum observantiâ et amore afficiantur, saepius cum ipso de regularis disciplinae incremento confidenti animo conferat, secretorum sit tenax et observans, uno ac eodem cum ipso spiritu Dominicum gregem pascat, ne dum uterque diversa imperant, suave Domini jugum fratribus reddant intolerabile. — Sit non tam nomine et ordine, quam observantiâ Prior ac proinde in omnibus, quae ad regularem disciplinam pertinent, sedulo observandis bono aliis exemplo praeluceat... Ut Regula et Constitutiones nostrae ab omnibus et singulis quovis tempore observentur, magno studio et sollicitudine attendat... Necessitatibus conventus amanter provideat in iis praesertim, quae quotidiana fratrum exigit necessitas et in quibus ad ipsum haberi debet recursus, nisi quid tale fuerit, quod rei magnitudine non deceat absque praescitu et speciali licentiâ Abbatis concedi.... In Abbatis absentiâ ejus supplebit vices omniaque disponat, prout ipsi magis in Domino expedire videbitur, juxta eam tamen limitationem, quam Abbas ante discessum ipsi forte indicavit (*P.* 3. c. 2. *p.* 1).

Pius VI. (✝ 1799) : Qui Priores instituuntur, sint presbyteri, in regulari observantiâ exercitati, qui in ordine laudabiliter vixerint, testimonium de idoneitate suâ bonum habentes (*Const.* "*Apostolatus officium*" *a.* 1789. §. 97).

Congr. Camaldulens. : Priores in Abbatiis et Subpriores in Monasteriis habentibus titulum Prioratûs, qui a Divo Patre Benedicto Praepositi Monasteriorum vocantur, eligantur ab Abbate seu Priore loci ob verissimas causas, quae in hoc capitulo Regulae enarrantur. Et tam ipsi Praepositi quam alii omnes monachi sint in omnibus Praelatis suis obedientes, nec a voluntate illorum unquam vel latum unguem discedant (*Constit. a.* 1562 *c.* 65.).

Subprior vices supplet Prioris absentis vel impediti.

Congr. Hirsaugiensis : Claustralis Prior vicarius est majoris per omnia Prioris.... Hic est, quocunque Domnus Abbas vel Prior major proficiscatur, qui in claustro jugiter

Digitized by Google

moratur et qui praecipue pondus totius ordinis portat.... Ut autem breviter de ejus officio concludam, si Domnus Abbas non adest, neque Prior, neque solum omnes obedientiarii, qui in claustro sunt, ejus praecepto obediunt, sed etiam ipsi Decani, ad quaecunque opus fuerit. Ideoque valde necessarium est, ut talis constituatur, qui ad tot tantaque negotia procuranda idoneus habeatur. Hic talis sive ordinem regens sive non, ab omnibus summo honore ac reverentiâ est tractandus (*Consuetud. l. 2. c. 20. P. L.* 150, 1065).

Congr. Bursfeld. : Subprior si habeatur in congregatione, erit Prior animo et sensu conjunctissimus, qui quoties Prior egressus fuerit de monasterio, ejus expleat vices in iis, quae regulariter occurrunt agenda ; seu etiam casualiter, si differri non debeant aut omnino non possint (*Dist. 3. c. 3*).

Congr. Suevica : Qui ex Abbatis voluntate Subprioris officio fungitur, non minus morum maturitate et regularis vitae observantiâ quam Prior anteire debet. Ejus partes sunt, supplere in omnibus vices Prioris absentis ; defectus et errores commissos pari auctoritate, quâ privatim, quâ publice in Capitulo, discrete corrigere ac etiam poenitentiis impositis pro ipsorum qualitate coërcere. Sit cum Priore, cujus adjutorium et solatium esse debet, animo et sensu conjunctissimus. Sit unitas mentium, sit concordia voluntatum in utroque ; pari sollicitudine et curâ uterque annitatur, regularis vitae observantiam fovere et conservare (*P. 3. c. 2. p. 2*).

Pius VI. : Quum Subprior sit secundus a Priore in monasterii regimine, absente vel defuncto Priore vel a morbo sic detento, ut communibus exercitiis interesse non possit, regimen et curam monasterii suscipiat in omnibusque se prudenter gerat (*Const.* "*Apostolatus officium*" *a.* 1789 § 105).

Magistri novitiorum officium vel gravissimum.

Congr. Camaldulens. : Electio Magistri novitiorum ad Praelatum solum pertinebit, qui diligentius consideret, cui parvi sui gregis curam committit, cum reverâ nullum

Digitized by Google

videatur officium in Religionibus Magisterio novitiorum difficilius ac majoris momenti. Et si inveniri quidam posset, talis ad id munus obeundum deligendus esset, qui ut Psaltes ait, innocens manibus et mundo corde esset (*Const. a.* 1562. *c.* 58).

Magister vita et doctrina praelucere debet novitiis.

Congr. Hispanica : Magistri moribus egregie religiosis praediti sint : viam exemplo praeeant, dediti vitae asperae et durae ; in choro dies noctesque assidui et ad momentum intenti. Par est, ut Magister in expedito et promptu habeat, quae novitios docere debet, veluti cantare, recitare, ad mensam legere et ministrare, ceremonias in choro ac alibi adhibere et si quid aliud in usu positum est. Magister novitiorum magno honore afficiatur, cumque sit magister perfectionis, nemo omnium hocce munus aversetur, etiamsi gradum majorem in monasterio obtineat (*Caeremon. p.* 2. *dist.* 3. *c* 2).

Congr. Argentinens. : Magistri novitiorum fiant moribus et aetate omnino maturi, apti ad lucrandas animas, ac instituendos monachos quoad utrumque hominem, instruendosque discipulos, qui a saeculo convertuntur, in monasticâ ac regulari disciplinâ ac etiam in litteraturâ sufficienti ac necessariâ (*Declar. ad c.* 21. *S. Reg.*).

Congr. Suevica : Cum incrementum monasticae disciplinae ejusdemque stabilimentum ex debitâ rectâque novitiorum institutione potissimum pendeat, Abbas dirigendis novitiis et ad virtutis normam excolendis eum praeficiet, quem ob morum maturitatem et regularis observantiae studium crediderit aptum fore ad novitios quoad utrumque hominem rite instituendos. — Novitiorum Magister debet imprimis bono exemplo ipsis in omnibus praelucere, et quibus eos voluerit imbuere religiosis moribus, eosdem in semetipsum exprimere. Debet praeterea lectioni librorum spiritualium esse deditus, e quibus tamen ea solummodo seliget spiritualis vitae documenta, quae instituto nostro conformia sunt, quibusve novitii in *Benedictino spiritu* magis solide confirmari possint (*P.* 3. *c.* 3. *p.* 3).

Magister novitios in proprii Ordinis spiritu efformare studeat.

Digitized by Google

Congr. Bursfeld. : Magister novitiorum eos, qui de saeculo ad conversionem veniunt,... ordinem suum docere debet et diligenter instruere. Diriget autem et informabit eos non secundum aliorum ordinum instituta, sed *Patrum Ordinis nostri vestigiis solum insistet* (*Dist.* 3. *c.* 4).

Congr. Gallica : Novitiorum magister instituatur aetate maturus, peritus discernere spiritus, utrum ex Deo sint, lucrandis animis idoneus atque ad impertiendum tepidis fervorem jugiter intentus. Illius erit novitiorum progressus ad Superiorem, si ipse non sit, referre, quâlibet hebdomadâ culpas eorum audire, poenitentias salutares imponere delinquentibus, omnibus Regulae praecepta inculcare. Durante novitiatu, alumni sub directione proprii magistri potissimum incumbent animarum profectui, virtutum monasticarum acquisitioni ac perfectae sui ipsius mortificationi. Idcirco profanis et curiosis studiis non exercebuntur, bene vero strenuam pro viribus operam dantes labori, qui ab eis exigetur. Maximo zelo ediscere curabunt, quae sunt veri monachi, scilicet S. Regulam, de cujus spiritu et litterâ habebuntur pro ipsis collationes praecipuae, praeter illam quae quotidie agitur pro omnibus in monasterio. Culpas quâlibet feriâ IV, praesentibus aliis, magistro dicent. Sedulam operam cantui Gregoriano, ceremoniis rubricisque dabunt ; demum excolendae memoriae ne pereat aut languescat satagent (*Const. art.* 67).

Magister novitios imprimis de S. Regula instruat.

Concil. Basileense : Praecipue Cellerarium constituat (Abbas) idoneum, Deum timentem, qui eum in hujusmodi temporalibus supportare valeat congruentius (*Ad Congr. Mellicens., ex manuscr. Salisburg.*).

Cellerarius constituatur ab Abbate idoneus.

Congr. Camaldulens.: Electio Cellerarii, in quolibet monasterio ad Praelatum pertinet, qui curabit talem deligere, qui qualitates, quoad fieri potest, habeat, quas Pater sanctus ponit in praescripto Capitulo, quo nec pulchrius, nec consideratius, nec omni ex parte completius alterum non facile invenies (*Constit. a.* 1562 *c.* 31).

Digitized by Google

Cellerarius sanctificationem propriam non negligat.

Congr. Bursfeld. : Cellerarius nihil eorum, quae ex traditione Regulae ejus incumbunt officio, negligendum ducat, nisi forsan Abbas pro quibusdam aliter duxerit ordinandum; ipsius enim Abbatis voluntati per omnia se conformare debet. Benignus et mansuetus sit ad omnes, et imperiosis jussionibus et duris et protervis inclamationibus officialium aut fratrum neminem turbet aut inquietet. Abbati et Priori in omnibus humiliter pareat, spiritus recollectioni, librorum asceticorum lectioni, ut poterit, libens vacet; sicque Marthae ministerium temperet, ut et optimam Mariae partem non amittat (*Dist.* 3. *c.* 5)

Alii officiales ab Abbate instituendi.

Congr. Camaldulens. : Quemadmodum in regimine domus saecularis non sufficit Paterfamilias, qui intus et foris sit caput, neque Mater, cujus munus est speciatim curare res domesticas; ita et in monasterio non possunt Abbas, Prior et Cellerarius soli universa peragere, sed opus est, ut alios sibi Officiarios in adjutorium subrogent. Post eos itaque praelatus prudenter deligat, prout cognoverit, unumquemque illi muneri esse idoneum (*Constit. a.* 1562 *c.* 32).

Abbas singulis annis officia ordinat et distribuit.

Congr. Bursfeld. : Prior sicut et alii omnes officiales post celebratum annale Capitulum publice absolutionem ab officio petere debet et Abbas cum consilio fratrum timentium Deum faciet quod secundum Deum judicaverit expedire (*Dist.* 3. *c.* 2). — Constituat Abbas tempus opportunum, quo singulis annis Cellerarius aliique qui aliquam administrationem habent, rationem reddere teneantur (*Dist.* 3. *c.* 1. § 2).

Congr. Camaldul. : Praelatus singulo quoque anno ordinet suum monasterium distribuendo officia et obedientias (*Constit. a.* 1562 *c.* 21).

Abbas utatur consilio seniorum.

Congr. Suevica : In minoris momenti negotiis utatur Abbas tantum consilio Seniorum sive eorum, qui ceteris prudentiores, religiosiores, et in publicis magis versati sunt, qui tamen, quae in ejusmodi consiliis agitantur, nulli alteri manifestare audeant.... Per haec tamen omnia neutiquam

Digitized by Google

volumus ademptam potestatem Domnis Abbatibus, quin quotidiana et quae tam magni momenti non sunt, per se ipsos resolvere, disponere et ut exsecutioni mandentur, imperare possint, nisi majoris securitatis gratiâ in his quoque maluerint unius alteriusque prudentioris et sibi fidentioris consilium adhibere, ut scilicet juxta S. Scripturae monitum omnia faciat cum consilio, et post factum non poeniteat (*P.* 2. *c.* 4. *p.* 4). — Ubi occurrerint negotia majoris momenti, Abbas in consultationem adhibeat, quos e suis censuerit prudentiores esse atque aptiores ; ipsi vero studiose observent, ut bonum commune prae oculis habentes consilia sua, quâ par est modestiâ et animi submissione, Abbati suggerant et si huic aliud quam uni alterive eorum visum fuerit, decreverit et statuerit, ejus quoque judicio se conforment, nec postea sibi displicere quod Abbas decreverit aut se alterius sententiae fuisse ullis judiciis prodant, sed Abbatis consilium utpote non temere, sed re bene discussâ arreptum laudent potius ac tueantur (*P.* 3. *c.* 1. *p.* 2). — Provide ac sapienter admonens S. P. Benedictus (*c.* 3. *S. Reg.*) statuit, cum praecipua aliqua in monasterii utilitatem tractanda sunt, omnes fratres Capitulares ad consilium adhibendos esse. Est enim haec res maximi momenti tum ad communem utilitatem promovendam, tum vero vel maxime ad mutuam pacem et confidentiam inter Abbatem et conventum firmandam atque stabiliendam. Quoties igitur in monasterio aliquod majoris momenti tractandum occurrit, dato certo aliquo signo, tempore et loco magis opportuno convocet Abbas omnes Capitulares, quos commode et citra singulare aliquod impedimentum convocare potest, iisque, invocatâ prius Spiritus S. gratiâ, futurae deliberationis materiam, motivis in utramque partem indifferenter allatis, humiliter et nervose exponat, et secundum ordinem singulorum fratrum capitularium vota et suffragia desuper exquirat, quae ipsi juxta S. Regulae praescriptum cum omni observantiâ et humilitate modeste et parce sine multis ambagibus ad rem non pertinentibus edant et ferant (*P.* 2. *c.* 4. *p.* 4).

Abbas in rebus gravibus omnem conventum adhibeat ad consilium.

Digitized by Google

Abbas est ordinarius monasterii sui.

Benedictus III. (✝ 858): Abbas secundum Regulam S. Benedicti (*c.* 65) liberam monasterii sui habeat potestatem, et monachi ad ejus tanquam ad pastoris sui solummodo respiciant gubernationem, nec episcopale ministerium super eos obtineat. Quoniam cum Abbas vices Christi in monasterio creditur agere, pastoris officium super creditas sibi oves habere cognoscitur, utque dispensationis suae ministerium exercere praevaleat, digne nullius debet perturbari potestate subjectus, sed ab omni episcopali liber dominatione Christum tantummodo judicem sustineat, cui redditurus est de creditis sibi ovibus rationem (*Ep.* 3. *P. L.* 115, 696).

S. Gregorius VII. (✝ 1085): S. Patres plerumque et religiosa monasteria de subjectione episcoporum diviserunt, et perpetuâ libertate donantes Apostolicae Sedi velut principalia capiti suo membra adhaerere sanxerunt (*L.* 2. *epist.* 69. *P. L.* 148, 420).

Pontificale Rom.: Accipe *plenam et liberam potestatem* regendi hoc monasterium et congregationem ejus et omnia, quae ad illius regimen interius et exterius, spiritualiter et temporaliter pertinere noscuntur (*De benedict. Abb. auct. Apost.*).

Unio monasteriorum in Congregationem ipsis maxima confert commoda.

Congr. Suevica: Bonum ordinis nostri non tam positum est in solitariâ singulorum locorum disciplinâ, quam in communi plurium fervidorum unione, quippe minus obnoxia est corruptioni multorum in virtutis culturâ aemulatio, quam paucorum in uno loco concepta pietas, ut si unumquodque Congregationis nostrae monasterium ab altero, veluti frater a fratre adjutum, fiat civitas firma, quae mutuae caritatis subsidiis innixa subsistat inconcussa (*P.* 4. *de unione monast.*). — Singulis hebdomadibus constituatur sacerdos, qui in singulis monasteriis suum privatum sacrum Deo offerat pro bono progressu Congregationis nostrae, ut praesidis atque aliorum praelatorum actiones et studia ad gloriam Dei, perfectionem monasticae disciplinae in nostris praesertim monasteriis feliciter cedant, quodque diversis temporibus

Digitized by Google

rationabiliter constitutum fuerit, id feliciter et constanter opere compleatur. Invocato diligenter et instanter Dei auxilio, unanimi deinde conatu et pari animarum zelo, Abbates Congregationis et superiores omnes allaborabunt, ut in totâ Congregatione, tanquam fundamentum omnis vitae religiosae ac disciplinae vigeat accurata trium votorum observatio et minimarum etiam sanctionum observantia, ut haec nostra Congregatio non degener aliquis factus, sed genuinus Summi Parentis Nostri partus esse ab omnibus cognoscatur.... Id vero praecipue etiam in memoriam revocetur singulis, constitutiones, statuta Congregationis nostrae non esse novum aliquod jugum Regulae superadditum, sed potius quasdam declarationes ejusdem, quibus magis in particulari praescribitur, quomodo monasteria nostrae Congregationis ea, quae generaliter Regula praecipit, uniformiter in actum redigere debeant. Iis igitur observandis, ut tota Congregatio pariter et uniformiter accurate insistat, omni industriâ allaborabitur, ne in uno monasterio magnus sit observantiae monasticae rigor, in altero ingens regularis disciplinae remissio, sed quoad fieri potest, per omnia laudabilis et tot jam annis desiderata uniformitas, quae quidem vel sola ad conservationem et incrementum Congregationis nostrae plurimum valitura est. Nemo enim dubitare potest, multo facilius ac melius conservari, crescere tam in temporalibus quam spiritualibus monasteria posse, si et eâdem pro virili disciplinâ et modo agendi utantur, et mutuo sibi, cum opus est, opem ferant, quod et diversae Congregationes nostri et aliorum ordinum experiuntur, beneque primi hujus nostrae Congregationis auctores perpenderunt (*P. 4. c. unic. pct.* 1).

Monasteria Congregationis se invicem sublevent.

Congr. Bursfeld. : Singulis mensibus celebretur solemne sacrum semel pro vigore et augmento Congregationis nostrae et regularis disciplinae (*Dist.* 1. *c.* 2. § 12). — Si ex infortunio aut alio casu monasterium aliquod grave damnum patiatur, Praeses de consilio compraesidum collectam pecuniariam Abbatibus indicit, quae egenti monasterio applicetur, ad quod subsidium omnes tenentur (*Dist.* 1. *c.* 1. § 8).

Digitized by Google

Singulorum monasteriorum ordinatio propriis Abbatibus convenit.

Congr. Gallica : Congregatio non tollit, imo supponit monasteriorum distinctionem et separationem primaevo instituto et S. Regulae conformes. Singularia videlicet monasteria singulares redditus itemque proprios et perpetuos Abbates habent, quibus tota administratio et dispositio juxta Constitutiones committitur, ita tamen, ut oporteat mutuis auxiliis et subsidiis cuique advenienti necessitati succurrere, quod praecipue circa personas facile et frequenter necesse erit (*Art.* 89).

Caput Congregationis constituatur idoneum.

Clemens XIII. (✝ 1769) : Hortamur, ut coenobiticae familiae vestrae eum moderatorem praeponatis, qui et christianae pietati naviter promovendae, et monasticae disciplinae sedulo retinendae, et ecclesiasticis studiis pie ac salubriter instituendis utilis atque idoneus magis in Domino censeatur (*Breve d.* 30 *maj.* 1759 *ad monach. O. S. B. Congreg. Bavariae*).

Congr. Bursfeld. : Omnes Abbates et rectores monasteriorum, qui se juramento nostrae Congregationi obligarunt, praemissâ invocatione Spiritus S., secundum Dei timorem unum ex Abbatibus secundum majora vota inter se eligunt, qui corpori Congregationis doctrinâ et zelo regularis observantiae praeesse possit. — Ipse perpetuam inter Patres tenebit ubique praecedentiam (*Dist.* 1. *c.* 1. § 12 *et* 13). — Praeses, quem totius Congregationis caput et legitimum Superiorem omnes agnoscere et venerari tenentur, omnibus viribus eo intendere debet, ut disciplina regularis vigeat et proficiat, ut membra Congregationis in mutuâ caritate serventur et crescant. Quo Abbates suis consiliis, religiosi fratres suis precibus et omnes humiliter in ipsam Congregationem confidentiâ et obedientiâ collaborabunt. Praeses auctoritate Apostolicâ postestatem habet capitulum annale indicendi, cujus definitionibus, decretis et ordinationibus, quae ad observantiam Regulae, unionem, pacem, regimenque tam spiritale quam temporale spectant, omnes parere tenentur; visitationes ordinat et approbat, dubia

Quae sint officia Capitis Congregationis.

Digitized by Google

exorta cum consilio venerabilis capituli dirimit aliaque ad observantiam regularem spectantia ejus decisioni subduntur. Ad curam Praesidis spectat, ut non tantum unita Congregationis monasteria serventur, sed et ut injuriâ temporum ab aliis occupata opportune recuperentur, ideoque status monasteriorum in spiritualibus et temporalibus proficiat. — Vigilem ad conservationem ordinis et ejusdem bona oculum habere eaque sedulo praecavere debet, unde eidem damnum enasci posset. — Majus Congregationis sigillum in fideli suâ servabit custodiâ, quo literae nomine Congregationis dandae consignentur. — Ad ipsum deferenda sunt singula Congregationis negotia, quae a capitulo ultimo usque ad proximum occurrerint, ut pro suo judicio omnibus occurrere et providere possit, ad quorum securiorem expeditionem vicinorum Abbatum consilio, prout res exegerit, uti potest (*Dist.* 1. *c.* 1. § 2. 4). — In virtute s. obedientiae praecipitur omnibus unionis nostrae tam capitibus quam membris, ut in quibuscunque occurrentibus casibus Congregationis nostrae Praesidem ut indubitatum judicem agnoscant, vereantur, implorent et religiose vi voti Congregationi facti, secundum statuta et consuetudines nostras, anfractibus juris omissis, se submittant (*Dist.* 1. *c.* 4).

Congr. Suevica : Praeses (et Visitator) Congregationis eligatur, insigni zelo et prudentiâ praeditus commune et publicum Ordinis et Congregationis nostrae bonum promovendi et monasticae disciplinae conservandae atque propagandae. Ejus erit, peculiari curâ et sollicitudine invigilare communibus causis Congregationis undecunque emergentibus, conservationi singulorum monasteriorum provide intendere, Abbatibus ad ipsum recurrentibus, suâ auctoritate interpositâ, consilio et auxilio esse, quovis biennio Abbatum conventum indicere, quotannis denique singula Congregationis nostrae monasteria visitare. Ad reducendam ac conservandam in monasteriis nostrae Congregationi incorporatis monasticam disciplinam, habebit omnem potestatem, quam ipsi jura concedunt (*P.* 4. *c. unic. pct.* 2).

Digitized by Google

Congr. Gallica : Congregatio Gallica O. S. B. habebit Superiorem generalem Abbatem S. Petri de Solesmis pro tempore exsistentem et, eo defuncto vel amoto, antiquiorem ex Abbatibus Congregationis, donec successor electus, et confirmatus a Summo Pontifice, possessionem fuerit adeptus. Superioris generalis erit, per se, vel per delegatum ex Congregatione Abbatem, visitare omnia monasteria Congregationis, (excepto suo Solesmensi coenobio, quod visitabunt cum iisdem juribus et sub iisdem conditionibus primi Congregationis Abbates simul, quatuor ad summum, si quando quatuor vel plures sint), praesidere capitulis generalibus, statuere interim de extraordinariis urgentibus, et, si quae sint in monasterio non suo ordinanda, de iis tractare cum consilio Abbatum vel Priorum conventualium, de quorum interesse agitur, usque ad capitulum generale sequens, cujus erit hujusmodi ordinationes confirmare aut etiam infirmare, si opus esset (*Art.* 95). — Ipse electioni Abbatum praeerit vel alius Abbas Congregationis ab eodem speciali mandato delegandus (*Art.* 93).

Praecipuum Archiabbatis officium est visitatio monasteriorum Congregationis.

Concil. Prov. Pragense (✠ 1860) : Patres, in hac Synodo congregati, omnino desiderant et fore confidunt, ut quaccunque regularia instituta jam e suâ regulâ superioribus generalibus et provincialibus subjiciuntur aut in Congregationes suâ sponte vel ex mandato S. Sedis consociantur, in posterum sedulâ et seriâ curâ ab ejusmodi superioribus Ordinis et Congregationis regantur, *visitentur* et emendentur, sive id fiet per ipsosmet, sive per delegatos (*Tit.* 7. *c.* 2).

Visitationes sunt maximi momenti.

Synodus Prov. Ultrajectensis (*a.* 1865): Ad regularem vitam alendam et perficiendam, ad abusus tollendos et praecavendos, ad internam externamque ordinis domusque religiosae prosperitatem promovendam, apprime conferunt praescriptae conventuum *visitationes* (*Tit.* 7. *c.* 2).

Congr. Bursfeld. : Quia visitatio, studiose facta, regularem disciplinam conservat, dissolutioni Ordinis viam praecludit, periculis animarum et corruptivis exemplis obviat, nec non profectui bene currentium magnopere

Digitized by Google

consulit, ideo singula monasteria nostra, justo impedimento cessante, singulis annis vel certe ante quodvis capitulum generale visitari decernimus. — Visitatores convenit esse Religionis zelatores, moribus maturos et discretos, nec non circa explendum actum Visitationis conformiter Trident. Sess. 24 c. 3 valde sollicitos et circumspectos.... Visitatores cum pervenerint ad locum aliquem visitandum, horâ quâ statuerint, convocetur conventus cum Abbate in loco capitulari, quibus congregatis jungantur et ipsi, et praemissâ, quae pro inchoatione capituli annalis fieri consuevit oratione, alter eorum brevem aliquam de observatione propositi nostri, de obedientiâ, de proprii Pastoris reverentiâ, de pace et caritate mutuâ, et aliis exhortationem faciat. Lectâ dein hac Visitationis methodo, ipsi Visitatores universos et singulos moneant, ac etiam in virtute s. Obedientiae auctoritate capituli annalis praecipiant, ut de Abbate, de Priore, vel de se ipsis fratres invicem, de conversis etiam ac totius monasterii statu, quidquid super his, de quibus interrogati fuerint, accusatione vel emendatione dignum cognoverint indicent (*Dist.* 1. *c.* 3).

Visitator habeat zelum disciplinae cum discretione conjunctum.

Quomodo instituenda sit visitatio.

Congr. Argentinens.: Peculiaris primarii Visitatoris cura sit omnibus causis Congregationis, undecunque emergentibus, invigilare, conservationi singulorum monasteriorum provide intendere, Abbatibus ad ipsum recurrentibus, interpositâ suâ auctoritate, consilio et auxilio esse. Quotannis visitet singula Congregationis monasteria secundum praescriptum Concilii Trid. Sess. 25. de regularib. c. 8. (*P.* 2. *c.* 6).

Congr. Suevica : Quoniam Visitatio frequens et studiosa monasteriorum regularem disciplinam conservat, dissolutioni ordinis viam praecludit, periculis animarum et corruptionis exemplis obviat, nec non profectui bene currentium optime consulitur, idcirco singula Congregationis monasteria quotannis a Praeside tempore quo voluerit commodiori, visitabuntur, qua de re Praeses Abbatem cujuscunque monasterii visitandi, praemissis litteris indicatâ

Digitized by Google

simul visitationis in suo monasterio instituendae die, nisi specialis aliqua causa subsit, certiorem reddet. — Visitationis initium fiat a celebratione Missae per Praesidem et primarium visitatorem in summo Ecclesiae altari celebrandae, ut imminens Visitationis actus ad majorem Dei gloriam, disciplinae regularis incrementum et mutuae pacis ac caritatis fraternae stabilimentum feliciter cedat, cui cum devotione visitandi omnes intersint. — Visitator interroget et examinet singulos, num in vigore sint trium votorum custodia, Regulae observantiae et constitutionum nostrarum exsecutio, et in specie inquirat, num ea quae in ultimâ visitatione ordinata et decreta fuere, exsecutioni mandata fuerint, per quem steterit quae causa fuerit, quo minus illa in praxim deducta fuerint, num officium divinum statis horis quotidie et cum aedificatione externorum devote celebretur, num omnes, qui specialibus de causis inde exempti non sunt, illi diligenter intersint, num Superiores suum praestent officium, errata debite corrigant, et emendent, et quantum in ipsis est, malorum occasiones et pericula praecavere et praevertere studeant, num ipsimet in observantiâ regulari bono aliis praeluceant exemplo, num exercitiis religionis stata tempora debite impendantur, num celebrandarum missarum, religiosi silentii nocturno praesertim tempore observandi cura habeatur ; num vigeant adhuc aliqui abusus et malae consuetudines cum disciplinâ monasticâ et votorum observantiâ pugnantes, num Superiores conventus cum Abbate bene conveniant, disciplinam foveant, caritati et paci conservandae studeant, num sit inter eos pax et concordia. Quae emendatione digna judicaverit, memoriae causa paucis notet, inque chartam visitatoriam referat. Haec tamen et similia ita provide proponat, ut nihil derogetur auctoritati Superiorum. — Mutationes officiorum Praeses nullas faciat inconsulto Abbate loci, et si quas ex causis rationabilibus et gravibus ipsum moventibus omnino faciendas censeret, non ipse eos, sed post ipsius discessum Abbas loci suo tempore publicabit. Quae in

Digitized by Google

Quomodo visitatio instituenda sit.

regulari monasticae vitae disciplinâ emendanda censuerit, scripto Recessu comprehendat ac convocatis Abbate et Conventu loci praelegat et promulget; ut exacte exsecutioni mandentur, atque accurate ab omnibus observentur, tradito Abbati eo Recessu, in sequenti anno sibi iterum in visitatione monasterii adhibendo, auctoritate et potestate suâ, ubi et quoties necessarium fuerit, usus serio moneat ac praecipiat, ac tandem exhortatione habitâ, quâ eos ad religiosae observantiae studium constanter prosequendum exstimulet, atque hortetur, finem visitationi solitis precibus imponet. — Porro ne visitationes, e quibus rite peractis ingentes maximaeque in singula quaeque monasteria redundant utilitates, prout id omnibus modis molitur malignus hostis, odiosae reddantur, nemo occultas animo foveat suspiciones, sed de prudentiâ et zelo visitatorum bene praesumens certo sibi persuadeat salutis suae interfuisse, ut moneretur. — Ceterum ipsi Abbates ne existiment, omnia in Praesidem et visitatorem projicienda esse, sed ipsi potius invigilent super gregem suum perinde atque si nullus alius constitutus esset visitator. Ratio enim ovium neglectarum, abusuum et zizaniorum, non proprie a Praeside et visitatoribus, sed ab unoquoque Abbate Deo accurate atque rigidissime reddenda erit, prout saepius S. Pater Noster in Regulâ suâ cum gravi verborum emphasi monet et affirmat. Hoc si fiat, uti omnino faciendum est, et quisque Abbas suum officium praestabit, et plus apud suos auctoritatis et amoris conciliabit, et magis gaudebit, tam in hac vitâ, quam in aliâ, tam apud homines, quam apud Deum; et onus Praesidis ac visitatorum multum sublevabitur, eritque illis ingens consolatio, cernere agros tam bene cultos, in quibus non tam laborent et seminent, quam metant et majorem Dei gloriam cum interno animi gaudio memorent; brevioremque moram in singulis locis facient, atque ita magis sua ac propria curabunt, quod haud dubie quisque vehementer optare ac studere debet (*P. 4. c. unic. p. 3*).

Pius VI. (✠ 1799) : Visitatores simul intra triennium

Digitized by Google

monasteria visitare tenentur ante capituli generalis celebrationem, ut certius de statu spirituali et temporali monasteriorum ad generale capitulum et diaetam referre possint. Antequam ad aliquod monasterium visitandum accedant visitatores, suum Priori significent adventum, ubi vero ad monasterium pervenerint, convocatis Superiore et monachis, adventus sui causam exponant, eosque breviter exhortentur, ut quae pro bono Ordinis et monasterii eis notificanda judicaverint, libere et sincere indicent, tunc visitationem a SS. Sacramento Eucharistiae suscipiant, ecclesiam, reliquias, ornamenta, vasa sacra, sacrarium visitent; an omnia quâ decet reverentiâ habeantur, diligenter attendant; singillatim et secreto Superiorem audiant et monachos, inquirant sedulo an diu noctuque divinum reverenter agatur officium; de numero et qualitate monachorum, de officiariorum administratione, de statutorum Ordinis et Regulae observatione nec non capituli generalis definitionibus ac praecedentium visitationum ordinationibus, de monasterii statu spirituali et temporali inquirant, rationes et computa ponderent, aedificia, monachorum cellas visitent, quos invenerint negligentes arguant. Investigabunt sedulo visitatores, utrum serventur vestimentorum uniformitas, debitum in locis regularibus silentium; num extra monasterii septa frequentior sit exeundi licentia, tandem fungendo sibi visitationis officio, Deum prae oculis semper habeant. Factâ de omnibus inquiratione, sine personarum acceptione secundum B. Benedicti Regulam et Ordinis statuta, quae fuerint corrigenda, corrigant, disponenda disponant, rebelles, proprietarios et inobedientes per regulares sententias constringant, et ad observantiam reducant, nec a locis visitationis recedant, donec quae statim emendari possunt, emendentur (*Constit.* " *Apostolatus officium*" *a.* 1789 § 74-78).

Capitula generalia ad disciplinam reformandam et promovendam.

Innocentius III. (✠ 1216): Quia integrum consuevit esse judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur, et quae profectum communem respiciunt, tractari solent melius in communi, *annalium* interesse *Capitulo generali*,

Digitized by Google

omni occasione postposita, studeatis, quae ibidem secundum Deum et B. Benedicti Regulam fuerint instituta, firmiter servaturi (*L.* 16. *ep.* 6. *P. L.* 216, 791).

Gregorius IX. (✠ 1241): In primis statuimus, *ut generale Capitulum* Abbatum et Priorum... apud Cluniacum annis singulis celebretur. Ubi sine personarum acceptione secundum Deum et B. Benedicti Regulam et Cluniacensis Ordinis instituta delinquentium corrigantur excessus et de salute animarum... tractetur. Nec in hoc sibi invicem parcant, sed unusquisque quod viderit in alio corrigendum, timorem Dei habens prae oculis, in Capitulo publice vel privatim (prout melius viderit expedire) in caritate proponat. Et correctus hoc moleste non ferat, sed correctionem fratris accipiat patienter (*Const.* "*Behemoth*" *a.* 1233 *n.* 1).

Benedictus XII. (✠ 1342): Ideo sunt hujusmodi *generalia Capitula*, ut in eis de statu monasteriorum... ac de reformatione Ordinis et observantiâ regulari tractatus debeat diligens adhiberi; dignum fore dignoscitur, ut ad illa conveniant universi quibus id imminet (*Const.* "*Fulgens sicut stella*" *a.* 1335 § 18).

De quibus tractandum sit in Capitulo generali.

Congr. Bursfeld.: Capitula annalia loco et termino, quibus constituerit Praeses Bursfeldensis, celebranda sint, ut Congregatio in continuâ disciplinâ contineri, et oborientes difficultates majori auctoritate resolvi, quin et inviolabilis in servitute Christi concordia servari possit.... Tractatus in capitulo habendi sunt praecipue de observantiâ Regulae et ordine totius vitae, suae et suorum, ac indissolubili inter se custodiendâ pace. Similiter considerandum erit, an sit aliquod monasterium, cui singulariter in temporalibus aut spiritualibus providendum aut succurrendum, quae omnia prudenter examinentur et fortiter exsecutioni mandentur. In fine capituli monentur universi a Praeside principali, ut ad monasteria sua reversi orationes per capitulum decretas fideliter faciant exsolvi, denique de mundâ religione servandâ, de professione fideliter exsequendâ, de pace et caritate et benevolentiâ ad omnes et maxime ad eos, qui sunt

Decreta Capituli fideliter exsecutioni mandentur.

Digitized by Google

nostri propositi, de pervigili sollicitudine circa subditos, ceterisque, quae honestati religionis congruunt et saluti animarum expediunt. — Abbate domum reverso, die congruo in praesentiâ conventus vel ab ipsomet Abbate, vel Priore legendus est Recessus, et, prout visum, explicandus, sicut et repetenda ejusdem lectio uno mense ante novi capituli celebrationem, ne quis de ignorantiâ se excusare possit (*Dist.* 1. *c.* 2).

Congr. Argentinens.: Resolutiones in Capitulo generali fiant per vota ita, ut semper exsequendum sit, quod a majore parte Abbatum fuerit conclusum. — Nulli Conventui sub praetextu appellationis liceat infringere statuta et conclusa sic facta, quandocunque meram disciplinam monasticam vel pacis conclusionem concernunt (*P.* 2. *c.* 5).

Statuta Congregationis quomodo commutari possint.

Congr. Gallica : Quod si decursu temporis Superior generalis cum consilio Abbatum ac Priorum conventualium judicaverit necessarium, novos articulos facere vel jam exsistentes declarare, hi novi articuli vel declarationes, ut obligent, requiritur ut plusquam tribus ex quatuor partibus omnium vocalium Congregationis per secreta suffragia approbentur. Quinimo tali de facto exsistente consensione, non obligabunt hae novae ordinationes ultra triennium ; quo elapso res iterum votationi secretae subjicientur ; quae si affirmativum habuerint exitum, mittet Superior praefatos articulos ad sacram Congregationem Episcoporum et Regularium, postulans earundem confirmationem (*Art.* 97).

Sancti et Doctores.

Monasterium est familia.

S. Basilius, Ep. Caesar. Cappad. (✝ 379) : Coenobitarum praeclari instituti altitudinem magnitudinemque pro viribus ostendam. Quid potest ex aequo cum hoc bono comparari ? Ibi enim ut pater unus est, qui imitatur supernum Patrem, ita complures filii sunt, qui vincere se invicem suâ in profectum benevolentiâ student, filii, inquam, qui et inter se concordibus sunt animis, et patrem egregiis officiis

Digitized by Google

et obsequiis prosequuntur, non in naturâ statuentes conjunctionis ac necessitudinis suae causam; sed firmiorem naturâ rationem concordiae suae ducem ac custodem reponentes, seque constrigentes vinculo Spiritus S. Quae jam rerum terrestrium imago possit praeclari illius instituti praestantiam ac dignitatem exprimere ? Atqui profecto nulla quidem est in terrenis : sed sola superna relinquitur. Nullis affectibus obnoxius est Pater coelestis ; his hic quoque immunis est, sibi sermone ac doctrinâ concilians omnes. Incorrupti filii coelestis Patris ; hoc etiam adoptavit integritas. Caritas connectit superna ; caritas etiam hoc inter se coadunavit. Vere et diabolus ipse de hujusmodi phalange desperat, impar, tot pugnatoribus adeo composite ac confertim adversus ipsum militantibus, tantâque cum caritate, testudine inter se factâ, certantibus, Spirituque ita septis et communitis, ut ne minimum quidem illius assultibus accessum praebeant. Considera mihi concordem septem Maccabaeorum pugnam, invenies quoque apud hos concordiam ferventiorem. De his David propheta in odis exclamavit ac dixit : « *Ecce nunc, « quid bonum, vel quid jucundum, nisi habitare fratres in « unum ?* (*Ps.* 132, 1) » Per « bonum » quidem integritatem hujus vitae exprimit ; per « jucundum » vero concordiae et unanimitatis laetitiam. Hoc vivendi genus qui accurate ac diligenter excolunt, hi mihi videntur supremam virtutem aemulari (*Const. monast. c.* 18. *n.* 4. *P. Gr.* 31, 1386).— Si parentes secesserint a saeculo et ad filii se vivendi rationem contulerint, tunc vere sunt cognati, non parentum, sed fratrum obtinentes locum. Pater enim est verissimus ; primus quidem universorum Pater ; secundus vero post illum is, qui praeit in spiritualis vitae instituto (*Const. mon.* 20. *n.* 1. *ib.* 1390).

Pater coenobii eligitur a filiis.

Martène, mon. Congr. S. Mauri (1739) : Ad ipsam Congregationem pertinebat Abbatis electio. Haec fuit antiqua Ordinis monastici disciplina, priscorum monachorum Regulis, ecclesiasticis civilibusque sanctionibus confirmata (*Comment. in S. Reg. ad c.* 64. *P. L.* 66, 881).

Digitized by Google

Abbatis paternitas coelitus defertur.

Elias de Coxida, Abb. Dunens. O. Cist. (✝ 1203): Cum ad omnimodam perfectionem teneantur praelati, ex arctiore diligentiâ debet examinari, quicunque digne ponendus est pastor populi Dei, ad colendum, ad regendum et ad dispensandum patrimonium Crucifixi. Nemo etiam assumit sibi honorem, i. e. assumere debet, nisi qui *vocatur a Deo* tanquam Aaron. Vocatur autem a Deo, si eligitur, qualis debet et qualiter decet et a quibus oportet, qui habeant et cognitionem veri et electionem boni; cognitio enim veri non permittit errare judicio, electio boni amore facit inhaerere divinae voluntatis arbitrio. *Vocatur* etiam *a Deo*, si nec per violentiam Superioris intruditur, nec gratiâ privati amoris assumitur, nec ambitione praelationis ingreditur; haec enim tria, scilicet violentia, privatus amor et ambitio, promovere solent indignum (*Serm.* 1. *P. L.* 209, 995).

Richardus de S. Angelo, mon. Cassin. (*saec. XIII*): Quando in Abbates eliguntur, *vocantur a Deo* tanquam Aaron, et postquam sunt vocati, recipiunt potestatem et vicem Christi a Papâ, qui gerit vicem veri Dei (*In c.* 2. *S. Reg. P. L.* 66, 265).

Abbati vicem Christi gerenti debetur reverentia et obedientia.

Hugo de Folieto, Canon. Regul. (✝ 1174): In tribus maxime Praelati Christum imitari debent, quia in loco Christi sunt, i. e. in dignitate, potestate et officio. Fuit Christus sacerdos, rex et minister. Sacerdos, cum in arâ crucis Seipsum hostiam daret; rex, cum a ligno regnaret; minister, cum Petri pedibus aquam ministraret. Sacerdoti igitur dignitas, regi potestas, ministro competit officium; dignitati debetur reverentia, potestati obedientia, officio cura. Duo igitur ex his debentur Praelatis, tertium subjectis. Reverentia et obedientia Praelatis exhibenda est a subjectis, cura vero subjectis impendenda est a Praelatis. Quid? Nonne in his subjecti Praelatos imitari debent? Non. Sed cum viderint Praelatos in dignitate humiles, in potestate mites, in administratione curae familiaris servientes, sint ipsi humiles, mites, injuncta officia benigne suscipientes (*De claustro animae l.* 2. *c.* 10 *P. L.* 176, 1057).

Abbas filiis praestet curam paternam.

Digitized by Google

S. Bernardus : Ego ero illi (sc. monacho) in patrem, et ipse erit mihi in filium, quousque de meis manibus excipiat eum Pater misericordiarum et Deus totius consolationis... Ego ero illi pater, ego mater, ego frater et soror. Ego faciam ei prava in directa, et aspera in vias planas; ego ei omnia sic temperabo et sic dispensabo, ut et spiritus proficiat et corpus non deficiat (*Ep.* 110. *n.* 2. *P. L.* 182, 253). — Oportet prorsus vino zeli in caritate ferventis aestuet, qui aliis praesidet (*In Cant. serm.* 23. *n.* 7. *P. L.* 183, 887).

S. Basilius : Abbas debet erga fratres animum habere « *tanquam si nutrix foveat filios suos* (1. *Thess.* 2), » cupidus impertiendi unicuique ad placendum Deo et ad utilitatem simul omnibus afferendam, non modo Dei Evangelium, sed suam etiam animam, juxta mandatum Domini et Dei nostri Jesu Christi, qui dixit: « *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* 15, 13). » (*Reg. brev.* 98. *P. G.* 31, 1131).

S. Franciscus Assis.: Praelatus ut subditos suos in humeris portet, necesse est, ut in pectore gestet, nam tolerare non poterit, quos amare desierit (*Ep.* 7 *ad fratr. Eliam*).

Hugo a S. Victore : Praelatus quanto plus diligitur, tanto plus auditur (*Sup. Reg. D. Aug. c.* 11. *P. L.* 176, 922).

Abbati suo monachi debent pietatem filialem.

B. Alcuinus, Abb. Turonens. (✝ 804) : Venerandum Patrem vestrum amate ut Patrem, quia ipse rationem redditurus erit de animabus vestris. Ille pro vobis laborat vagando et currendo, ut quiete vivere valeatis et regularem vitam vestram custodiatis et corpori vestro necessaria habeatis. Vos vero facite sicut filii carissimi, Deum timete, Deum diligite, et curam Patris vestri habete in orationibus vestris, quatenus longaeva prosperitate vobiscum vivat feliciter et vobiscum vosque cum illo vitam habere mereamini sempiternam (*Ep.* 142. *P. L.* 100, 384). — Pater vester pro vobis in magno positus est periculo, vos pro illo magnâ caritate intercedere studete, ut mercedem habeat pro vobis apud

Digitized by Google

Deum et vos requiem cum illo habeatis in regno Dei. Filiorum eruditio laus est magistrorum, et profectus gregis merces est pastoris (*Ep.* 93. *ib.* 299).

Abbatis est filios in Christo generare.

Regula S. Pachomii (*Saec. IV*) : Si quis accesserit ad ostium monasterii, volens saeculo renuntiare et fratrum aggregari numero, non habebit intrandi libertatem, sed prius nuntiabitur *Patri monasterii*, et manebit paucis diebus foris ante januam et docebitur orationem Dominicam ac Psalmos, quantos poterit ediscere; et diligenter sui experimentum dabit, ne forte mali quidpiam fecerit et turbatus ad horam timore discesserit aut sub aliquâ potestate sit, et utrum possit renuntiare parentibus suis et propriam contemnere facultatem. Si eum viderint aptum ad orationem et ad omnia, tunc docebitur et reliquas monasterii disciplinas, quas servare debeat et facere, quibusque servire, sive in collectâ omnium fratrum, sive in domo, cui tradendus est, sive in vescendi ordine, ut instructus atque perfectus in omni opere bono fratribus copuletur. Tunc nudabunt eum vestimentis saecularibus, et induent habitu monachorum tradentque ostiario, ut orationis tempore adducat eum in conspectu omnium fratrum sedeatque in loco, in quo ei praeceptum fuerit. Vestimenta autem, quae secum detulerat, accipient, qui huic rei praepositi sunt, et inferentur in repositorio et erunt in potestate principis monasterii (*C.* 49. *P. L.* 23, 73).

Novitii imprimis spiritualibus exercitiis vacent.

Vitae Patrum : Hi, qui nuper ad Domini servitium veniebant, alacriores ad omnia pietatis officia reddebantur, quos tamen beatus senex (Pachomius), quia talium sollicitudinum munus adhuc obviare non poterant, securos esse ab universis distentionibus admonebat, dicens : « In quo vocati estis, fratres, viriliter in eo persistite ; psalmos dicite, libros alios et praecipue sanctum Evangelium memoriâ retinete. Sic enim servientes Domino et juxta mandata ejus invicem diligentes, vos quidem eritis perfecti ; meum vero spiritum per omnia refovebitis, praesertim si coelestia praecepta fueritis sollicitius exsecuti.» — Praeceptum erat, ut qui semel

Digitized by Google

ad hoc intraret monasterium, ut ibi jugiter permaneret, per tres annos a studiis sacratioribus arceretur, operaretur tantum opera sua simpliciter, et ita post triennium stadium certaminis introiret (*L.* 1. *vit. s. Pachomii c.* 22. *P. L.* 73, 243).

Novitius voluntatem propriam abnegare instruatur.

Joan. Cassianus, Abb. Massiliens. (✝ 430) : Senior doceat novitium primitus suas vincere voluntates ; quem studiose in his ac diligenter exercens, haec illi semper imperare de industriâ procurabit, quae senserit animo ejus esse contraria. Multis siquidem experimentis edocti tradunt, monachum, et maxime juniores, ne voluptatem quidem concupiscentiae suae refrenare posse, nisi prius mortificare per obedientiam suas didicerint voluntates (*De coenob. instit. l.* 4, *c.* 8. *P. L.* 49, 160).

Inordinatum erga parentes affectum deponat novitius.

S. Basilius : Tu qui coelestis vivendi ritus amator es atque angelicae vitae negotiator, quique sanctorum Christi discipulorum commilito esse cupis, corrobora te ipsum ad res adversas perferendas et virili animo monachorum coetum ac senatum adi ; ac initio quidem tuae renuntiationis virum te ostende, ut ne ob eorum, qui secundum carnem cognati sunt, amorem et affectum deorsum trahare, sed valido et forti animo mortalia cum immortalibus commutes. Ubi vero res, quae ad te pertinent, dereliqueris, esto inflexibilis et constans, certoque scias, eas praemittere te in coelum; siquidem ipsas in sinu pauperum reconditas cum multâ accessione apud Deum es inventurus. Cum autem ab amicis ac familiaribus divelleris, cave conficiaris moerore nimio, quandoquidem cum Christo, qui pro te crucifixus est, conjungeris, quo quid, quaeso, a nobis amabilius excogitari potest ? Quando autem, Deo juvante, in primo hoc pugilatu tuum adversarium superaveris, nolito te ipsum tanquam vas quoddam ignominiosum projicere. Ex quo enim rebus terrenis remisisti nuntium, jam honorem apud Christum conciliasti ; sed magnopere cura et provide, ut virum, tuae vitae tutissimum ducem, reperias... Et si quempiam hujusmodi nanciscare, omnem tuam voluntatem exspuens et foras rejiciens, huic te ipsum trade, ut quasi vas sincerum inve-

Novitius patri spirituali penitus se tradat.

Digitized by Google

niaris, qui scilicet eas, quae in te infunduntur, virtutes ad laudem et gloriam tuam serves. Etenim si quidpiam ex iis vitiis, quibus antea deditus eras, in te ipso reliqueris, tunc bonis, quae in te fuerant immissa, in vappam transmutatis, tanquam vas quoddam, nulli usui aptum, foras projiciere. Hoc secundum est luctamen, quod cum salutis nostrae hoste ineundum est. Documenta enim magistrorum bonorum bona sunt ; malorum autem, mala sunt omnino. Cum enim nobis persuadere non potuerit malus ille adversarius noster, ut in mundi tumultu et exitio permaneremus, suadere conatur, ne vitae accuratae dediti simus, neve permittamus nos viro, qui omnia nostra peccata ob oculos nobis ponat corrigatque ; sed ut nos credamus cuipiam, honoris amore insanienti suaeque erga suos convictores indulgentiae obtentu sua ipsius vitia commendanti ; ut, cum ita nos latenter innumeris vitiis rursus addixerit, nostris ipsis peccati vinculis nos obstringat. Quod si viro te dedas, multis virtutibus instructo, bonorum ejus efficieris haeres erisque apud Deum et apud homines beatissimus... Si igitur Dei auxilio repereris (prorsus autem si quaeras, reperies) bonorum operum doctorem, observa apud te ipsum, ut nihil praeter ejus sententiam peragas. Quidquid enim sine ipso efficitur, furtum est et sacrilegium, quod mortem infert, non utilitatem, tametsi tibi videtur esse bonum (*Serm. de renuntiat. saec. n.* 2, 3 *et* 4. *P. Gr.* 31, 630).

Novitius etiam induris et asperis perferendis se subjiciat superiori.

Haeftenius, Praep. Affligen. (✠ 1648): Primo novitio cogitandum, se esse velut rude lignum e silvâ saeculi primum recisum, ex quo, ut pulcherrima religiosa ac sancti viri fiat statua, necesse sit securi et asciâ plurima hinc inde detruncari multumque dolari. Horum vero instrumentorum vicem subire injurias, exprobrationes et convicia, non vexandi, sed probandi animo irrogata (*Disq. monast. l.* 4. *tract.* 3. *disq.* 7).

S. Bonaventura : Necesse est, novitios magistro humiliter esse subditos, quia nisi quis medico obtemperarit, non poterit ab infirmitate sanari (*L. de sex alis Seraph. c.* 1).

Digitized by Google

Novitius simplici corde obediat.

S. Laurent. Justin. Protopatriarch. Venet. (✝ 1455): Tanquam divino oraculo suo in omnibus credant (novitii) paedagogo, et ipsius in cunctis obtemperent voluntati. Nolint discernere quare, sed quid praecipiat (*L. de obed. c.* 20).

Guillelmus, Abb. S. Theodor. (✝ 1120): Pia simplicitas, et in professione religionis et solitudinis novus homo, qui non habet vel rationem ducentem vel rationem trahentem vel discretionem moderantem, sed vi quâdam utitur in semetipsum, tanquam a figulo figmentum; lege quâdam mandatorum Dei quasi manibus alienis faciendus est et formandus in omni patientiâ et in rotâ volubilis obedientiae et in igne probationis suae, plasmatoris et formatoris sui voluntati et arbitrio subdendus (*Ep. ad fratr. de monte Dei. l.* 1. *c.* 6. *n.* 17. *P. L.* 184, 319).

Abbatis gaudium et spes in novitiis tanquam in floribus horti coenobitici.

S. Bernardus: « Vinea nostra floruit. » Non possumus de ipsis (novitiis) dicere, quia vinea nostra floruit; floret enim. Quod in eis apparere videtis, flos est; fructuum tempus nondum advenit. Flos novella conversatio est, flos formula recens vitae emendatioris est. Induerunt sibi faciem disciplinatam et bonam totius corporis compositionem..... sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior. Verum quia noviter coepere, ipsâ sui novitate flores censenda sunt, et spes fructuum magis quam fructus (*Serm.* 63. *in Cant. n.* 6. *P. L.* 183, 1083).

Abbatis est spiritualis directio omnium monachorum.

Haeftenius: Abbas pastor et dux est et ductor, creditasque oves non uno modo debet deducere. Abducere enim eas debet a vitiis, subducere periculis, reducere ab erroribus, deducere ad caulas, educere ad pascua, conducere per viam, adducere ad Christum, inducere ad bonum, perducere ad perfectionem, introducere ad regnum (*Disq. mon. l.* 3. *tract.* 5. *disq.* 5).

Abbas conferentias spirituales instituat.

S. Pachomius: Praepositi per singulas hebdomadas tertio fratres de conversatione sanctae vitae docebunt (*Regul. n.* 188). — Quando signum sonuerit, ut *conveniant et audiant* fratres praecepta Majorum, nullus remanebit

Digitized by Google

(*Reg. n.* 23). — Si quid Praepositus de Scripturis docuerit, vicissim inter se ruminent et referant, quae quis audierit (*Reg. n.* 122). — Omne quod in conventu fratrum audierunt disputatum, necessitate cogentur, ut inter se replicent, jejuniorum maxime tempore, quando a suis docentur Praepositis (*Reg. n.* 138). — Per singulas hebdomadas binae disputationes, id est, catecheses, a Praeposito complebuntur (*Reg. n.* 156. *P. L.* 23, 89).

S. Augustinus : Conveniunt monachi diei tempore extremo de suis quisque habitaculis, dum adhuc jejuni sunt, ad audiendum patrem, et conveniunt ad singulos patres terna, ut minimum, hominum millia, nam etiam multo numerosiores sub uno agunt. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio, affectiones animorum suorum, prout eos pepulerit disserentis oratio, vel gemitu vel fletu, vel modesto et omni clamore vacuo gaudio significantes (*L.* 1. *de mor. Eccl. cathol. c.* 31. *n.* 67. *P. L.* 32, 1338).

Abbas imprimis S. Regulam exponat.

B. Alcuinus : Vos, qui estis Patres et Pastores sanctae congregationis, docete diligentissime fraterno amore familiam, quam accepistis regendam, omneque bonitatis exemplum in vobismetipsis ostendite ; ... saepiusque Regula S. Benedicti in conventu fratrum propriâ exponatur linguâ, ut intelligi possit ab omnibus (*Ep.* 14. *P. L.* 100, 163).

Abbas dignitate quasi episcopali ornatus est ab Ecclesia.

Petrus Venerabilis, Abb. Cluniac. († 1158): Sicut Romani praesules omni, et sicut alii Pontifices singulis ecclesiis praesunt, ita Abbates monachis suis pari per omnia potestate, et auctoritate principantur... Etsi sanctitas supradictis Patribus deesset, auctoritas sola praelationis ad exhibendam eis obedientiam sufficeret. Sicut eis subditis suis imperare licuit, et subditis imperata servare (*L.* 1. *ep.* 28. *P. L.* 189, 153).

Philippus de Harveng, Abb. Ord. Praemonstrat. († 1182): Inter ipsos sacerdotes dignitatis ordine principantur, qui *assumpto baculo pastorali*, vel *Abbates*, vel Episcopi nominantur, quorum illi regularem suis claustralibus discipli-

Digitized by Google

nam, isti vero tam claustralibus quam ceteris omnibus vivendi debent exemplum et doctrinam. Ob hoc enim a Deo quidam in Ecclesiâ praeponuntur, et eisdem praepositis divino alii ordine supponuntur, ut fidelem curam digniores inferioribus impertire, et inferiores dignioribus humilitate debita studeant obedire. Illi paternâ sollicitudine ministrent inferioribus doctrinam spiritalem, isti superioribus exhibeant obedientiam filialem, eosque tanquam patres et filios, quorum nomina sunt ad invicem relativa, non carnis propagatio, sed, quod est validius, efficiat caritas conjunctiva (*Epistola* 13. *P. L.* 203, 105).

Qualis esse debeat Abbas.

S. Basilius : Abbatem, tuae vitae tutissimum ducem, oportet esse probe edoctum, conducere eos, qui ad Deum pergunt, plenum virtutibus, ejus quae in Deum est dilectionis testimonium habentem ex suis ipsius operibus, divinarum Scripturarum gnarum, animo sedato praeditum, pecuniarum non amantem, a negotiis alienum, quietum, Deo acceptum, diligentem pauperes, non iracundum, injuriarum immemorem, ad eorum, qui ipsum adeunt, aedificationem multum laborantem, vanae gloriae non cupidum, non superbum, nullis assentationibus flectendum, non obnoxium mutationi, nihil Deo praeferentem (*Serm. ascet. de renunt. saec. n.* 2. *P. Gr.* 31, 631).

S. Gregorius M. : Qui talis est, ut circa cellae ordinationem fratrumque custodiam nec non et in lucrandis animabus sollers valeat inveniri, is debet ad Abbatis locum incunctanter accedere. De quolibet etiam ultimo gradu, si talis inter fratres, Domino protegente, fuerit repertus, qui vitae meritis dignum conversationis suae praebeat documentum, divinique in eo timoris vigor invigilet, hujus profecto non locus (in ordine fratrum), sed est utilitas providenda, ut talis exemplo ad bonae imitationis normam cuncti se fratres extendant, nec eos adhuc locus inferior ad bene operandum tepidos reddat, dum in illo qui profecerit, quod imitentur aspiciunt. Dilectioni quapropter tuae in hac ordinatione sit nulla dubietas, quod non locus, sed actio apta

Digitized by Google

perquiritur, quia et ante Deum ille prioris obtinet locum qui in Ejusdem oculis, etiamsi hic abjectus sit, bonae actionis instrumento placuerit (*L.* 7. *ep.* 10. *P. L.* 77, 864). — Sit pastor actione praecipuus, prae cunctis contemplatione suspensus, discretus in silentio, utilis verbo, singulis compassione proximus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens. Nec inter malos tantummodo quae recta sunt faciat, sed bene quoque operantes subditos sicut honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat (*Regul. past. p.* 2. *c.* 1. *et* 3 *ibid.* 26). — Ille... debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit, qui prospera mundi postposuit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat, qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, qui non perpetrat illicita, sed ab aliis perpetrata ut propria deplorat sicque in bonis proximi sicut in suis provectibus laetatur; qui sic studet vivere ut proximorum quoque corda arentia doctrinae valeat fluentis irrigare; qui orationis usu et experimento jam didicit, quod obtinere a Domino, quae poposcerit, possit (*Regul. past. p.* 1. *c.* 10. *ibid.* 23). — Nullus debet subire culmen regiminis, qui robur non habet magni operis, scilicet contemplationis scientiam, et fervorem caritatis (*In.* 1. *Reg. l.* 6. *c.* 3. *n.* 18. *P. L.* 79, 458). — Si dux exercitus non nisi labore et sollicitudine expertus eligitur, quales animarum duces esse debent? (*L.* 9. *ep.* 110. *P. L.* 77, 1040).

Trithemius : Regimen qui suscipis animarum, sis forma vitae, quam subditos sequi velis (*In c.* 2. *Reg. S. Bened.*). — Maxima sollicitudine curandum est, ut is, qui rector aliorum constituitur, sapientiâ simul et religione decoretur (*Orat.* 4. *in Conv. Abb. habita*).

S. Bernardus : In his duobus mandatis verbi scilicet et exempli summam tui officii ac conscientiae securitatem pendere intellige (*Ep.* 201. *n.* 3. *P. L.* 182, 370).

Digitized by Google

S. Francisc. Assis.: In mandatis estote moderati, in peccatores misericordes, in condonando faciles, in victu abstinentes, in vestitu pauperes, in verbis mansueti, Deo et officiis vestris fideles (*In suis Opusc. Ep.* 6. *ad Prov. Ord. minor.*). — Pastor debet esse homo vitae gravissimae, discretionis magnae, famae laudabilis, privatis affectionibus carens, ne, dum in parte plus diligit, in toto scandalum generet (*Coll.* 26. *in princ.*).

Abbas agat in timore Dei,

S. Bernardus : Longe graviori et periculosiori debito tenentur adstricti, qui pro multis animabus reddituri sunt rationem. Quid ego infelix ? quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligentius custodiri ? Si stillantem in cruce Domini sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod et portari saepius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto ? Et certe id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens, ipsa utique Sapientia, sanguinem illum dedit. Sed et habeo thesaurum istum in vasis fictilibus et quibus multo plura, quam vitreis imminere pericula videantur (*Serm.* 3. *de Adv. n.* 6. *P. L.* 183, 46). — Boni pastores dormientibus subditis ipsi pervigilant, tanquam *rationem pro animabus eorum reddituri ;* pernoctant in orationibus, hostium insidias sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, cor suum tradunt ad vigilandum diluculo ad Deum, qui fecit illos, cognoscentes suam insufficientiam in custodiendâ civitate (*Serm.* 76. *in Cant. n.* 7. *ibid.* 1153).

Memor rationis reddendae.

S. Gregorius M. : Scire Praelati debent, quia, si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est, ut tanto se cautius a culpâ custodiant, quanto per prava, quae faciunt, non soli moriuntur (*Reg. past.* 3. *p. c.* 4. *P. L.* 77, 54).

S. Antoninus, Archiep. Florent. († 1459): Judicium durissimum fiet his, qui praesunt; durum, si non bene rexerint

Digitized by Google

se ipsos, durius, si non bene gubernaverint familiam propriam: durissimum, si justitiam legalem omnibus non ministraverint (*Part.* 1. *tit.* 5. *c.* 2).

Abbas humilitate praecellat.

Hugo a S. Charo, Card.: Licet (Superiores) sint ceteris potestate praelati, ministerio tamen sunt subjecti; sicut ipse Dominus, qui omnibus praelatis praelatus est (*Serm.* 3. *de spirit. Christi conviv.*). — Nullus est idoneus, ut mittatur ad praelationis officium, nisi prius defectus suos cognoverit et defleverit, ut humilitatem in se custodiat et aliis melius compatiscat (*Sup. Isai. c.* 7).

Elias de Coxida, Abb.: Esto in illis quasi unus ex ipsis (*Eccli.* 32). Hic notatur vitae conformitas ad observantiam caritatis. Nihil ita facit ad observantiam caritatis, nihil aeque favorem et gratiam comparat aliorum, quam si in alto non altum sapias, sed consentias humilibus et eis conformiter vivens sis in illis quasi unus ex ipsis. Esto in illis quasi unus ex ipsis, ut illorum prorsus induens affectum et gaudeas cum gaudente et dolenti condoleas et cum infirmo noveris infirmari et uri cum scandalizato. Esto in illis quasi unus ex ipsis, in affabilitate colloquii, provisione subsidii, in perceptione commodi, in aequitate judicii, quae maxime videntur pertinere ad conformitatem vivendi; in affabilitate colloquii, ut abundes animi sale cum consuleris, melle, cum consulis, ut piae consolationis solatiis attracta currat ovicula tua, colligatur et quiescat in sinu pastoris, ut ex ore tuo dulcedinem percipiat unctionis, non asperitatem durae sentiat punctionis; in provisione subsidii, ut eorum in omnibus provideas necessitati, sicut tibi velles in similibus provideri (*Serm.* 1. *P. L.* 209, 998).

Abbas ex vera humilitate omnium necessitatibus inserviat.

Humili corde aliorum corripiat delicta.

Taulerus, Ord. Praed. († 1361): Do ego consilium omnibus, in quacunque praelatione constitutis, ut semper in ima sive fundum humilitatis sese demittant, nihilque suum ob oculos habeant, omnem superbiam devitent. Cum aliquem reprehendere volunt, sese prius reprehendant; et quantum fieri potest, malum studeant vincere in bono; non enim satanas satanam expellit. Sic ex corde mansueto

Digitized by Google

mitia et dura verba proferant, prout res ipsa et causae exigere videbuntur. Qualibet die saepius quidem, specialiter vero duabus vicibus sese intro recipient, mane scilicet et vesperi, et tunc semotis paulisper et a memoriâ exclusis omnibus rebus et negotiis temporalibus, sese coram se statuent; menteque in Deum sublevatâ, omnia adversa et gravia de Illius suscipient manu, Illi offerent, pro Ejus amore sustinebunt, ac per Ipsum denique vincent. Et hoc facient amabiliter, dulcia cum Deo colloquia miscendo, et suum in Illo recreando spiritum. Vera enim perfectio non in consolationum affluentiâ sita est, sed in voluntatis integrâ resignatione in voluntatem Dei, ad omnia tam amara quam dulcia ferenda (*Serm. sup. illud*: " *Ego sum pastor bonus* "). *Omnia cum Deo tractet.*

S. Bernardus : Monachum facit professio, Praelatum necessitas. Ut autem non praejudicet necessitas professioni, accedat, non succedat, praelatio monachatui. Alioquin quomodo illud implebitur : « *Principem te constituerunt, esto inter illos, tanquam unus ex illis* » (*Eccli.* 32. 1). (*De offic. Episc. c.* 9. *n.* 33. *P. L.* 182, 831).

Vitae Patrum : Hic pater venerabilis (Pachomius), quamvis esset spiritualibus actibus occupatus, si quando tamen acciderat, ut abesset is, cui monasterii curam commiserat, sic adimplebat omnia solus, velut omnium famulus. Et hoc agebat sine aliquâ ostentatione vel jactantiâ, quae magnas spiritualium virorum solet evacuare virtutes. Nam summâ mentis humilitate cunctos aedificabat in Domino, utiliter universa dispensans (*L.* 1. *vit. S. Pach. c.* 25. *P. L.* 73, 246). *S. Pachomii humilitas.*

S. Caesarius, Ep. Arelat. (✠ 542): In quotidiano corporis alimento atque communi cibo par sis his, cum quibus pari uteris in mensâ consessu.... Primatum tuum, quem prior ad mensam tenes, prima ad virtutem parcimoniae vindices (*Ep. hortatoria ad Virg. Deo dicatam P. L.* 67, 1137). *Abbas simplicitati victûs studeat.*

S. Petrus Dam. : Non mensam fratrum (Abbas) coenaturus exhorreas, non te convivia privata delectent ; et cum quibus tibi est altaris mensa communis, non indignos

Digitized by Google

judices, qui tibi participent etiam in corporalibus alimentis (*Opusc.* 13. *c.* 15. *P. L.* 145, 314).

Abbatis humilitas dignitati ipsius non adversetur.

S. Gregorius M.: Solerter intuendum est (Praelato), ne, dum immoderatius custoditur virtus humilitatis, solvantur jura regiminis ; et, dum Praelatus quisque plus se quam decet, dejicit, subditorum vitam stringere sub vinculo disciplinae non possit. Teneant ergo rectores exterius, quod pro aliorum utilitate suscipiunt ; servent interius, quod de suâ aestimatione pertimescunt. Sed tamen, quibusdam signis decenter erumpentibus, eos apud se esse humiles etiam subjecti deprehendant, quatenus et in auctoritate eorum, quod formident, videant, et de humilitate, quod imitentur, agnoscant (*Regul. Pastor. p.* 2. *c.* 6. *P. L.* 77, 36).

S. Isidorus Hispal. : († 636) : Qui praeficitur ad regimen, taliter erga disciplinam subditorum praestare se debet, ut non solum auctoritate, verum etiam humilitate clarescat, sed tamen ita erit in eo virtus humilitatis, ne dissolvatur vita subditorum in vitiis, atque ita auctoritas aderit potestatis, ne per tumorem cordis severitas existat immoderationis (*Sententiarum l.* 3. *c.* 42. *sent.* 1. *P. L.* 83, 711).

Abbas det operam sanctificationi propriae.

Trithemius : « Caveat Abbas, ne quando, id est, aliquando illi peccanti Dominus dicat » : « *Quare tu enarras justitias meas ?* » Indignus es officio praedicatoris, aliis praedicas bona, et tibi mala accumulas ; promittis aliis coelum, et tu descendis in infernum, alios bonos vis esse, et tu reprobus factus es. Ut quid tu ergo enarras justitias meas ? An ignoras, quia regnum Dei non est in sermone, sed virtute (1 *Cor* 2). Prius enim vita quam doctrina requirenda est. Plus nunc placet tacens virtuosus quam iniquus verbosus. Quid proficis, si tuo sermone omnes lucreris, et detrimentum tui patiaris ? — Si verus praedicator et discipulus Christi fieri vis, fac primo, quae jubet Deus, deinde et alios sermones Dei doce, ne, si prius docere praesumpseris quam facere, reprobus efficiaris. Et, quidquid praecipis vel doces, noli sapiens esse apud te ipsum, sed caritas Dei, non ambitio tui te docere compellat, ne tibi dicatur : « *Tu vero odisti*

Digitized by Google

disciplinam et projecisti sermones meos post te » (*Comm. in Reg. S. Ben. c* 2. " *Quare tu enarras* "...).

Smaragdus, Abb. (✠ 824) : Aequum est, ut qui est primus in nomine, sit et primus in operatione, et quod ore praedicat, opere compleat, et prior in humeris vel in cervicibus suis portet, quae portare fratres jubet ; ut, utrum sint levia aut gravia quae fratribus imponit onera, experimento cognoscat, primatumque suum, quem prior ad mensam tenet, primus ad virtutis parcimoniam indicet, et abstinentiam, quam lingua praedicat, experimento cognoscat (*In cap.* 64. *S. Reg. P. L.* 102, 919).

Philippus de Harveng, Abb. O. Praemonstr. (✠ 1183) : Provide censura ecclesiastica voluit ordinare, ut nonnulli Praelati virgam vel baculum sibi ferrent, in quo velut codice suum sibi commonitorium anteferrent. Joas cum rex fieret, in manu suâ librum legis tenendum accepit, quem illi Joiada pontifex mysterialiter offerri praecepit; ut sciret tam Joas quam ceteri, quod divinae legi rex debeat obedire (*II Paral.* 23), et ejus testimonio manus suas, id est quidquid egerit insignire. Sic et ii, qui apud nos *Abbates* nominantur, cum divino disponente consilio ad locum regiminis ordinantur, ut habeant assidue quasi praenuntium mysterialem, accipiunt in manibus virgam vel baculum pastoralem. Cujus forma videtur non mediocre mysterium continere, per quod ipsum praelatum, velut codex appositus, non desinit commonere, quantas apud se virtutes debeat obtinere, quantâ virtutum gratiâ foris in subjectorum oculis eminere. Est enim virga illa recta et plana, ut in eâ non tortitudo, non scrupulus habeatur, sed sine inaequalitatis omni offendiculo teneatur (*Ep.* 13. *P. L.* 203, 109).

S. Hildegardis : O filia Dei, terram tuam in temetipsâ coërce, ne ipsa sine fructuosâ utilitate filiarum arescat. Cor etiam tuum in unum collige, nec illud in immoderationem inquietorum morum figas, ne filias tuas a te fuges. Tu quoque similis esto bonae terrae, quae frequenter congruâ pluviâ irrigatur, quatenus bonas et delectabiles herbas proferat (*Ep.* 115. *P. L.* 197, 335).

Digitized by Google

Abbas exteriorum curarum fugiat nimietatem.

S. Gregorius Pp. M.: (Pastor debet cavere) ne aut exterioribus deditus ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus, quae foris debet proximis non impendat. Saepe namque nonnulli velut obliti quod fratribus animarum causa praelati sunt, toto cordis adnisu saecularibus curis inserviunt.... Sicque fit, ut dum se urgeri mundanis tumultibus gaudent, interna quae alios docere debuerant ignorent. Unde subjectorum quoque proculdubio vita torpescit, quia cum proficere spiritaliter appetit, in exemplo ejus qui sibi praelatus est, quasi in obstaculo itineris offendit. Languente enim capite membra incassum vigent, et in exploratione hostium frustra exercitus velociter sequitur, si ab ipso duce itineris erratur. Nulla subditorum mentes exhortatio sublevat.... et subjecti veritatis lumen apprehendere nequeunt, quia dum pastoris sensus terrena studia occupant, vento tentationis impulsus Ecclesiae oculos pulvis caecat. Quo contra recte humani generis Redemptor, cum nos a ventris voracitate compesceret dicens: « *Attendite autem vobis, ut non graventur corda vestra in crapulâ et ebrietate* » (*Luc.* 21, 34), illico adjunxit: « *Aut in curis hujus vitae.* » — Hinc Paulus religiosorum mentes a mundi consortio contestando, ac potius conveniendo, suspendit, dicens: « *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit* » (*II Tim.* 2, 4). — Hinc Moyses, qui cum Deo loquitur (*Ex.* 18, 17, 18), Jethro alienigenae reprehensione judicatur, quod terrenis populorum negotiis stulto labore deserviat: cui et consilium mox praebetur, ut pro se alios ad jurgia dirimenda constituat, et ipse liberius ad erudiendos populos spiritualium arcana cognoscat. — A subditis ergo inferiora gerenda sunt, a rectoribus summa cogitanda, ut scilicet oculum, qui praevidendis gressibus praeeminet, cura pulveris non obscuret. Caput namque subjectorum sunt cuncti qui praesunt; et ut recta pedes valeant itinera carpere, haec proculdubio caput debet ex alto providere, ne a provectus sui itinere pedes torpeant, cum curvata rectitudine corporis caput sese ad terram declinat. — Quod cum magno

Digitized by Google

scilicet dolore caritatis Jeremias propheta conspiciens, quasi sub destructione templi deplorat dicens : « *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum* » (*Thren.* 4, 1). — Quid platearum nomine, nisi praesentis vitae latitudo figuratur ? — Aurum igitur obscuratur, cum terrenis actibus sanctitatis vita polluitur. — Sanctuarii quoque lapides in plateas disperguntur, cum causarum saecularium foras lata itinera expetunt hi qui ad ornamentum Ecclesiae internis mysteriis quasi in secretis tabernaculi vacare debuerunt... cum personae sacrorum ordinum voluptatum suarum latitudini deditae, terrenis negotiis inhaerent (*Regul. past. p.* 2. *c.* 7. *P. L.* 77, 39 *et* 40 *sq.*). — Saecularia itaque negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, nunquam vero ex amore requirenda ; ne cum mentem diligentis aggravant, hanc suo victam pondere ad ima de coelestibus mergant. — Sic itaque Pastores erga interiora studia subditorum suorum ferveant, quatenus in eis exterioris quoque vitae providentiam non relinquant. — Inter haec... metuendum semper est et vigilanter intuendum, ne, dum cura ab eis exterior agitur, ab internâ intentione mergantur. Plerumque enim, ut praediximus, corda rectorum dum temporali sollicitudini incaute deserviunt, ab intimo amore frigescunt ; et foras fusa obli-visci non metuunt, quia animarum regimina susceperunt. Sollicitudo ergo quae subditis exterius impenditur, sub certâ necesse est mensurâ teneatur. Unde bene ad Ezechielem dicitur : « *Sacerdotes caput suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondeant capita sua* » (*Ez.* 44, 20). Sacerdotes namque jure vocati sunt, qui ut sacrum ducatum praebeant, fidelibus praesunt. Capilli vero in capite, exteriores sunt cogitationes in mente : qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitae praesentis designant ; quae ex sensu negligenti quia importune aliquando prodeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt. Quia igitur cuncti qui praesunt, habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere,

Saecularia toleranda, non requirenda.

Digitized by Google

sacerdotes recte et caput prohibentur radere et comam nutrire ;... ut videlicet curae temporalis sollicitudinis et quantum necesse est prodeant, et tamen recidantur citius, ne immoderatius excrescant (*Ibid.* 41, 42). — Sit rector singulis compassione proximus, prae cunctis contemplatione suspensus, ut et per pietatis viscera in se infirmitatem ceterorum transferat, et per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat. — Hinc est quod Paulus... coelum contemplatione transcendit, nec tamen statum carnalium sollicitudine deserit, quia compage caritatis summis simul et infimis junctus, et in semetipso virtute spiritus ad alta valenter rapitur et pietate in aliis aequanimiter infirmatur (*I Cor.* 7, 2. *II Cor.* 11, 29. *I Cor.* 9, 20). — Hinc Moyses crebro tabernaculum intrat et exit ; et qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur. Intus Dei arcana considerat, foris onera carnalium portat. Qui de rebus quoque dubiis semper ad tabernaculum recurrit, coram testamenti arca Dominum consulit : exemplum proculdubio rectoribus praebens, ut cum foris ambigunt, quid disponant, ad mentem semper quasi ad tabernaculum redeant, et velut coram testamenti arca Dominum consulant... Hinc ipsa Veritas per susceptionem nostrae humanitatis nobis ostensa, in monte orationi inhaeret, miracula in urbibus exercet (*Luc.* 6, 12) ; imitationis videlicet viam bonis rectoribus sternens. (*Reg. past. p.* 2. *c.* 5 *ibid.* 32 *et* 33).

Memor sit suae animae.

S. Bernardus : Invitus, ni fallor, avelleris a tuae Rachelis (contemplationis) amplexibus ; et quoties id pati contigerit, toties dolor tuus renovetur necesse est... Noli nimis credere affectui tuo qui nunc est. Nil tam fixum animo, quod neglectu et tempore non obsolescat. Vulneri vetusto et neglecto callus obducitur, et eo insanabile quo insensibile fit... Primum tibi importabile videbitur aliquid ; processu temporis, si assuescas, judicabis non adeo grave ; paulo post et leve senties, paulo post nec senties, paulo post etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiam itur... Vereor, inquam, ne in mediis occupationibus, quoniam

Digitized by Google

multae sunt, dum diffidis finem, frontem dures, et ita sensim te ipsum quodammodo sensu prives justi utilisque doloris. Multo prudentius te illis subtrahas vel ad tempus, quam patiare trahi ab ipsis, et duci certe paulatim quo tu non vis. Quaeris quo? Ad cor durum... En quo trahere te habent haec occupationes maledictae: si tamen pergis, ut coepisti, ita dare te totum illis, nil tui tibi relinquens. Perdis tempus: si licet nunc alterum me tibi exhibere Jethro, tu quoque in his stulto labore consumeris (*Ex.* 18, 18), quae non sunt nisi afflictio spiritus, evisceratio mentis, evacuatio gratiae. Nam fructus horum quid, nisi aranearum telae (*De considerat. l.* 1. *c.* 1 *et* 2. *n.* 1, 2, 3. *P. L.* 182, 728 *sq.*). — Quid servilius indigniusque... quam non dico omni die, sed pene omni hora, insudare talibus rebus, et pro talibus? Denique quando oramus? quando docemus populos? quando aedificamus Ecclesiam? quando meditamur in lege? *Nam certe lex Domini immaculata, convertens animas* (*Ps.* 18, 8) (*C.* 4. *n.* 5. *ibid.* 732). — Alioquin quid tibi prodest, juxta verbum Domini, si universos lucreris, te unum perdens? (*Matth.* 16, 26) Quamobrem cum omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus unus. Quid solus fraudaris munere tui? Sane deriventur aquae tuae in plateas, sed inter ceteros bibe et tu de fonte putei tui... Memento proinde, non dico semper, non dico saepe, sed vel interdum reddere te ipsum tibi. Utere te quoque inter multos, aut certe post multos (*C.* 5. *n.* 6. *ibid.* 734, 735). — Sufficit interim admonitum esse, non totum te, nec semper dare actioni: sed considerationi aliquid tui et cordis et temporis sequestrare. Vacare considerationi...., quid tam pertinens ad cultum Dei, quam quod ipse hortatur in Psalmo: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus* (*Ps.* 45, 11)? quod sane in partibus considerationis praecipuum est. Quid denique tam valens ad omnia, quam quae ipsius quoque actionis partes benigna quadam praesumptione suas facit, praeagendo quodammodo, et praeordinando quae agenda sunt? Necessario sane; ne forte quae et praevisa et praemeditata poterant esse proficuo, praecipitata magis periculo

Vacet sibi.

Vacet Deo.

Digitized by Google

fiant... Et primum quidem ipsum fontem suum, i. e. mentem, de qua oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat, postremo divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert... Haec est quae agenda praeordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione egens (*C.* 7. *n.* 8. *ibid.* 736 *et* 737).

Bartholomaeus a Martyribus, O. Pr. Archiep. Bracarens. (Braga) et Hispaniae Primas († 1590): Diligenter negotia sunt agenda, sed non anxie. Memento, quod omnia debent servire spiritui; ne pedes supra caput erigas, nec caput ad utilitatem pedum deprimas. Semper liber atque expansus permaneat spiritus ad radios Domini; et post orationem igneam maneant cineres aestuantes ad tempora negotiorum. — Ad hoc igitur summe annitendum summisque gemitibus a Domino petendum, ut in turbine negotiorum, etiamsi obruere animum videantur, animus tamen semper liber, securus magnusque Domino sistatur. Debemus ergo negotia disponere, et non eis immergi, habentes oculos ad Dominum erectos ac fidentes, dicendo intra nos illum Psalmum: « *Levavi oculos meos* » (*Ps.* 120). Pondera verba dicta Episcopis Actuum c. 20, 28: « *Attendite vobis et universo gregi;* » primum vobis, deinde gregi. Occurrentibus difficultatibus et periculis mox toto corde ad orationem confuge, ad Patrem luminum et consolationum; haec enim jugis impulsio ad orandum, magna occasio est proficiendi.— Etiam cum maxime negotia fervent, non tradas totum cor illis, sed inter ea semper serves anhelam affectionem ad Deum. Dic enim mihi, nonne in omni negotio Deus est, ibique inveniri potest ut finis, ut auctor, ut jussor, ut cooperator ac consultor? Intuere ergo Eum ibidem, quando negotium tractatur; et tunc intus requiesces, et dilatabitur, illuminabitur, laetabitur cor tuum. Atque hoc ipsum summis gemitibus a Deo impetrare contende. Vae tibi, si fons devotionis in te siccatus fuerit. Quid aliud est devotio, quam

Animus semper liber remaneat.

Digitized by Google

fons aquae vivae, rigans omnia nostra virtutis exercitia, sine quâ mox arescunt? Est etiam vinum coeleste, cor hominis laetificans; est balsamus, omnem sanans passionem; est cibus animae, est lingua, quâ cum Deo loquimur, quâ carens non habet linguam, ut cum Deo loquatur (ut Bernardus ait); est manna de coelo. Ipsa est, quae dicit: « *Spiritus meus super mel dulcis* » (*Eccl.* 24, 27). At non datur diligentibus terrenas consolationes in mensâ, in honoribus, sicut neque manna datum est, nisi dimissis cepis et aliis Aegypti. Favum dulcissimum devotionis non possunt fabricare porci, sed apes sollicite volantes super flores vitae Christi... Etiam in vertiginibus causarum saecularium semper maneat quaedam candela accensa in pectore nostro. Post has autem vertigines confugiat pastor ad levamen orationis et ad colloquium familiarium spiritualium. Unde divus Gregorius in Pastorali (*p.* 2. *c.* 11) dicit: Quia valde inter humana verba cor nostrum defluit, et usus humanae conversationis indesinenter destruit vim sollicitudinis atque providae circumspectionis erga coelestem vitam, oportet, quod per meditationem sacrorum eloquiorum jugiter restauretur. Cumque indubitanter constet, quod externis occupationum tumultibus cor a semetipso impulsum corruat, studere incessabiliter debet, ut per orationis et meditationis studium resurgat. Nunquam etiam rector a sacrae lectionis studio recedat. Proverb. 5 dicitur: « *Bibe aquam de cisternâ tuâ,* » ac deinde: « *Fluenta deriventur in plateas* », quia (*ut ait Gregorius in Reg. Pastoral. p.* 3. *c.* 24), praedicator debet prius potare de sapientiâ suâ, deinde in alios diffundere (*Stimul. Pastor. p.* 2. *c.* 4).

Abbas paternum ostendat affectum erga monachos, omnibus omnia factus.

S. Basilius: Praepositus velut pater legitimorum filiorum curam suscipiens, quid fratri unicuique opus sit, attendet curamque ac medelam convenientem afferet, et quod membrum sive animo sive corpore reipsa infirmum fuerit, id cum caritate atque benevolentiâ patre dignâ sustentabit (*Constit. monast. c.* 28. *P. Gr.* 31, 1418).

S. Bernardus: Spiritualis pater nunc quidem conso-

Digitized by Google

latoria verba, nunc exhortatoria uberius ministret, prout singulis convenire videbit. Verbi causa, si quem forte ex his, quos genuit in Evangelio, deprehenderit forti aliquâ tentatione concussum, et inde turbatum ac tristem, pusillanimemque factum, non posse jam ferre vim tentationis ; quomodo condolet, quomodo mulcet, quomodo plangit, quomodo consolatur, quot argumenta pietatis mox reperit, quibus erigat desolatum ? Econtra, si promptum, si alacrem, si bene proficientem cognoverit, exultat, aggreditur salutaribus monitis, accendit amplius, instruit, de quibus potest, ut perseveret, utque in melius semper proficiat, exhortatur. Omnibus se conformat, omnium in se transfert affectus, matrem se denique probat non minus deficientium quam proficientium (*In. Cant. serm.* 10. *n.* 2. *P. L.* 183, 820). — Fuerunt pastores, qui se totos pascendis ovibus exponerent, nihil sibi reputantes indignum, nisi quod saluti ovium obviare putarent ; non quaerentes, quae sua sunt, sed impendentes. Impendere curam, impendere substantiam, impendere et seipsos. Unde Apostolus ait : « *Ego autem libentissime im-* « *pendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris* » (*II. Cor.* 12, 15). Unus erat quaestus, una pompa, unaque voluptas, si quo modo eos possent parare Domino plebem perfectam (*Luc.* 1, 17). Id omnibus modis satagebant, etiam in multâ contritione cordis et corporis, « *in labore et aerum-* « *nâ, in fame et siti, in frigore et nuditate* » (*II. Cor.* 11, 27). (*De Considerat. l.* 4. *c.* 2. *n.* 3. *P. L.* 182, 774). — Bona mater caritas (in pastore), cum arguit, mitis est ; cum blanditur, simplex est ; pie solet saevire, sine dolo mulcere, patienter novit irasci, humiliter indignari (*Ep.* 2. *n.* 1. *ibid.* 80).

S. Gregorius M. : Tales sese, qui praesunt, exhibeant, quibus subjecti occulta quoque sua prodere non erubescant; ut, cum tentationum fluctus parvuli tolerant, ad Pastoris mentem, quasi ad matris sinum recurrant (*Regul. pastor. p.* 2. *c.* 5. *P. L.* 77, 33). — Iste qui curam animarum suscepit, terribiliter admonetur, cum dicitur : « Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, illaqueatus es verbis oris tui » (*Prov.* 6, 6). Unde et

Digitized by Google

bene mox exhortatio subditur, ut dicatur : « Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera. Discurre, festina, suscita amicum tuum ; ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebrae tuae. » Somnum quippe oculis dare, est subditorum curam omnino negligere. Palpebrae vero dormitant, cum cogitationes nostrae ea quae in subdito arguenda cognoscunt, pigredine deprimente dissimulant, ac propter mentis taedium dignis increpationibus non emendant. Admonendi sunt igitur qui praesunt, ut per circumspectionis studium oculos pervigiles intus et in circuitu habeant (*Apocal.* 4, 8); quatenus et interno judice in semetipsis placere studeant, et ea etiam quae in aliis corrigenda sunt, deprehendant (*Regul. pastor. p.* 3. *c.* 4. *ibid.* 54).

Regula cujusdam : Quomodo seniorem oportet fieri ad fratres ? Tanquam si nutrix foveat parvulos suos, diligens et confortans singulos, et viam perfectionis eis aperiat, et ipse procedat in omni perfectione et sanctitate cordis et corporis ; et sine ullâ exceptione personarum omnes pariter et sincerâ dilectione tanquam natos proprios ex toto corde diligat. Si vero viderit aliquem illorum mandatum Domini praeterire, non irâ erga eum moveatur, sed commiseratione et compassione, secundum illum, qui dixit : « *Quis infirmatur « et ego non infirmor ? Quis scandalizatur et ego non uror ?* » (*II. Cor.* 11) Si vero negligens in his, quae ad usus corporis et animae pertinent, sine dubio subjicietur illi sententiae, quae dicit : « *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui praeparatus « est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis « Mihi manducare ; sitivi, et non dedistis Mihi bibere* » (*Matth.* 25), et ca, quae sequuntur : Et « *maledictus homo, qui « facit opus Dei negligenter* » (*Jer.* 48). (*C.* 24. *P. L.* 66, 992).

Hugo a S. Charo, Card.: Ad haec duo genera subditorum se debet conformare Praelatus, ut fortibus exemplum fortitudinis praebeat, et infirmis compatiatur (*Sup. Gen. c.* 2). — Praelati disciplina debet esse in filios delinquentes; alioquin frustra portat *baculum pastoralem*, in quo tria officia pastoris notantur: Attrahe per primum, medio rege, punge per imum (*Super Eccl. c.* 7).

Abbatis baculus pastoralis.

Digitized by Google

Abbas delinquentes corripiat paterni amoris zelo ductus.

S. Bernardus : Necessarium habet spiritualis medicus etiam vinum fervidi zeli cum oleo mansuetudinis, cui sane convenit non modo consolari pusillanimes, sed etiam corrigere inquietos ; si enim viderit illum, qui vulneratus est, id est, qui peccavit, blandis ac lenibus hortamentis, quae in eum praerogata sunt, minime emendatum, magis autem abutentem suâ mansuetudine, et patientiâ negligentiorem fieri, et in peccato suo etiam securius obdormire, frustrato tam suavium oleo monitorum, oportebit sane mordacioribus uti medicamentis, et vinum compunctionis infundere, duris videlicet cum eo increpationibus agere ; et si causa requirit, et duritia tanta est, etiam censurae ecclesiasticae baculo percellere contemptorem (*Serm.* 44. *in Cant. n.* 3. *P. L.* 183, 996).

S. Gregorius M. : Cum delinquentes subditos praepositi corrigunt, magna sollicitudine etiam districtio ipsa moderetur, quatenus sic jura disciplinae contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat. Curandum quippe est, ut rectorem subditis et matrem pietas et patrem exhibeat disciplina. Atque inter haec sollicitâ circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. Sed erga subditos suos inesse rectoribus debet et juste consolans misericordia et pie saeviens disciplina. Necesse quippe est ut quisquis sanandis vulneribus praeest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis,quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur sananda. Miscenda ergo est lenitas cum severitate ; faciendum quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multâ asperitate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate solvantur. Quod juxta Pauli vocem bene, illa tabernaculi arca significat, in quâ virga simul et manna est, quia in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sit et manna dulcedinis. Huc David ait : « *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt* » (*Ps.* 22, 4). Virgâ enim percutimur, baculo sustentamur (*Regul. pastor. p.* 2. *c.* 6. *P. L.* 77, 36. 38).

Abbas filios suos pascere debet doctrina sua.

Absalon, Abb. Sprinckirsbac. Dioec. Trevirens. Canon.

Digitized by Google

Regul. (✠ 1203) : Praelati debent pabulo reficere, id est doctrinâ sanâ et spirituali exhortatione confortare pusillanimes, qui minus ferventes in divinis obsequiis inveniuntur. Vis scire, qualis doctrina praelati esse debet ? Necesse est, ut cum usuali monetâ habeat aliquid commune. Moneta usualis tria habere debet, materiam, pondus et formam ; ut sit materia probata, pondus aequale, forma authentica. Similiter doctrina pastoris haec tria debet habere : ut sit probata, id est justa, ut non doceat nisi ea, quae bona et justa sunt ; ut sit etiam ponderosa, id est, ut ipse cum pondere doctrinam proponat, hoc est, ut studeat ea facere, quae verbis vult dogmatizare ; similiter... ut sit authentica, id est, auctoritati sanctorum Patrum in nullo contraria, sed ea doceat, quae auctoritas Sanctorum protulit, vel quae Christi veridica sententia promulgavit (*Serm.* 27. *P. L.* 211, 162).

Qualis esse debeat Abbatis doctrina.

S. Bonaventura : Tunc pastores praesunt secundum divinae voluntatis beneplacitum, quando pascunt gregem suum scientiâ, quantum ad verbum, doctrinâ, quantum ad exemplum, quia plus movent operum exempla, quam verborum (*Serm.* 1. *Dom.* 1. *p. Pascha ante med.*). — Pastor, qui diligit Deum, pascit verbo, pascit exemplo, pascit subsidio. Verbo consolationis, exemplo conversationis, subsidio subventionis (*Serm.* 3. *Dom.* 17. *p. Pent. circ. med.*).

Trithemius : Vos animarum pastores admonemus, ut, si omnipotentem Deum diligitis, Ejus oves vobis commissas ad vitae pascua dirigatis. Hujus sanctae sollicitudinis norma unicuique in sacro Evangelio pastori committitur, ubi Apostolorum principi totius Ecclesiae regimen trinâ interrogatione commendatur. Simplex amoris confessio in pastore animarum non sufficit, a quo Summus Pastor pastionem triplicem requirit. Si tertio, utrum diligis Dominum, interrogatus, verum amorem confessus fueris, etiam tertio curam ovium suscipere juberis. Ac sic tibi Dominus dicat : O Abba, si Me diligis, oves Meas triplici pabulo suscipe pascendas; pasce verbo, pasce exemplo, pasce alimento. Haec tria pastori claustralium omnino sunt necessaria,

Digitized by Google

quorum si unum defuerit, pastor inutilis erit (*Orat. 4. de curâ pastor.*).

Abbati prudentia est necessaria.

Bartholom. a Martyribus : Prudentia est abbatissa virtutum ; nulla earum aliquid bene agit, nisi eâ dirigente. Memento verborum Job : « *Causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam* » (*Job.* 29, 16). — Praecipitur nobis, quod in conversatione simus simplices, suaves, dulces, sicut columbae, prudentes tamen sicut serpentes, id est servantes caput, id est caritatem, hoc est nihil omnino illicitum facientes ob cujusquam auctoritatem, respectum, preces, amorem, timorem, vigilantissimis oculis perspiciendo, an in eo, quod petitur, latet aliquid veneni, ut constanter quidem, et tamen suaviter negetur. Item oportet oculis lynceis videre diaboli facundiam. Nihil est, quod non aliquas apparentes rationes habeat et quod non possit verbis honestari, praesertim hominum eloquentium (*Stim. pastor. p. 2. c. 11*).

Abbas discretione indiget.

S. Bernardus : Discretio non tam virtus est, quam quaedam moderatrix et auriga virtutum; ordinatrixque affectuum et morum doctrix. Tolle hanc et virtus vitium erit ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur exterminiumque naturae (*Serm. 49. in Cant. n. 5. P. L. 183, 1018*). — Virtus discretionis absque caritatis fervore jacet, et fervor vehemens absque discretionis temperamento praecipitat. Ideoque laudabilis, cui neutrum deest ; quatenus et fervor discretionem erigat, et discretio fervorem regat. Ergo taliter oportet esse moratum eum, qui praeest (*Serm. 23. in Cant. n. 8. P. L. 183, 888*). — Non suadeo tibi austeritatem, sed gravitatem, quia illa fugat infirmiores, haec vero reprimit leviores ; illa quidem si adsit, facit odibilem, haec si desit, facit contemptibilem : in omnibus tamen modus melior. Ego, nec severius velim, neque dissolutius. Quid hac mediocritate gratius, ut non de severitate sis oneri, neque de familiaritate contemptui? (*De consid. l. 4. c. 6. n. 22. P. L. 182, 787*).

Discretio rationem habet temporum.

Bernardus : Abb. Cassin. († 1282) : Abbas miscet temporibus tempora, cum propter furorem aut aliam alicujus

Digitized by Google

fratris passionem, aliud in tempus differt increpationem, quam ille iratus aut perturbatus ferre non posset, et tunc non modo non prodesse, sed etiam obesse plurimum posset (*In Reg. S. Bened. c.* 2. *P. L.* 66, 277).

S. Odo, Abb. Cluniac. : Sane, qui propterea non objurgat, quia vel aptius tempus exspectat, vel metuit, ne increpati deteriores fiant, et invalidos pejus noceant, hoc non est negligentia, vel cupiditatis occasio, sed consilium caritatis (*L.* 3. *collat. n.* 44. *P. L.* 133, 629).

Respicit modum emendationis.

S. Gregorius M. : Sciendum est quod aliquando subjectorum vitia prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulantur indicanda; aliquando et aperte cognita mature toleranda ; aliquando vero subtiliter et occulta perscrutanda ; aliquando leniter arguenda, aliquando autem vehementer increpanda. Nonnulla quippe, ut diximus, prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulantur indicanda ; ut cum delinquens et deprehendi se cognoscit et perpeti, has quas in se tacite tolerari considerat, augere culpas erubescat, seque se judice puniat, quem sibi apud se rectoris patientia clementer excusat. Qua scilicet dissimulatione bene Judaeum Dominus corripit, cum per prophetam dicit : « *Mentita es, et mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens et quasi non videns* » (*Isai* 57, 11). Et dissimulavit ergo culpas, et innotuit, quia et contra peccantem tacuit, et hoc ipsum tamen quia tacuerit dixit. — Nonnulla autem vel aperte cognita mature toleranda sunt, cum videlicet rerum minime opportunitas congruit, ut aperte corrigantur. Nam secta immature vulnera deterius infervescunt, et nisi cum tempore medicamenta conveniant, constat proculdubio, quod medendi officium amittant. Sed cum tempus subditis ad correptionem quaeritur, sub ipso culparum pondere patientia praesulis exercetur. Unde bene per Psalmistam dicitur : « *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* » (*Ps.* 128, 3)..; ac si aperte dicat: Quos corrigere nequeo, quasi superimpositum onus porto. — Nonnulla autem occulta subtiliter sunt perscrutanda, ut quibusdam signis erumpen-

Digitized by Google

tibus, rector in subditorum mente quod clausum latet, inveniat, et interveniente correptionis articulo ex minimis majora cognoscat.... Nonnulla autem sunt leniter arguenda : nam cum non malitiâ, sed solâ ignorantiâ vel infirmitate delinquitur, profecto necesse est ut magno moderamine ipsa delicti correptio temperetur. Cuncti quippe quousque in hac mortali carne subsistimus, corruptionis nostrae infirmitatibus subjacemus. Ex se ergo debet quisque colligere qualiter alienae hunc oporteat imbecillitati misereri, ne contra infirmitatem proximi si ad increpationis vocem ferventius rapitur, oblitus sui esse videatur. Unde bene Paulus admonet dicens : « *Si praeoccupatus fuerit homo in delicto, vos, qui spiritales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans teipsum, ne et tu tenteris* » (*Gal.* 6, 1)... ut in increpationis zelo se spiritus temperet, dum sibi quoque quod increpat timet. — Nonnulla autem sunt vehementer increpanda, ut cum culpa ab auctore non cognoscitur, quanti sit ponderis, ab increpantis ore sentiatur... Debitum quippe rectoris est supernae patriae gloriam per vocem praedicationis ostendere, quanta in hujus vitae itinere tentamina antiqui hostis lateant aperire, et subditorum mala, quae tolerari leniter non debent, cum magna zeli asperitate corrigere ; ne si minus contra culpas accenditur, culparum omnium reus ipse teneatur (*Regul. past. p.* 2, *c.* 10. *P. L.* 77, 44. *sq.*) — Aliter admonendi sunt juvenes, atque aliter senes, quia illos plerumque severitas admonitionis ad profectum dirigit ; istos vero ad meliora opera deprecatio blanda componit. Scriptum quippe est : « *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem* » (*I Tim.* 5. 1.) (*P.* 3. *c.* 1. *ibid.* 52). — Sapientes admonendi sunt, ut amittant scire quae sciunt ; hebetes quoque admonendi sunt, ut appetant scire quae nesciunt. In illis hoc primum destruendum est, quod se sapientes arbitrantur ; in istis aedificandum est quidquid de supernâ sapientiâ cognoscitur, quia dum minime superbiunt, quasi ad suscipiendum aedificium corda paraverunt.... Illos plerumque ratiocinationis argumenta, istos nonnunquam melius exempla convertunt.

Discreta correctio rationem habet aetatis et indolis.

Digitized by Google

Illis nimirum prodest, ut in suis allegationibus victi jaceant; istis vero aliquando sufficit ut laudabilia aliorum facta cognoscant (*P.* 3. *c.* 6, *ib.* 56, 57). — Protervos melius corrigimus, cum ea quae bene egisse se credunt, male acta monstramus ; ut unde adepta gloria creditur, inde utilis subsequatur confusio. — Subtiliter itaque ab arguente discutienda sunt opera protervorum, ut in quo sibi placent, ostendantur quia Deo displicent. — Pusillanimes, dum nimis infirmitatis suae sunt conscii, plerumque in desperationem cadunt.... vehementer despecta putant esse quae faciunt, et idcirco in desperatione franguntur. — Pusillanimes aptius ad iter bene agendi reducimus, si quaedam illorum bona ex latere requiramus, ut dum in eis alia reprehendendo corripimus, alia amplectendo laudemus, quatenus eorum teneritudinem laus audita nutriat, quam culpa increpata castigat. Plerumque autem utilius apud illos proficimus, si et eorum bene gesta memoramus. Et si quae ab eis inordinate gesta sunt, non jam tanquam perpetrata corripimus, sed quasi adhuc ne perpetrari debeant prohibemus, ut et illa quae approbamus, illatus favor augeat, et contra ea quae reprehendimus magis apud pusillanimes exhortatio verecunda convalescat (*C.* 8. *ibid.* 58). — (Duplices) admonendi sunt, ut quam gravis sit, quem cum culpa sustinent, duplicitatis labor, agnoscant. Dum enim deprehendi metuunt, semper improbas defensiones quaerunt, semper pavidis suspicionibus agitantur... Nam plerumque in culpâ deprehensi, dum quales sint, cognosci refugiunt, sese sub fallaciae velamine abscondunt, et hoc quod peccant, quodque jam aperte cernitur, excusare moliuntur ; ita ut saepe is qui eorum culpas corrigere studet, aspersae falsitatis nebulis seductus, pene amisisse se videat quod de eis jam certum tenebat. — Audiant quod Sapientis ore dicitur : « *Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum* » (*Sap.* 1, 5). — Malitiosae mentis duplicitas sese intra se colligens abscondit in tenebris defensionis. — Nihil est autem ad defendendum puritate tutius, nil ad dicendum veritate facilius : « *Qui ambulat simpliciter*

Digitized by Google

ambulat confidenter » (*Prov.* 10, 9). Fiducia quippe magnae securitatis est simplicitas actionis (*C.* 11, *ibid.* 64 *et* 65). — Iracundi saepe etiam se declinantes insequuntur, rixae occasionem commovent, labore contentionis gaudent ; quos tamen melius corrigimus, si in ipsa irae suae commotione declinamus. Perturbati quippe quid audiant ignorant, sed ad se reducti tanto libentius exhortationis verba recipiunt quanto se tranquillius toleratos erubescunt. Menti autem furore ebriae, omne rectum quod dicitur, perversum videtur... Cum vero ita iracundi alios impetunt, ut declinari omnino non possint, non aperta exprobratione, sed sub quâdam sunt cautelâ reverentiae parcendo feriendi. Qui furentes conantur reprimere... quidquid est tranquillitatis ostendant, quaedam vero subtiliter proferant, in quibus ex obliquo furentes animum pungant.... Aversâ hastâ persequentem ferire, est furentem tranquille ex quibusdam tangere, et quasi parcendo superare (*C.* 16, *ibid.* 76 *et* 77). — Plerumque elatos utilius corripimus, si eorum correptionibus quaedam laudum fomenta misceamus. Inferenda namque illis aut alia bona quae in ipsis sunt, aut dicendum certe quae poterant esse si non sunt ; et tunc demum resecanda sunt mala, quae displicent cum prius ad audiendum eorum placabilem mentem fecerint praemissa bona quae placent. Nam et equos indomitos blandâ prius manu tangimus, ut eos nobis plenius postmodum etiam per flagella subigamus (*C.* 17. *P. L.* 77, 79).

Julianus Pomerius, *(saec. V)* : Eos quos (pastores) probant increpationem posse pati, castigant, et impatientes objurgationis ut languidos palpant ; non eis adulando quod tales sunt, sed infirmitatibus talium compatiendo, si forte aliter sanari non possunt. — Caeterum (si puniuntur) qui curari adhibita increpatione non possunt, aut intolerabilis mole tristitiae supra modum gravati succumbunt, et Sanctorum omnium vultus, per quos possent restitui Deo, refugiunt ; aut certe ad omnem peccandi impudentiam, si fuerint exacerbati, prosiliunt. — Propter hoc, blanda pietate

Digitized by Google

portandi sunt qui increpari pro sua infirmitate non possunt. Et revera, si peccanti salubrem pudorem, dum pro eo erubescis, incutias ac verecundiam quam pro peccatis ejus assumis, in eum pia animi compassione transfundas ; facile in illo reprimis omnem peccandi licentiam..... Ecce quomodo peccantes omnes blande tractat aut increpat, qui nihil aliud nisi eorum salutem, quibus vult prodesse, considerat (*De vitâ contempl. l. 2. c. 5. P. L. 59, 449-450*).

Abbas filios suos dirigat in omni patientia.

Haeftenius : Portandi sunt subditi ; quod illo quoque adumbratum typo, quo Dominus olim praecepit, nomina duodecim filiorum Israël in superhumerali, quod Aaronis humeros tegebat, duobus lapidibus onychinis insculpi, eademque duodecim lapidibus inscripta in rationali sive *pectorali* reponi. Quid enim hoc aliud sibi vult, quam quod Superior commissas sibi animas et in pectore per caritatem et in humeris per continuum laborem debeat portare ? Quae quidem ita inter se connexa sunt, ut unum ex altero sequatur. Quantum enim amat subditum, tantum portat ; si desinat amare, desinit portare. Nimirum hoc onus est Abbatiale, ipsis etiam angelicis humeris formidandum (*Disq. mon. l. 3. tract. 5. disq. 4*).

S. Athanasius M., Ep. Alexandr. (✠ 373) : Debet qui pastor est, usque ad sanguinem pro grege Christi, non relinquendo, labores perferre (*Ep. 7. ad Imperator. in princ.*).

S. Laurent. Justin. : Nihil aliud est pastorale officium, quam pro ovibus sibi commissis animam ponere (*De regim. Praelat. c. 4*).

Bartholom. a Martyribus : Ferendae sunt multae infirmitates et difficiles mores multorum. Et ideo Praelati dicuntur dii, quia quaedam divina patientia, et magnanimitas, ac prudentia in ipsis fulgere debet (*Stim. Past. p. 2. c. 11*).

Abbatis munus est duplex martyrium.

Duplex martyrium occurrit in pastorali officio ; alterum quidem mere poenale, quod praecipue versatur sive in laboribus externis, sive in internis amaritudinibus, angustiis, exacerbationibus ; alterum vero oritur ex scrupulis et

Digitized by Google

perplexitatibus, quae circa agenda, vel non agenda occurrunt... in quibus casibus ad anchoram orationis confugiendum est. Ora igitur, dicens : Domine, tu omnia nosti, tu scis, quod nullâ ratione volo displicere tibi ; quin potius occidi magis, quam te offendere paratus sum ; « illumina » ergo « oculos meos, et doce me facere voluntatem tuam, quia « Deus meus es tu » (*Stim. Past. p. 2. c. 10*).

Patiens adamantis instar et ipse illaesus manet et aliis imaginem suam imprimit.

S. Petrus Dam. : Plane cum omnibus debeas florere virtutibus, qui ad virtutis exemplum es super alios constitutus, patientiae virtuti propensius studeas : omnigenae adversitatis obstacula per patientiam vince. Patientia te durum lapidem, imo insecabilem praebeat adamantem. Adamantis quippe sigillum formam ceteris lapidibus imprimit ; sed vicissim in se nullius soliditatis imaginem prorsus admittit. Mens quoque tua si, irruentibus adversis, nullâ se perturbatione nutaverit, velut alieni in se lapidis imaginem non accipit, imo suum aliis characterem imprimit, dum quidquid adversitatis acciderit, in salutem sibi suavitate mentis et animi tranquillitate convertit (*Opusc. 15. c. 31. P. L. 145, 363*).

Abbas patientiam amplectatur usque in finem.

S. Bernardus : Tene quod tenes ; mane in quo es, et stude prodesse, quibus praees ; nec praeesse refuge, dum prodesse potes, quia vae quidem tibi, si praees et non prodes ; sed vae gravius, si quia praeesse metuis, prodesse refugis (*Ep. 86. n. 2. P. L. 182, 210*). — Viderint, si liceat Christiano, injunctam sibi dimittere obedientiam ante mortem, cum Christus factus sit obediens Patri usque ad mortem (*Ep. 87. n. 2. ibid. 212*).

Patientia auget meritum.

Julianus Pomerius (*saec. V*) : Quidquid illi, qui se perfectionis amore sub uno constituunt,... omnibus occupationibus absoluti proficiunt, fructus illius, qui unus pro multis occupatus est, fit ; atque... ille, qui sollicitudines omnium sub se viventium portat, in congregatione sua proficiente proficit : ut, sicut illius occupatio omnium suorum facta est fructuosa vacatio, ita omnium discipulorum perfectio

Digitized by Google

gloriosa magistri honor habeatur et gloria (*De vitâ contempl. l. 2. c. 16. n. 4. P. L. 59, 461*).

S. Anselmus, mon. et Archiep. Cantuar. et Doct. Eccl. († 1109): Interim hilariter, quod agis, age, quod operaris, operare; « *hilarem enim datorem diligit Deus* (*2. Cor. 9*). » Quod vero per hoc, quod agis, conquereris a legendi vel orandi te praepediri instantiâ, sit tibi hoc non modica consolatio, « *quia caritas operit multitudinem peccatorum* (*1 Petr. 4, 8*). » In quo enim tu retraheris, alius attrahitur; in quo tu curvaris, alius erigitur; in quo tu gravaris, alius portatur. Memento quia servus, qui vacuus domum redit, velocius currit; sed onerato domus tota laetior occurrit. Nec quia tardius venit, a quoquam corripitur; sed quia utiliter est fatigatus, quiescere praecipitur (*L. 1. ep. 11. P. L. 158, 1076*).

Et majus confert praemium.

S. Bonaventura: Praelatus gerit vicem capitis in corpore fraternitatis; ut, cum alia membra debita sunt actionibus sibi competentibus, ita caput omnibus praesidendo provideat (*De sex alis Seraph. c. 7*).

Abbas est caput coenobiticae familiae.

Petrus Venerab.: Potest Abbas onera sua aliis imponere et quod per se, multis et diversis implicatus negotiis, facere non valet, per vicarios implere... Novimus certe, Episcopos sine Presbyteris et coadjutoribus esse posse, si soli ad cuncta dioecesis suae utilia potuissent sufficere. Sic et Abbatem Cellerarium et Infirmarium et Eleemosynarium, Custodem hospitum et pro ceteris officiorum ministris solum esse oporteret, si sufficere ad omnia tenenda valeret. Sed quia unum ad diversa dispartiri negotia aut impossibile aut multum difficile est, plures expedit facere, quod unus non valet implere. Hinc Jethro culpans Moysen de talibus ait: « *Elige tibi viros, quos nosti ad hoc utiles esse, et esto tu populo in his, quae ad Deum sunt, illisque leviora permittens, graviora, quae per alios diffiniri non poterunt, tu diffini* (*Exod. 18*). » (*L. 1. ep. 28. n. 10. P. L. 189, 132*).

Abbas coadjutores sibi eligit.

Haeftenius: Quemadmodum in copioso exercitu

Digitized by Google

plures sub uno duce sunt praefecti, qui milites in officio contineant, ita in religiosis ordinibus, qui spiritualem quandam militiam constituunt, plures decet esse subordinatos Superiores, qui Abbati in regendis monachis subsidiariam operam praestent (*Disq. mon. l.* 3. *tr.* 6. *disq.* 4).

Primarius Abbatis vicarius et coadjutor est Praepositus vel Prior coenobii.

S. Basilius : Quoniam saepenumero accidit, aut per corporis infirmitatem, aut necessariam peregrinationem, vel alio quodam casu, ut a fratribus absit hegumenus : sit alter quispiam, qui per illius et aliorum judicio valentium probationem ad hoc electus sit, ut, absente illo, curam fratrum in se recipiat, ut et praesentibus fratribus ab uno aliquo administretur adhortationis sermo, et non in absentiâ hegumeni democraticum quendam statum arripiant fratres ad destructionem regulae et traditi ordinis (*Reg. fus. c.* 45. *n.* 1. *P. Gr.* 31. 1031).

Prior fratribus paternam impendat curam, Abbati filialem amorem et reverentiam et obedientiam.

Vigilius, diac. et monach. (*c.* 420) : Ille, qui secundum ordinem disciplinae ordinatione Abbatis fratribus praepositus est, omnem ad se curam de disciplinâ fratrum et diligentiam monasterii revocabit, habens potestatem, Abbate absente, faciendi omnia, quae Abbas praesens facit. Ille autem patientiam, mansuetudinem, humilitatem, caritatem, aequitatem, sine personarum acceptione servabit; ita agens, ut nec Abbati taedium generet, nec fratres intemperantiâ illius laborent. Haec observabit senior monasterii, qui fratribus praepositus est, referens ad Abbatem omnia, vel praecipue illa quae per se non voluerit explicare (*Regul. orient. n.* 3. *P. L.* 50, 375).

Regula Tarnatensis : Ad Praepositum praecipue pertinebit, ut ad Abbatem, cujus est major auctoritas, referat, quod modum et vires ejus excedit,... corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes, disciplinam libens habeat, metum imponat ; et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus amari appetat, quam timeri (*C.* 23 *P. L.* 66, 986).

S. Petrus Dam. : Prior monasterii hoc modo sui prioratûs officium naviter administrat, si ab Abbatis sui

Digitized by Google

voluntate non discrepat, si omnium fratrum animos, quantum in se est, in ejusdem Abbatis sincerâ dilectione confirmat. Sicut enim Abbas per omne, quod agit, ad amorem Christi debet filios provocare, ita etiam Prior, ne qua, quod absit, zelotypia generetur, in *dilectione Abbatis* sui *fratres studeat* unanimiter *confovere*. Non itaque se circa delinquentium culpas exhibeat mitem, ut Abbatem faciat apparere crudelem; sed sic illo absente prava quaeque redarguat, ut is postmodum rediens velut in tranquilli portûs sinu, sic in spiritualium fratrum jucundantium laetitiâ requiescat. Teneat igitur rigidam in excedentium correptione censuram, nec patiatur apud se consuetam regularis propositi tepescere disciplinam. Ille sit ad justitiam rigidus, ut Abbas videri valeat in mansuetudine pius; ille instet exigere, ut sit, quod Abbas paternâ possit pietate donare. Moyses quippe, ut fidelis famulus, nudae justitiae praecepta tradidit, Christus autem, ut vere pius Dominus, austerae legis duritiam temperavit. Aaron vero, qui praevaricanti populo se quasi tractabilem praebuit, cum eo simul ad sacrilegos ritus idola fabricavit. Sicut appendebatur velum ante arcam foederis, sic Prior ad exteriora quaeque negotia quasi quoddam sit tegmen Abbatis. Ille siquidem pulveribus de saeculi viâ surgentibus semper expositus obviet; iste velut arca Domini in sui fulgoris munditiâ jugiter perseveret. Ille tanquam Aaron, os Abbatis factus, loquatur ad populum, iste sicut Moyses in his, quae ad Deum pertinent, divinis alloquiis perfruatur. Uterque igitur in unitate spiritûs alterutrum concurrentes, talem, si possibile est, Deo sobolem nutriant, cui in jus coelestis haereditatis ascriptae posteritas nulla succedat (*Opusc.* 13. *c.* 16. *P. L.* 145, 314).

Prior fratres in dilectione Abbatis confovere studeat.

Haeftenius: Prioris officium est, ut in omnibus Abbati praestet auxilium; in advigilando ei sit oculus, in discurrendo pes, in exsequendo manus, in anxietate refrigerium, in pusillanimitate sustentaculum, in adversis solatium (*Disq. mon. l.* 3. *tr.* 6. *disq.* 3).

Prior Abbati in omnibus praestet auxilium.

Digitized by Google

Abbas novitiis constituat Magistrum vere paterno amore imbutum.

S. Bernardus : Quoniam arcta et ardua est via, quae ducit ad vitam, tanquam parvulis in Christo paedagogus vobis, o filioli, ac nutritius necessarius est, qui doceat, deducat, foveat vos et tanquam alludat parvulis ac blandimentis quibusdam consoletur, ne pereat aetas infirma (*Serm.* 8. *de divers. n.* 7. *P. L.* 183, 564).

Qualis esse debeat Magister novitiorum.

Trithemius : Talis sit rector novitiorum, qui zelum animarum habeat, qui vulneribus tentationum sanandis existat, qui vinum increpationis prudenter et opportune sciat infundere, qui oleum consolationis tempore congruo noverit adhibere. Sit conversatione maturus, consilio cautus, eloquio succinctus, moribus bonis sit stabilis, interno exercitio firmus, ad conversationem novitiorum debitâ circumspectione curiosus. Novitios ipsos, sicut animam suam, in sanctâ sollicitudine custodiat; nihil quod ad bonum institutionem eorum pertinet, omittat, bona quae docet, opere imitabilia ostendat. Dum animi sunt dociles, mores ad Regulam dirigat, et quales monachos habere futuros desiderat, tales in principio novitios componat. Novitius enim, qui in exordio conversionis suae negligitur, nunquam ad observantiam disciplinae deinceps revertetur, et laxitatem illam, in quâ semel convaluit, quamdiu vixerit, non emendabit. Quisquis vero in novitiatu praeceptis Regulae et seniorum contrarius vel inobediens fuerit, quod bonus monachus futurus non sit, jam manifeste ostendit ; qui ne suâ improbitate observantiam destruat, quantocius de coenobio expellatur. Nunquam enim ex malo novitio bonum monachum habiturus es. Maximam itaque cladem Religioni affert negligens institutio novitiorum, quae nullo unquam tempore satis poterit praecaveri (*Oratio* 5. *in Convent. Abbat. habita de duodecim excidiis observant. regular.*).

Magistri officium est gravissimum.

Cellerarius Abbati exhibeat obedientiam et fratribus paternam curam.

S. Basilius : Erga eum, a quo (Cellerarius) praefectus est, memor sit Domini ipsius, qui dixit : « *Non possum ego a « me ipso facere quidquam* (*Joan.* 5, 30); » erga eos vero, quorum curam suscipit, respiciat uniuscujusque necessitatem. Nam scriptum est : « *Dividebatur singulis prout cuique opus*

Digitized by Google

« erat (*Act.* 4, 35). » Eadem autem ratio ab omnibus teneatur, quibus dantur hujusmodi negotia (*Reg. brev.* 148. *P. Gr.* 31, 1179).

Omnes coenobii officiales Abbati sint omni obedientia subjecti et circa fratrum necessitates maxime solliciti.

S. Augustinus : Opus suum tradunt eis, quos decanos vocant, eo quod sint denis praepositi, ut neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est, vel quotidianae necessitati, vel mutatae, ut assolet, valetudini. Illi autem decani cum magnâ sollicitudine omnia disponentes et praesto facientes, quidquid illa vita propter imbecillitatem corporis postulat, rationem tamen etiam ipsi reddunt uni, quem Patrem appellant. Hi vero Patres non solum sanctissimi moribus, sed etiam divinâ doctrinâ excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nullâ superbiâ consulunt iis, quos filios vocant, magnâ suâ in jubendo auctoritate, magnâ illorum in obtemperando voluntate (*De mor. Eccl. l.* 1. *c.* 31. *n.* 67. *P. L.* 32, 1338). — Nonne cum Moyse Deus loquebatur, et tamen consilium regendi atque administrandi tam magni populi a socero suo, alienigenâ scilicet homine, et maxime providus, et minime superbus accepit ? Noverat enim ille vir ex quacumque animâ verum consilium processisset, non ei, sed Illi, qui est Veritas, incommutabili Deo tribuendum esse (*L. de doctr. christian. praef. n.* 7. *P. L.* 34, 18).

Abbas fratrum adhibeat consilium, ut Dei voluntatem cognoscat.

S. Basilius: Dei negotium secundum Deum concredendum est iis, qui se jam ostenderint credito munere fungi posse, modo Domino grato. Et in summa necessarium fuerit, praefectum in omni negotio S. Scripturae meminisse, quae sic habet : « *Fac omnia cum consilio* » (*Reg. brev.* 104, *P. Gr.* 31, 1154).

Consilium Seniorum.

S. Bernardus : Quid ? quod Abbas statuerit cum consilio seniorum, stare non debet, si non omnes consenseritis ? Itane in Regulâ vestrâ manifestam super hoc sententiam aut non attenditis aut contemnitis ? Mandat siquidem SS. P. N. Benedictus (*Reg. S. Bened. c.* 3), ut fratres ad consilium vocati, singuli sic respondeant quod senserint, quatenus defendere non praesumant quod responderint, sed Abbas, auditis singulorum sententiis, quam potissimum ipse

Abbas ad deliberandum, non ad decidendum fratrum adhibet consilium.

Digitized by Google

elegerit, ei omnes sine contradictione acquiescant (*Ep.* 397. *n.* 4. *P. L.* 182, 608).

Coenobitica familia crescit in Congregationem.

Mabillonius, (✝ 1707): Cum vir Dei Benedictus per diuturna silentia, carnis tentationibus subactis, ignis divini fervorem ex meditatione et lectione atque ex orationum assiduitate concepisset, non potuit haec flamma unius Sublacensis specus angustiis contineri, sed sese ad novos homines formandos et ad omnem monasticae disciplinae normam componendos, Spiritu S. impellente comparavit. Rem sic narrat *S. Gregorius M.:* Cum sanctus vir diu in eadem solitudine virtutibus signisque magis magisque inclaresceret,multis ad eum in dies confluentibus duodecim monasteria instituit, quasi totidem pietatis gymnasia, in quibus sub praefectis singulis duodenos monachos deputavit. Itaque singulis monasteriis Abbates singulos sub S. Benedicto, quasi generali magistro, praefuisse ex sancto Gregorio colligimus, qui vagum illum monachum ab Abbate suo saepius admonitum fuisse commemorat, quem Pator sanctus, pro suâ dignitate eo invitatus, virgâ percussum revocavit ad sanam mentem. Duodenos monachos in singulis coenobiis instituit, nec plures, ut parva et exigua sunt rerum omnium principia, nec pauciores, quod infra hunc numerum monastica disciplina servari incolumis, et coalescere vix posset, crescente et adultâ religione subinde augendum. Hunc numerum,tanquam a sancto legislatore nostro consecratum imitati sunt, qui novas lapsu temporum colonias aut reformationes excitarunt ; ut prae ceteris exempla probant Cisterciensium monachorum (*Annal. O. S. B. l.* 2. *c.* 1).

Coenobiorum disciplina tuenda ac reformanda est regulari visitatione.

Trithemius: Vis reformationis maxima penes industriam visitatorum posita est. Idcirco dicitur in constitutionibus patrum, ut ad visitationis officium viri deputentur idonei, qui verbo et exemplo ad honestatem conversationis visitandos efficaciter possint instruere... Summa regularis disciplinae apud visitatores est, quae continuata crescit, neglecta deficit. Nempe si visitatores officium suum diligenter

Digitized by Google

impleverint, coenobia reformata in observantiâ regulari conservabunt, et deformata ad meliorem statum facile reducent (*De statu mon. ord. c.* 10). — Oportet visitatorem doctum esse in lege divinâ, ut noverit inter bonum et malum prudenter discernere, et singulis quibusque morbis congruentem medicinam adhibere. Sit in sanctâ conversatione praecipuus ; sit zelo rectitudinis omni tempore inflammatus ; sit consilio cautus, sit eloquio maturus, sit judicio discretus. Sit mansuetus, non crudelis ; misericors, non severus, bonis per humilitatem se socium exhibeat ; protervis et inobedientibus zelum rectitudinis ostendat. Reformationem a se primum et suis incipiat, et sic demum ad reformandum alios procedat (*Oratio* 5. *de duodecim excid. observant. regul. n.* 10). — Maxima vis stabilitatis nostrae in capitulo provinciali ponitur, si rite celebretur. Nam unicum ordinis fortalitium est ; sine quo tota confunderetur religio nostra.... Capitulum enim est conservatio ordinis, incrementum disciplinae regularis, adunatio unitatis. In eo namque moribus datur integritas, mentibus augetur puritas, vitae regularis instauratur aequalitas. — Causa ergo provincialis capituli conservatio est regularis instituti. Videntes enim Romani Pontifices et generalium conciliorum praesidentes ordinem nostrum sine remedio speciali in observantiâ non diu posse subsistere, per capitulum provinciale statuerunt illi succurrere... In capitulo enim Abbatum sunt emendanda vitia, virtutum facienda hortamenta, ut mali inveniant unde timeant ; boni audiant, unde meliores fiant... Ibi Abbas de regimine suo instruitur ; ibi de periculo curae pastoralis avisatur ; ibi quid faciat praecipitur ; quid vitet, amore Dei, prohibetur. Denique, sic nobis convenientibus ad capitulum, multa proveniunt utilia, quae, si animarum salutem quaeramus, valde sunt necessaria. Nam, ut cetera praeteream, mutua in caritate notitia ibidem concipitur, quae quantum ad amorem regularis observantiae conducat, experientiâ demonstratur. Ibi ex notitiâ caritas fraterna et conservatur et augetur, quae alioquin cito tepesceret, si fomentum agnitionis mutuae

Qualis esse debeat Visitator.

Capitulum generale monasteriorum conservat disciplinam et Congregationis confirmat unitatem.

Digitized by Google

non haberet. Hic ad uniformitatem facilis patet accessus, ubi moribus honestis ex collatione Patrum mutuâ paratur incendium ; ex convictu sanctitatis praebetur exemplum. Haec sunt castra Dei, o patres, Ordinisque nostri propugnacula, quibus omnia adversariorum nostrorum ad nihilum redigantur ingenia (*De statu monast. ord. c.* 8). — Duo sunt quae magnâ spe reformationis perseverantiam pollicentur, videlicet annale capitulum et officium visitationis. Unum istorum si tollatur, cito reformatio peribit. Quia quod duo oculi faciunt in capite, hoc sunt haec duo in nostrâ reformatione. Si oculos de capite videntis eruas, hominem caecum reddis atque deformem. Capitulum et visitationem si deponas, reformationem ad nihilum redegisti. Igitur, o patres, veterum instituta servate, haec duo nolite deponere, si reformationem sanctam inviolabilem cupitis perdurare (*Or. 2. in Conv. Abb.*).

Guigo, Carthus. maj. Prior († 1188) : De adventu venerabilium Patrum ad annuum Capitulum magnus Ordinis universitati provenit fructus. Et ut non diffiteamur, quod verum est, conveniunt non sine magno labore, cum ingenti devotione, sed hilaritate, sed alacritate, sed humilitate, sed simplicitate, sed benignitate, sed pietate, sed caritate. Et haec quidem adventus illorum est causa. Primum quidem ut ostendant debere se promptam et humilem antiquae Ordinis institutioni obedientiam exhibere. Secundo vero, ut sese in omni jucunditate spirituali, etiam corporaliter videant, mutuamque in invicem dulcissimae in Domino fraternitatis caritatem magis ac magis adaugeant. Tertio quoque ut Ordinem quem sunt professi, pro nosse ac posse suo, cum zelo secundum scientiam, discretione praeviâ, ex communi consilio et assensu reparent, et in statu bono solident ac confirment. Et tam in destruendo noxia, quam in construendo utilia, intentos se in omni secundum Deum et sollicitudine fervidâ, et fervore sollicito exhibeant, sicque illum in hoc gemino salutis opere studiose imitentur, quem ad hoc constituit Dominus super gentes et regna, ut evelleret, et

Digitized by Google

destrueret, et disperderet, et dissiparet, et aedificaret, et plantaret. Et est funiculus triplex, quo ligati in Christo Patres et Domini nostri conveniunt ; fortitudo humilitatis profundae, dulcedo caritatis fraternae, sollicitudo curae sibi commissae. Qui nimirum difficile rumpitur, imo penitus impossibile est, ut in sanctis dumtaxat viris rumpatur, roborante eum Domino, ac in suâ magis ac magis integritate conservante. Liquet aperte hujus apud illum funiculi integritatem in nullo posse dissolvi, apud quem imo intra quem fraternae constat caritatis perfectionem non minui. Nonne pastoribus vigilantibus, et custodientibus vigilias noctis supra gregem suum, Angelus stat juxta illos, et claritas Dei circumfulget illos ? Patet, quia non timent sibi ab aliquâ laesione, qui juxta se habent Angelum stantem ; non ab aliquâ obscuritate, qui claritatem nihilominus Dei habent se circumfulgentem. Et unde eis haec duo eximia bona ? Inde utique quod vigilabant, et vigilias noctis supra gregem suum custodiebant (*Lib. de exercit. cellae c.* 1. *P. L.* 153, 804).

Laus sacrae monachorum unionis.

Trithemius : Tuas laudes o *sacra monachorum unio* canam. Tu Deum famulatu continuo laudas, tu spiritualia praefers caducis. Tu ad sinceritatem Regulae juxta vires humanas ambulas, tu vanas mundi pompas devota contemnis, justitiam diligis, amplecteris unitatem. Et, quia Domino in simplicitate cordis tui famularis, idcirco benedixit tibi de rore coeli, et de pinguedine terrae, ut quanto in observantiâ regulari majori serves desiderio, tanto in necessariis corporis abundantius ab eo cumuleris. Oro, patres, intueamur Ordinis nostri pristinum decorem, quanti in eo Sancti, quanti claruerint eruditi, qui nobis laborarunt et sibi, dum insignes fuerunt. Studeamus eos imitari pro posse, quos colimus ; si ad gloriam quam sunt adepti, venire desideramus..... Intueamur veteres qui in hoc sacratissimo Ordine Domino in sinceritate servierunt, et ex profectu talium nos quoque sumamus proficiendi exemplum. Contempserunt mundum, coelestia inquirebant, et Dominus, quem amabant, pro eis

Exhortatio ad Patrum imitandam sanctitatem.

Digitized by Google

erat sollicitus, providens in omnibus copiose, quae illis necessaria fuerant, quemadmodum in Evangelio ante promiserat : « *Primum quaerite regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis.* »

S. Bertharius, *Casini montis Abbas et Martyr.* — Gaude jam virgo Dei tantis sublimata triumphis, exulta Benedicte, Pater sanctissime patrum, doctor dulcissime doctorum: quia consummatis operibus sanctis, pariter congaudetis super regna coelorum. Intercedite pro vobis commissis, postulate pro nobis afflictis, rogate pro nostris delictis, poscite Christum, ut omnis aetas, omnis sexus, omnis ordo, qui vestris praeceptis colla submittunt, peritura mundi despiciant, gaudia aeterna concupiscant, regna beata appetant, prospera animarum et corporum percipiant. Nulla diabolica fraude molestentur, nullis incursionibus malignorum affligantur, nullisque calamitatibus annihilentur.

Euge Pater beate, fave precantibus, appone aures precibus famulorum tuorum, da veniam poscentibus, da dona quaerentibus, parce peccantibus : quia tu pastor es, nos vero oves, audi tu balatus ovium tuarum, trahe nos post te ut veniamus ad te, ut illic vera pascua inveniamus ubi sunt vera gaudia sempiterna. Redde Deo talenta cumulata de nobis, reporta cum usurio credita dona doctrinarum; ut cum omni grege commisso vitae praemia assequamur, ut tibi dicatur a Deo : Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra cum his omnibus tibi creditis in gaudium Domini tui, praestante ipso qui digna promittere gaudia dignatus est suis famulis, qui vivit et regnat per cuncta saecula saeculorum. Amen. (*Vita S. Scholast. n.* 18. *P. L.* 126, 987).

S. Anselmus Cantuariensis: — Sancte et beate Benedicte, quem tam opulenta benedictione virtutum superna gratia ditavit, ut non solum te ad desideratam gloriam, ad beatam requiem, ad coelestem sedem sublimaret; sed et alios innumerabiles ad eamdem beatitudinem tua

Digitized by Google

vita admirabilis attraheret, dulcis admonitio incitaret, suavis doctrina instrueret, miracula provocarent: ad te, inquam, Benedicte Dei, quem benedictione tam larga benedixit Deus, ad te confugiens angustiosa anima mea tibi se prosternit quam humili mente potest: tibi fundit preces quanto affectu potest. Tuum auxilium implorat quanto desiderio potest; nimis enim est immanis et intolerabilis ejus necessitas. Vitam namque sanctae conversationis, quam promisi, nomine et habitu monachi profiteor; sed ab hac vita longe exulando, mentiri Deo et Angelis et hominibus ipsa mea conscientia convincor. Adesto, pie Pater, adesto supplicanti. Rogo ne abhorreas tam mendosum et tam mendacem; sed attende confitentem, et plus quam mereor, miserere dolentem.

Utique, o praeclare dux inter magnos duces exercituum Christi, tuo me addixi ducatui, quamvis imbecillem militem. Tuo me subdidi magisterio, licet ignavum discipulum. Secundum tuam Regulam devovi me vivere, quamquam carnalem monachum. Perversum namque cor meum ad plorandum perpetrata peccata lapideum est et aridum; ad resistendum vero instantibus est molle et luteum. Depravata mens mea, ad inutilia et noxia perpetranda velox est et infatigabilis; ad vel cogitanda salubria, fastidiosa et immobilis. Obcaecata et distorta anima mea ad praecipitandum et volutandum se in vitiis facilis est et prompta; ad saltem reminiscendum virtutes, difficilis et pigra. Longum est nimis, charissime Pater, commemorare singula. Nimis, inquam, longum est enumerare gastrimargiam, somnolentiam, levitatem, impatientiam, cenodoxiam, detractionem, inobedientiam, et caetera vitia, quibus facta est infelix anima mea quotidianum ludibrium, quae modo sibi vicissim trahunt et distrahunt ad illudendum hunc aerumnosum, et quasi pannosum homunculum; modo eidem cum turba insultant conculcando, et conculcant insultando. Ecce, beate Benedicte, quam strenue pugnat hic miles Christi sub tuo ducatu: ecce quam efficaciter proficit hic

Digitized by Google

tuus discipulus in tua schola : ecce bonum monachum, qui sic mortificatis vitiis et voluptatibus carnis, sic fervet et vivit solis virtutibus : imo cui sic turba dominatur vitiorum, premit moles peccatorum. Proh pudor ! O impudens monache, qua fronte audes dici miles Christi, discipulus sancti Benedicti ; false professor, qua impudentia potes pati videri in te tonsuram et vestem professionis, cujus non habes vitam ? Heu dolor ! O angustiae, quae mihi sunt undique ! Si enim summum Regem meum, et bonum Magistrum meum, et professionem factam nego, mors mihi est : si autem eorum militem, et discipulum, et monachum me profiteor, cum vita me arguit mendacii, judicium mihi est. Anxiare in me, spiritus meus : turbare in me, cor meum. Erumpe et clama, anima mea : Jesu, bone Domine, vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea. Adjutor meus esto, Domine, ne derelinquas me, neque despicias me ; sed doce me et adjuva me facere voluntatem tuam, ut vita mea testetur quod cor et os libenter confitentur.

Intende voci orationis meae, Rex meus et Deus meus, per merita et intercessionem pii Benedicti, dilecti tui, dulcis magistri mei. O tu mi bone dux, o suavis magister, o dulcis pater Benedicte, oro et obsecro per misericordiam quam erga alios habuisti, et per illam quam erga te Deus habuit, compatere miseriae meae, qui congratulor felicitati tuae. Succurre te patronum clamanti ; exonera mole peccatorum obrutum, solve delictorum funibus ligatum, expedi criminibus irretitum, erige jacentem, sustine nutantem, instrue spiritualibus armis, id est virtutibus inermem, doce et protege pugnantem, expugna impugnantes ; erige mihi victoriam, et perduc me ad coronam. Age advocate monachorum, per caritatem qua sollicitus fuisti quomodo vivere deberemus, esto sollicitus, ut sufficienter velimus, et efficaciter possimus vivere quemadmodum debemus ; ut et tu de nostro discipulatu, et nos de tuo magisterio gloriemur coram Deo, qui vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen. (*Or.* 72. *P. L.* 158, 1006).

Digitized by Google

Vetus et valde devota oratio ad S. Patriarcham. — O alme pater Benedicte, monachorum dux et monarcha, spes et solatium omnium ad te toto corde clamantium, tuae sanctissimae protectioni humiliter me commendo: ut, propter excellentiam meritorum tuorum, ab omnibus quae contraria sunt animae meae, defendere me digneris, atque de pietatis tuae abundantiâ compunctionis et lacrymarum gratiam mihi impetres, ut digne copioseque valeam tanta mala et offensas plangere, quibus a juventute mea amabilem et desiderabilem Dominum Jesum Christum provocavi frequentius: teque digne laudare, et venerari merear.

O oliva! O vitis nimium in domo Dei fructifera! O vas auri solidum, omni ornatum lapide pretioso, secundum cor Dei electum et dulcissimum, innumerisque gratiarum charismatibus, tanquam gemmis coruscantibus decoratum! Te oro, te rogo, tibi toto cordis affectu ac omnibus animae desideriis, benignissime Pater, dulcisque Magister, supplico: ut mei miseri peccatoris memor esse digneris apud Deum, ut peccatis meis omnibus benignus indulgeat, meque in bono conservet, nec a se unquam discedere aliqua necessitate permittat; sed ad beatorum consortium, visionemque ejus delectabilem post te, Pater, admittat: ubi tecum, coetuque cum illo monachorum maximo sub tuo vexillo posito gaudere perpetuo possim: ipso Deo ac Domino nostro JESU CHRISTO praestante: qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Quaesumus, omnipotens Deus, ut beatissimi Patris nostri Benedicti, discipulorumque ejus Placidi et Mauri, virginisque ac sororis ejus Scholasticae, sanctorumque omnium Monachorum, qui sub ejus signis, atque eo duce tibi militaverunt, meritis et exemplis, renoves in nobis Spiritum tuum: quo aspirante, contra carnem, mundum et diabolum viriliter decertemus; et quia sine labore certaminis non est palma victoriae, da nobis in adversis patientiam, in tentatione constantiam, in periculis consilium. Da nobis castimoniae

Digitized by Google

puritatem, paupertatis desiderium, obedientiae fructum, et observantiae fidele propositum ; quatenus tua consolatione roborati, ac fraterna devincti caritate, serviamus humero uno : sicque transeamus per haec temporalia, ut ad aeternam patriam quandoque victores et coronati, sanctorumque Monachorum coetibus inserendi, pervenire mereamur. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

U. J. D. G. D.

Digitized by Google

Tabula Documentorum ecclesiasticorum.

I. Summi Pontifices Romani quorum Constitutiones laudantur.

S. Siricius († 398) 484, 511.
S. Innocentius I. († 417) 125.
S. Bonifacius IV. († 614) 512.
Honorius I. († 638) 757.
S. Theodorus († 649) 750.
Eugenius II. († 826) 53, 484, 512.
Benedictus III. († 858) 259, 768.
Alexander II. († 1073) 52.
S. Gregorius VII. († 1085) 138, 376, 768.
B. Urbanus II. († 1099) 59, 139.
Paschalis II. († 1118) 140.
Gelasius II. († 1119) 540.
Innocentius II. (1143) 515.
B. Eugenius III. († 1153) 53.
Innocentius III. († 1216) 57, 140, 260, 261, 752, 759, 760, 776.
Honorius III. († 1227) 54.
Gregorius IX. († 1241) 263, 723, 777.
Bonifacius VIII. († 1303) 271.
Clemens V. († 1314) 485, 512, 520.
Joannes XXII, († 1334) 133, 525.
Benedictus XII. († 1342) 127, 260, 264, 376, 380, 519, 650, 760, 777.
S. Pius V. († 1572) 54, 265.
Clemens VIII. († 1605) 54, 265, 271, 272, 485, 512, 514, 515, 518, 520, 743, 751, 756.
Paul. V. († 1621) 523.
Urban. VIII. († 1644) 10, 515.
Clemens X. († 1676) 515.
Clemens XII. († 1740) 266, 382, 525, 753 sq.
Benedictus XIV. († 1758) 134.
Clemens XIII. († 1769) 770.
Clemens XIV. († 1774) 12, 53, 58, 129, 137, 260, 266, 366.
Pius VI. († 1799) 266, 379, 762, 763, 775.
Leo XII. († 1829) 649, 747.
Gregorius XVI. († 1846) 520.
Pius IX. († 1878) 13, 134, 138, 649, 653.

Ex Decretis S. Congr. Episcopor. et Regular. 515.

II. Concilia quorum canones in testimonium adducuntur.

Nicaenum I. (oecumenicum a. 325) 52, 271.
Augustodunense (Autun a. 670) 10.
Francofurtense (a. 794) 54.
Aquisgranense (Aachen a. 816) 132, 270, 271, 380, 512.
Duziacense II. (Douzy a. 874) 10.
Londinense (a. 1075) 263.
Pictaviense (Poitiers a. 1078) 512.
Lateranense III. (oecum. a. 1179) 53, 261.
Montis Paesulani (Montpellier a. 1214) 261.
Lateranense IV. (oecum. a. 1215) 723, 776.
Biterrense (Béziers a. 1233) 11.

Digitized by Google

LONDINENSE (a. 1268) 11, 263, 377.
COLONIENSE (a. 1280) 264.
VIENNENSE (oecum. a. 1311) 485.
WESTMONASTERIENSE (Westminster in Anglia a. 1422) 264.
BASILEENSE (a. 1431) 127, 136, 262, 380, 508, 742, 758, 765.
SENONENSE (Sens a. 1528) 127.
COLONIENSE a. (1536) 510.
TRIDENTINUM (oecum. a. 1545-1563) 11, 136, 264, 520, 723, 754, 773.
MECHLINIENSE (a. 1570) 260.
SALISBURGENSE (a. 1574) 525.
AVENIONENSE (Avignon a. 1849) 126, 651.
RHEMENSE (a. 1849) 653.
ALBIENSE (Albi in Gallia a. 1850) 125.
BITURICENSE (Bourges a. 1850) 135, 749.
BURDIGALENSE (Bordeaux a. 1850) 135, 652.
ROTHOMAGENSE (Rouen a. 1850) 135.
SENONENSE (Sens a. 1850) 738.
STRIGONIENSE (Gran in Hungaria a. 1858) 12, 270, 368, 526, 645, 749.
VIENNENSE (Wien a. 1858) 54, 124, 259, 369, 372, 375, 641, 648, 652.
COLONIENSE (a. 1860) 125, 133, 375, 648.
PRAGENSE (a. 1860) 12, 127, 135, 260, 369, 375, 523, 526, 636 644, 650, 749, 772.
COLOCENSE (Colocza in Hungaria a. 1863) 12, 129, 369, 373, 523 649, 652.
ULTRAJECTENSE (Utrecht a. 1865) 12, 128, 136, 370, 373, 523, 526, 646, 651, 738, 747, 772.
VATICANUM (œcum. inde ab a 1869) exproposito Schemate de Regularibus: 13, 55, 274, 528.

III. Ordines monastici et Congregationes O. S. B. quorum vel quarum statuta a sanctâ Sede approbata citantur.

ORDO CARTHUSIANORUM 55, 267, 509.
ORDO CISTERCIENSIUM 513, 515, 516, 723, sq.
ORDO EREMITARUM S. AUGUSTINI 518.
ORDO EREMITARUM S. HIERONYMI 516.
ORDO GRANDIMONTENSIUM 57.
CANONICI S. CHRODEGANGI 132.
CONGREGATIO ANGLICA (fund. a. 943. approb. a. plurib. Pontifici.) 54, 264, 510.
CONGR. ARGENTINENSIS (Strassburg. Stat. approb. ab Urbano VIII a. 1624) 57, 130, 267, 272, 377, 381, sq. 510 sq. 637 sq. 740 sq. 758. 764, 773, 778.
CONGR. BAVARIAE (Brev. Clem. XIII. 1759) 770.
CONGR. S. BERNARDI in Italia O. Cist. (Stat. approb. ab Urbano VIII.) 271, 748.
CONGR. BURSFELDENSIS (approb. ab Eugenio IV. 1433) 58, 60, 261, 270, 273, 367, 377, 381, 384.

Digitized by Google

509, 513 sq. 637 sq. 740 sq. 753 sq. 761, 770, sq.
CONGR. CAMALDULENSIS (Stat. appr. a. 1562) 55, 57, 60, 267, 514, 515, 516, 520, 524, 759. 762, 763, 765, 766.
CONGR. CASSINENSIS (approb. 1409) 130.
CONGR. CLUNIACENSIS (fundata a. 910, approb. a pluribus Pontificibus) 57, 60, 509, 514, 642, 644, 650.
CONGR. COELESTINORUM (Stat. approb. 1629 ab Urbano VIII) 513.
CONGR. GALLICA (Stat. approb. a. 1837 a Gregorio XVI et 1879 a Leone XIII.) 746, 765, 770, 772, 778.
CONGR. HIRSAUGIENSIS (Stat. approb. a Gregorio VII. a. 1083) 130, 274, 377, 739, 746, 750, 760, 762.
CONGR. HISPANICA (approb. a. 1640) 740, 746, 748, 755, 764.
CONGR. S. MAURI (approb. a. 1621) 52, 271, 272, 752.
CONGR. MELLICENSIS (in Austria, approb. 1431) 758, 761, 765. vide etiam s. v. Conc. Basileens.
CONGR. MONTIS OLIVETI (Stat. approb. a Gregorio XIII. 1573) 135, 517, 743.
CONGR. SUEVICA S. JOSEPHI (Stat. appr. 1725 a Benedicto XIII.) 58, 59, 129, 268, 271 sq. 368, 378, 381 sq, 510 sq. 522 sq. 638 sq. 647, 740, 745, 748 sq. 761 sq. 771, 773.

Index alphabeticus auctorum quorum scripta in hoc libro laudantur.

N. B. Litterae : P. L. et P. Gr. (dictis sanctorum Patrum in parenthesi appositae) Patrologiam latinam sive graecam D. Migne indicant.

ABSALON, Abb. Sprinckirsbac. (dioec. Trevir.) ✠ 1203.
S. ADALARDUS, Abbas Corbejensis ✠ 826.
ADAM, Abbas Perseniae (Perseigne, dioec. du Mans) ✠ 1203.
AIBREDUS, Abbas Rievalens. in Anglia ✠ 1165.
B. ALANUS DE RUPE ✠ 1475.
B. ALBERTUS MAGNUS, Ep. Ratisbon. ✠ 1280.
B. ALCUINUS, Abb. Turonensis ✠ 804.
S. AMBROSIUS. Ep. Mediolan. et Doctor Ecclesiae ✠ 397.
S. ANSELMUS, Abb. et Archiep. Cantuar. et Doctor Ecclesiae ✠ 1109.
ANSELMUS, Episc. Havelbergensis ✠ 1158.
ANTIOCHUS LAURENSIS, mon. de S. Saba in Palæstina ✠ 614.
S. ANTONINUS Archiep. Florentinus ✠ 1459.
S. ANTONIUS Abbas ✠ 357.
S. ANTONIUS DE PADUA ✠ 1231.

Digitized by Google

ARNULFUS, mon. de Boërüs, dioec. Laudunens. (Laon) saec. XII.
S. ARSENIUS, mon. saec. IV.
S. ASTERIUS, Ep. Amasensis c. 400.
S. ATHANASIUS MAGNUS, Ep. Alexandr. et Doctor Eccl. ✠ 373.
S. AUGUSTINUS, Ep. Hippon. et Doctor Eccl. ✠ 430.
AUGUSTINUS, mon. Cist. saec. inc.
S. AURELIANUS. Ep. Arelatensis ✠ 551.

BALDUINUS, Abb. et Archiep. Cantuariens. ✠ 1190.
BARBO, Ludovicus, ex Abb. S. Justinae Pad. Episc. Taravisinus (Treviso) ✠ 1443.
BARONIUS, Caesar, Cardinalis ✠ 1617.
BARTHOLOMAEUS a Martyribus, Archiep. Bracarens. (Braga in Portugal.) ✠ 1590.
S. BASILIUS MAGNUS, Ep. Caesar. et Doctor. Eccl. ✠ 379.
BASILIUS, Seleuciensis Episc. ✠ c. 459.
S. BEDA VENERABILIS mon. et Doctor Eccles. (Jarrow in Anglia) ✠ 735.
VEN. BENEDICTUS, Abb. Clusiensis (S. Michaël de Chiusa dioec. Taurin.) ✠ 1091.
S. BERNARDINUS SENENSIS O. S. Fr. ✠ 1444.
S. BERNARDUS, Abbas Claraevall. et Doctor Eccl. ✠ 1153.
BERNARDUS, Abb. Montis Cassin. et Card. ✠ 1282.
S. BERTHARIUS, Abb. Montis Cassin. et Martyr ✠ 883.
SA BIRGITTA, vidua ✠ 1373.
VEN. BLOSIUS, Ludov., Abb. Laetiensis (Liessies) ✠ 1566.
BOLLANDUS S. J. ✠ 1665 alii : Acta Sanctorum.
BONA, Joan., mon. et Cardin. ✠ 1674.
S. BONAVENTURA, Card. et Doctor Eccl. ✠ 1274.
S. BONIFACIUS, mon. et Archiepiscop. Moguntin. Martyr ✠ 755.
BOSSUET, J. B. Episc. Meldensis ✠ 1704.
BROCKIE, Marianus, mon. S. Jacobi Ratisbon. ✠ 1756.
S. BRUNO, Carthusianorum fundator ✠ 1106.
S. BRUNO, Abb. Montis Cass. et Episcop. Signiacensis (Segni) ✠ 1125.

S. CAESARIUS, Episc. Arelatensis ✠ 542.
CAESARIUS Heisterbacensis, mon. Cist. ✠ c. 1230.
CASSIANUS, Joan., Abb. Massiliensis ✠ 430.
CASSIODORUS. Ab. Vivariens. ✠ 560.
CEOLFRIDUS, Abb. monast. (Jarrow) ✠ 719.
CLEMENS ALEXANDRINUS, presbyter, ✠ c. 220.
S. COLUMBANUS, Abb. ✠ 615.
CORNELIUS A LAPIDE S. J. ✠ 1637.
S. CYPRIANUS, Ep. Carthag. Martyr ✠ 258.
S. CYRILLUS ALEXANDR. Ep. ✠ 444.
S. CYRILLUS HIEROSOLYM. Ep. ✠ 386.

S. DIADOCHUS, Ep. Photicens in Illyria ✠ 450.

Digitized by Google

DIONYSIUS CARTHUSIANUS, mon. RUREMOND. ✠ 1471.
S. DOROTHEUS, mon. Palaestin. saec. VII.
S. DUNSTANUS, mon. et Archiep. Cantuar. ✠ 988.
DURANDUS, Ep. Mimatensis (Mende in Gallia) ✠ 1296.

S. EDMUNDUS, Archiep. Cantuar. ✠ 1242.
ELIAS DE COXIDA, Abb. Dunen. (in Flandria) O. Cist. ✠ 1203.
S. EPHREM, Diacon. Edess. ✠ 378.
S. EPIPHANIUS, Ep. Salaminae Cypr. ✠ 403.
EPISCOPI DANIA, Epistola ad Concil. Basileense a. 1434.
EPISCOPI AUSTRIAE, Epistola pastoral. a. 1856.
ERNALDUS SIVE ARNALDUS, Abb. Bonaevall. (dioec. Chartres) ✠ c. 1156.
S. EUCHERIUS, Ep. Lugdunensis, ✠ 454.
EUSEBIUS, Ep. Emesinus ✠ c. 360.
S. EVAGRIUS, Ponticus mon. saec. IV.

S. FERREOLUS, Ep. Uceticens. (Usez in Gallia) ✠ 558 vel 581.
SA FRANCISCA ROMANA, fundatrix Oblatarum O. S. B. ✠ 1440.
S. FRANCISCUS ASSISIENS. ✠ 1226.
S. FRANCISCUS DE SALES, Ep. Genev. et Doctor Eccl. ✠ 1622.
FREPPEL, Episc. Andegavens. (Angers).
S. FRUCTUOSUS, Ep. Bracarensis (Braga) ✠ 670.

S. GAUDENTIUS, Ep. Brixiensis ✠ c. 420.
GAUFFRIDUS, Abb. Claraevall. ✠ 1166.
GAVANTUS, Gener. Congr. Barnabit. ✠ 1638.
GERARDUS BELGA, Abb. ad Rhenum, forte saec. XV.
S. GERMANUS, Episc. Paris. ✠ 576.
GERSON, Joan. (Charlerius) cancell. Paris. ✠ 1429.
SA GERTRUDIS MAGNA, Virgo Monaster. Helftensis ✠ 1302.
GILLEBERTUS DE HOILANDIA, monast. Swinhel, dioec. Lincol. ✠ 1172.
GOFFRIDUS, Abb. Vindocinens. (Vendôme) et Card. ✠ 1107 vel 1132.
S. GREGORIUS MAGNUS Papa et Doctor Eccl. ✠ 604.
S. GREGORIUS P. VII. ✠ 1085.
S. GREGORIUS NAZIANZENUS Ep. et Doctor Eccl. ✠ 389.
S. GREGORIUS NYSSENUS Ep. ✠ c. 403.
GUERANGER, Prosper, Abbas Solesmensis ✠ 1875.
B. GUERRICUS, Abb. Igniacens. (Igny) ✠ 1157.
GUIGO, Carthusiae. maj. Prior ✠ 1188.
B. GUILELMUS, Abb. Hirsaugiens. ✠ 1091.
GUILELMUS, Abb. S. Theodorici ✠ c. 1150.
GUILIELMUS Episc. Parisiens. ✠ c. 1249.

HAEFTEN, Benedict. Praepositus Affligeniensis ✠ 1648.
HAYMO, Ep. Halberstadtens. ✠ 853.

Digitized by Google

HEYMO, mon. Hirsaugiens. ✠ c. 1091.
S. HIERONYMUS, Presb. et Doctor Eccl. ✠ 420.
S. HILARIUS, Ep. Pictav. et Doctor Eccl. ✠ 368.
HILDEBERTUS, mon. et Archiep. Turonens. ✠ 1135.
SA HILDEGARDIS, Abbatissa ad mont. S. Ruperti ✠ 1179.
HILDEMARUS, mon. Mediolanens. ✠ 843.
HINCMARUS Archiep. Rhemensis. ✠ 882.
HUGO CAPET, rex Francorum, ✠ 996.
HUGO A S. VICTORE, can. reg. monast. S. Victor. Paris. ✠ 1142.
HUGO DE FOLIETO can. regul. et Card. ✠ 1149 vel 1174.
HUGO A S. CHARO O. P. Card. ✠ 1260.
HUMBERTUS, Generalis O. Pr. ✠ 1263.

JACOBUS VITRIAC. (Vitry dioec. Paris.) Card. Tusculan. ✠ 1240.
JACOBUS DE VORAGINE, Archiep. Genuens. ✠ 1298.
S. IGNATIUS Martyr, Ep. Antioch. ✠ 107.
S. IGNATIUS DE LOYOLA ✠ 1556.
S. ILDEPHONSUS, Ep. Toletan. ✠ 669.
IMITATIONIS CHRISTI libri quatuor.
INNOCENTIUS III. Papa, ✠ 1216.
S. JOANNES CHRYSOSTOMUS, Archiep. Constantinop. et Doctor Eccl. ✠ 407.
S. JOANNES CLIMACUS, mon. ✠ c. 580.
S. JOANNES ELEEMOSYNARIUS, Ep. Alexandr. ✠ 616.
S. JOANNES DAMASCENUS, mon. ✠ 754 aut 760.
JOANNES, mon. Cluniacensis. saec. X.
JOANNES, Patriarcha Hierosolymit. ✠ 406.
JOANNES A TURRECREMATA, O. Pr. Card. ✠ 1468.
JOANNES LANSPERGIUS, mon. Carthus. ✠ 1534.
JOANNES DE FANO, O. Cap. ✠ 1539.
JOANNES A JESU MARIA, Ord. Carmel. ✠ 1615.
S. ISAIAS, Abbas Syrus, saec. IV.
S. ISIDORUS, Ep. Hispal: et Doctor. Eccl. ✠ 636.
S. ISIDORUS PELUSIOTA, Abb. ✠ 449 vel 431.
JULIANUS POMERIUS, presb. Arelatens. ✠ c. 498.
JUSTINIANUS I. Imperator, ✠ 565.
S. JUSTINUS, Philosoph. et Martyr ✠ 166.
S. JUSTUS, Ep. Urgelitens. ✠ c. 540.

LAPIDE, Cornel. a. S. J. ✠ 1637.
S. LAURENTIUS JUSTINIANUS, Protopatriarcha Venet. ✠ 1455.
S. LEANDER, Ep. Hispalens. ✠ 603.
S. LEO I. MAGNUS, Papa et Doctor Eccl. ✠ 461.
LEO, Archiep. Ravennat. ✠ 1004.
LUDOVICIUS PIUS, Imperator ✠ 840.

MABILLON, Joan. mon. Congr. S. Mauri ✠ 1707; ejusdem Annales O. S. B. continuati a Ren. Massuet (✠ 1716) et Edm. Martène ✠ 1739.; necnon Acta Sanctorum O. S. B. coll. a Mabillon, D'Achery ✠ 1685 et Theod. Ruinart ✠ 1709.

Digitized by Google

S. MACARIUS, monach. Alexandr. c. 400.
MARTÈNE, Edmundus, mon. Congr. S. Mauri ✠ 1739.
S. MAXIMUS, Ep. Taurinensis ✠ c. 465.
Sa MECHTILDIS, Virgo monast. Helftensis ✠ c. 1300.

S. NICETIUS, Ep. Trevirensis ✠ 551.
NIEREMBERG, Eusebius, S. J. ✠ 1658.
S. NILUS, Abb. ✠ 451.

S. ODILO, Abb. Cluniacensis ✠ 1049.
S. ODO, Abb. Cluniacensis ✠ 942.
B. OGERIUS, Abb. O. Cist. saec. XII.
ORIGENES, presb. Alexandrinus ✠ 253.
S. ORSIESIUS, Abb. Tabennens. c. 380

S. PACHOMIUS, Abb. Tabennens. saec. IV.
S. PALDO, Abb. S. Vinc. ad Volturn. apud Beneventum ✠ 720.
PAULUS DIACONUS, mon. Cassin. ✠ c. 800.
PETRA, Vincent. Card. ✠ 1747.
S. PETRUS Chrysologus, Archiep. Ravenn. et Doctor Eccl. ✠ 450.
S. PETRUS DAMIANUS, Abb. Fontisavell. Card. et Doctor Eccl. ✠ 1072.
PETRUS DE ROYA, mon. Claraevall. ✠ 1169.
PETRUS COMESTOR, presb. Parisiensis ✠ 1178.
PETRUS, Abb. Cellensis (Moustier-la-Celle) et Ep. Carnotens. (Chartres) ✠ 1187.
PETRUS VENERABILIS, Abb. Cluniacens. ✠ 1158.
PETRUS BLESENSIS (de Blois) Cancell. et Archidiac. Bath. in Anglia ✠ c. 1200.
PHILIPPUS I. Rex Francorum ✠ 1108.
PHILIPPUS DE HARVENG, Abb. Ord. Praemonstrat. ✠ 1182.
PHILIPPUS DE HEINSBERG, Archiep. Coloniensis ✠ 1191.
POSSIDIUS, Ep. Calamensis ✠ c. 440.

RADOLPHUS DE RIVO, Decanus Tungrens. ✠ 1403.
RAYMUNDUS JORDANUS, Abb. O. S. Aug. ✠ c. 1390.
REGULA secunda Patrum saec. IV.
REGULA SS. Pauli et Stephani, saec. VI.
REGULA cujusdam ad Virgines saec. VII.
REGULA MAGISTRI saec. VII.
REGULA Monasterii Tarnatensis sive Agaunensis (S. Mauritii) c. a. 570.
B. RHABANUS MAURUS, Abb. Fuld. et Archiep. Mogunt. ✠ 856.
RICHARDUS, Prior Fontanensis, (Fountains dioec. Eborac.) ✠ 1140.
RICHARDUS A S. VICTORE, can. regul. Paris. ✠ 1173.
RICHARDUS DE S. ANGELO, mon. Cassinens. saec. XIII.
ROLEWINCK, Wernerus, mon. Carthus. ✠ 1502.
B. RUPERTUS, Abb. Tuitiensis (Deutz) ✠ 1135.

SALVIANUS, presbyter Massiliensis. ✠ c. 490.

Digitized by Google

S. SERAPION, mon. Aegypt. saec. IV.
SIMONETTA, Bonif., Abb. S. Stephani dioec. Cremon. c. 1490.
SMARAGDUS, Abb. Monast. S. Michaelis ad Mosam. ✠ c. 820.
STEPHANUS III. Papa ✠ 757.
SUAREZ, Franc. S. J. ✠ 1617.
SULPITIUS SEVERUS, presb. Aquitan. ✠ 403.

TAMBURINIUS, Ascanius, mon. Vallis-umbrosae c. 1650.
TAULERUS O. Pr. ✠ 1361.
THALASSIUS, Abb. Syrus ✠ c. 650.
THEODORETUS, Ep. Cyrens. in Syria ✠ 457.
THEOFRIDUS, Abb. Epternacensis (Echternach) ✠ 1110.
S. THOMAS AQUINAS, Doctor Angelicus, ✠ 1274.
S. THOMAS A VILLANOVA, Archiep. Valenc. ✠ 1555,
THOMAS A KEMPIS, can. reg. ✠ 1471.
THOMAS DE VIO, Card. Cajetanus ✠ 1534.
THOMAS A JESU, Ord. Carmel. ✠ 1627.
TRITHEMIUS, Joan. Abb. Spanheimensis ✠ 1516.

B. URBANUS II. Papa ✠ 1099.

S. VALERIANUS Ep. Cemeliensis (Cimiez in Gallia) saec. V.
S. VICTORIANUS, Abb. Assanensis in Hispania ✠ c. 566.
S. VINCENTIUS FERRERIUS O. Pr. ✠ 1419.
VITAE SS. PATRUM ed. Rosweyd.

WALAFRIDUS STRABO, Abbas Augiae divitis (Reichenau) ✠ 849.

S. ZENO, Ep. Veronens. ✠ 381.

Inder rerum.

Abbas, coenobiticae familiae pater 44, 50, 705, 811. Vices CHRISTI gerit 44, 50, 594. Abbatis nomen 705, 722, 731, 740; Dignitas 710 ejus auctoritas 493, 496, 117, 706; stabilitas 706, 707. Pietas in Abbatem 44, 50, 84, 616, 677, 707, 740-742. Abbatis munus et officium 708, 709, 710, 733, 742, 793, 794, 795, 809. Summopere animabus provideat 794, saecularia tolerans, non requirens 795. Pius amor in filios 712, 732, 741, 799, 800, 801, 813. Qualis esse debeat 710, 711, 719, 731. Memor sit suae animae 796, 797, 798. Prudenter agat 804. Quomodo corrigat 802, 804, 805, 806, 807, 808. Ejus potestas 714, 736-ordinaria 718. Abbatis consilium 717, 718, 815. Electio Abbatis 705, 731, 739, 740. Abbatis doctrina 803, pascat gregem verbo 802, 803; dirigat 809.

Digitized by Google

Abbatia 720, 724, 725.
Abnegatio 372, 415, 416, 505, 745, 783.
Abstinentia 349, 350, 361, 377, 423, 429.
Adami sanctitas et scientia 565.
Aegritudo 666, 667, 669.
Aegroti caritate prosequendi 617, 638, 639, 667, 669.
Alacritas 462, 489, 504, 744, alacriter obediendum 606, 607.
Altare 116, 122, 181.
Amicitia 661, 662, 663, amicitiae particulares 94.
Amor in Deum 201 seq. 563, 614, 631, 655, 658, in proximum 615, 631, 656, seq. 664, tres gradus 687.
Angeli 34, 118, 149, 150, 232, 233, 342, 580.
Animarum zelus 624, 634, 644, 645, 692.
Annulus Abbatis 708, 742.
Archiabbas 722, 725, 729.
Archiepiscopus 721.
Artes 488, 503, 622.
Attentio triplex 164.

Baculus pastoralis 713, 755, 786, 793, 801.
Benedictio ante exitum petenda 54, 56.
SS. P. N. Benedictus 3, 15. alter Abraham, dux, magister 3, 4, 13, legifer 19, 25, pius Pater 23 et intercessor 26; ejus virtutes 3, 21, 22, castitas 360, contemplatio 222, ejus oratio 211, cura operis Dei 132, mortificatio 473, discretio 27, 28, 31; SS. P. Benedictus magister obedientiae perfectae 496, 505, agonizantium patronus 16; nomen S. P. Benedicti 36, pietas erga ipsum 4, 23; fecunditas S. P. Benedicti 20, 21, 22, 630. Ordo ejus 20, 22, 36, 630, 653, 730; ejus vita in Regula 574.
Benefactores 677, 678.
S. Bernardi modestia 457.
Bibliographi 684, 685, 686.
Bibliotheca 523, 524.
Bibliothecarius 524, 716.
Bona opera 619, 622, 658, 672, 673, 679, 683.

Caeremoniae 115, 191, 192, 745.
Canones 522.
Cantus Ecclesiae 115, 122, 131, 133. Gregorianus 133, 134, 135, 179, 747. Quomodo cantandum 132, 133, 135. Sacri cantus effectus 170, 171, 172, 193.
Capitulum culpae 351, 352, 362, 380, 381, 437, 438, 441, 728.
Capitulum generale 723, 727, 728, 776, 777, 817, 818, 819.
Caritas Dei 201, 203, 655, fraterna 45, 50, 59, 81, 83, 85, 661, 664; caritas perfectio religionis 613; duplex ejus ratio 614; divinitus ordinata 616, 655. Caritas in Superiores 616, 677, in fratres 617, 637, in parentes 619, 676, in benefactores 677, 678. Caritas in pauperes 620, 632, 633, 642, 678, 679, 682; in hospites 620, 632, 633, 643, 681; in defunctos 619, 641, 669, 670, 671. Caritatis opera 619, 622, 658, 672, 673, 683. Caritas

Digitized by Google

operibus augetur 623, est finis religionis 636, 660, ac Regulae. Perfectionis summa 654. Universalis est 659. Caritatis gradus 687.
Castitas 341 seq. 359, 384, 387, 389; ejus honor et fructus 343, 369, 390, 393, 395, 397; quomodo servanda 344, 359, 366, 367, 391, 399, 400, 401, 406; praesidia castitatis 345, 368, 370, 372, 403.
Cella 43, 57, 65, 66, 67, 245, 256, 272, 273, 353, 384, 444.
Cellerarius 716, 737, 814.
Charta caritatis 723 seq.
Chorus 113, 122, 147, 149, 150.
Cistercienses 723, 816.
Claustrum 40, portus tranquillus 41, 64, arca 67, 68, 84, 242, paradisus 239.
Clausura externa et spiritualis 42, 47, 53, 54, 55, 56.
Cluniacenses 723.
Coenobium 44, 56, 84, 709, 719, 811; cfr. etiam Familia coenobitica.
S. Communio 187, 189, 190.
Communio Sanctorum 110, 142.
Communitas cfr. Vita communis.
Concordia fraterna 45, 51, 81 seq. 91.
Conferentiae spirituales 756, 785, 786, 803.
Confessio 136, 381, 438, 442, 443.
Congregatio 719, 720, 738, 768 seq. 772 seq. 817, 818.
Conscientiae examen 743, 746, passim.
Conscientiae manifestatio 352, 363, 439, 441.
Consilium Abbatis 717, 718, 737, 766, 767.
Constitutio Ecclesiae 704, 714, 721, 738, ordinis monastici 703 seq. 714, 738.
Constitutiones 5, 12, 13, 743, 746, 753, 769, 778.
Contemplatio 220, 222, 653, 788, 796.
Conventus 718, 737, 767.
Conversi cfr. Fratres laici.
Conversio gentium 625, 635, 649, 698.
Conversio morum 46, 51, 95, 100, 101, 107, 421.
Cor JESU 118, 178.
Correctio 806 seq. cfr. correptio.
Correptio 439, 443, 713, 734, 735, 755, 805, 806, 807, 808.
Crux pectoralis 713, 757, 809.
Crux corporalis et spiritualis 411, 415, 448; portata portat 415; crux nostra timor Domini 409, 419.
Culpa 33, 71, 352, 363, 380, 382, 438, 441, 443, 728, 806.
Cultus publicus 110, 125, 126, 141, 142.
Cura animarum 634, 645 seq. 688, 691, 692.

Defuncti 619, 641, 669, 670, 671.
Deus 197, 199, 200, 201 ac passim. Dei praesentia 118, 391, 569, 570, 746. Deum quaerere 96, 97, 562, cfr etiam amor, caritas, dilectio, timor Dei.
Devotio 167, 170, 235, 236, 798 cfr. pietas, Sancti, Angeli, B. Maria Virgo et pag. 227 seq. 232, 233, 234.

Digitized by Google

Diabolus 61, 68, 167, 191, 402, 538, 550, 582.
Dilectio 200, 201, 631- proximi 88, 91, 656.
Disciplina monastica 349, 418, 419, 420, 636, 650, 700, 816, salva consistat in exerc. oper. caritatis 628, 636, 650; disciplina cellae 353, 363, 382, 444, 485; disciplina refectorii 349, 361, 379, 437.
« **Disciplinae** » exercitium 353, 446, 447.
Discordia 86.
Discretio 27, 28, 458, 459, 461, 490, 504, 735, 773, 804, 805, 806, 808.
Doctrina Abbatis 802, 803.

Ecclesia 118, 138, 222, 224, ejus festa 193, ejus constitutio 704, 711, 738, 750, 786, pro ea orandum 224. Monachus vir Ecclesiae 118, 222, 224, 225, 629, 651, 768.
Edacitas 434.
Educatio puerorum 626, 627, 629, 649, 698, 700; novitiorum 709, 742, 745, 747, 782.
Eleemosyna 678, 679, 680.
Episcopus 704, 717, 721, 738, 739, 811.
Eucharistia 117, 136, 181, 187, 188.
Examen conscientiae 445, 743, 746, 749.
Exercitia spiritualia 752, 754, 756.

Familia coenobitica 44, 50, 81, 85, 616, 704, 705, 739, 778, 781, 811, 812.
Festa 193.
Fides 118, 123, 138, 593, fidei laus 193, 194, vita fidei 195, 196, 197, 198. Fides, spes, caritas 209, 212, 213, 613, 655 seq.
Fortitudo 476.
Fratres 45, 85, 617.
Fratres laici seu conversi 485, 513, 514, non sunt proprie monachi 515, eorum vota simplicia 515, eorum officium 516, habitus 517, instructio 518.
Fraterna concordia 45, 51, 85, 95, 100, 101, 107, 421; caritas 81 seq. 87 seq. 661, 665, 817.
Fuga mundi 43, 47, 52, 61, 62, 63, otii 401, nimiae familiaritatis 400, tentationum vel occasionum 399, 402, in fuga spes victoriae 399; fugienda superbia 333, 790.

Gaudium spirituale 89, 98, 315, 318, 319 seq. 357, 385, 474, laus Dei 144, 149, 151.
S. Gertrudis 372.
Gestus 355, 449, seq. 455, 456.
Gratia 35, 42, 72, 89, 97, 153, 178, 203, 204, 228, 229, 230, 319, 402, 504.
Gula 431, triplex gulae proles 331.

Habitus monachi 246, 271, 272, 293, 294.
Habitus corporis et animae 352, 364, 449, 450, 456.
Hierarchia ecclesiastica 706. 721, 722, 738.
Hospites 620, 633, 643, 753.
Humilitas 252, 256, 257, 306 seq. 400, 790. Humiliatio 310, opera

Digitized by Google

humilitatis 313, 318, 320, 792; duodecim, humilitatis gradus 257; humilitas sanctitatis mensura 314, 318, humilitatis fructus 338, 339, 399, 400.

Janitor 54, 644, 654.
Jejunium 349, 350, 361, 373, 374, 423, 425, 427, 429, 449.
JESUS CHRISTUS 221, sequendus 242, vita Ejus meditanda 221, 418, 468; passio Ejus 356, 418, 465; paupertatis speculum 241, 277, 278, castitatis fons 386, obedientiae perfectum ex mplar 491, 495, 580, 588, 590, 592; humilitas Ejus 336, 469. Ipse manibus laboravit 486, 540, 542.
Imitatio CHRISTI 409, 418, 421, 465.
Inconstantia 78, 79.
Indifferentia seu sancta indolentia 247.
Infirmorum cura 617, 632, 638, 639, 667, 669, juxta Christi exemplum 668.
Infula Abbatis 711, 752.
Intemperantia 431, 435.

Labor 480 seq., ejus ratio 481, 531; homo ad laborem creatus 480, 530; labor etiam poena peccati 531; monachus homo laboris 481, 532; fructus laboris 482, 483; quomodo laborandum 488, 489, 502, 504, 568, 569; exempla Christi et Sanctorum 502, 540, 542; labor manuum cfr. Opus manuale; labores spirituales 540, 686; labor dulcescit 570.
Laici cfr. Fratres.
Lectio 220, 503, 535, 547, 548, 550, 556; lectio ad mensam 351, 362, 436.
Libri 524, sacri 562, 563, 684, 686, 687.
Lingua 68, 69, 72. linguae usus 42, 48, 69, 77.
Litterae seu epistolae 620.
Litterarum studia cfr. Studia.
Liturgia 112, 117, 124, 125, 136, 191, 193, 725, 747.

Magister novitiorum 715, 737, 743, 744, seq. 785, 814, 815.
Manualis labor cfr. opus manuale.
B. Maria Virgo 118, 227, 228 seq. 253, 279, 337, 372, 589.
SS. Martyres 422, 579, 629.
Meditatio 118, 123, 137, 216 seq. 220, 696, 752.
Metrocoenobium 721, 723, 724.
Misericordia 680; opera misericordiae 674, 675, 679, 680, 681.
Missa 183 seq. conventualis 116, 136, cfr. 185, 190.
Mitra Abbatis 711, 752, 753.
Modestia 452, 454.
Monachus 50, 53, 54, 709; ex fide vivens 118, 123, 193, 197; vir orationis 206, 652; Dei amator 201, 629; vir Ecclesiae 118, 138, 222, 629, 651, et sanctae Sedis 138, 139, 140, 222, 223, 225, 226, 768, 786.
Monasterium 41, 64 seq. 84, 242, 704, 709, 726; in se perfectum 719; quasi castellum 40, 41, portus 238; monastica familia 704, 706, 712, 713, 778.

Digitized by Google

Moribundi 618, 640.
Mortificatio 345, 356, 360, 373; lex vitae christianae 407, 408, 414 seq. monastica mortificationis disciplina 346, 347, 412, 413, 462; fructus mortificationis 357, 374, 409, 410, 471, 477.
Multiloquium 70, 71, 72.
Mundi pericula 40, 43, 61; mundus fugiendus 43 seq. 52, 63.
Murmur 378; murmurandi vitium 499, 508, 608, 609.

Nomen Abbatis 705, 722, 793.
Novitii 709, 742 seq. 746, seq. 764, 782, 784, 785.

Obedientia, votum 491, 506, 525, 760; laus obedientiae 492, 493, 528, 578, 585; ejus fructus 493, 494. Obedientia monachi deliciae 500, 575, 611. Quomodo obediendum 496, 497, 499, 507, 576, 578, 579, 580, 606, 607. Qualis esse debeat obedientia: universalis, fortis, heroica 507, 600, 602, fide animata 593, 594; simplex et humilis 598, 600, 602. prompta, expedita, velox 604; fortis et constans 610; perfecta obedientia 526, 527, 576, 586, 605. Obedientia JESU et Mariae 491, 495, 588, 589, 590, 592, 810.
Observantia regulae 6, 12, 13, 32, 33, 268, 527, 574, 593, 773, 774, 775, 776, 814, 816, 817.
Officiales monasterii 715, 736, 758 seq. 811, 815.
Officium divinum 109 seq. 127, 129, 143, 146, 148, 744. cfr. Opus Dei.
Opera bona 658, caritatis 672, 673, 683, misericordiae 674, 675, 678, 680.
Opus Dei 109, seq. 120; ejus praestantia 111, 120, 128, 129, 142, 143, 145, 146; ejus fructus 111, 112, 145, est labor 114, 121, 130, 159; praecipue ad Religiosos pertinet 127, 143, 148; quomodo agendum 121, 122, 128, 130, 161, 162, 163, 170, 173, 175, 177.
Opus manuale 310, (510), 486, 502, 509, 514, 545, 546.
Oratio 118, 119, 122, 137, 481, 534, oratio vocalis 122, 123, 125, 131, 143, mentalis 113, 137, 216 seq. 518, 743, 752; oratio communis 109 seq. 120, 124, 125, 140, 141; orationis laus 138, 141, 143, 146, 206, 207, 208, orationis necessitas 138, 204, 205, 207; quomodo orandum 115, 209, 210, 212, 214, 215; pro quo orandum 112, 142, 211, 226, 619, 640, 641, 669 seq. 701.
Oratorium 115.
Ordo S. Benedicti 10, 29, 36, 730.
Otiositas 482, 483, 502, 532, 533, 537 seq.

Papa 118, 138, 223, 721; est proprius monachorum episcopus 225, 768.
Parentes 619, 676.
Passio D. N. JESU CHRISTI 348, 356, 418, 465, 467, 468, 469, 470.
Pastor bonus 803, 809.
Patientia 358, 365, 475, 476, 477, 809; auget meritum 810, et praemium 811, cfr. 745, 757.

Digitized by Google

SS. Patres Ecclesiae 487, 503, 523, 803, 819.
Pauperes 620, 632, 642, 678, 682, 753; pauper spiritu 276, 296, 306.
Paupertas 241 seq. 254; paupertas spiritus 276, 277, 296, 306; votum paupertatis 243, ejus praestantia 247, 259, 260, 275, 277, 297 seq. ejus fructus 249, 250, 251, 258, 300, 302; quomodo exercenda 244, 256, 267, 268, 269, 289.
Pax 85, 86, 91, 357, 476, 477, 586.
Peccatum 95, 126, 234, 263, 264, 279 seq. 323 seq. 331 seq. 342, 378, 381, 401, 430 seq. 482, 531 seq. 581, 608 seq.
Peculium 243, 261, 263, 264, 282.
Pecunia 261, 282, 283, 284.
Perfectio 29, 810, 811; studium perfectionis 95, 98, 100, 101, 103, 105 cfr. passim conversio morum, obedientia et oratio.
Perseverantia 78, 80, 213, 214.
Philosophia 487, 521 523.
Pietas erga parentes 619, 676 erga defunctos 619, 641, 669 seq. Pietas in Abbatem vel superiores 44, 50, 616, 740, 780, 781, 812. cfr. Abbas, caritas, devotio reverentia. Pietatis exercitia 119, 227.
Poena 263, 551.
Poenitentia 409, 416, 443, 446, 463, 464, 472, 489.
Pontifex cfr. Papa vel Romana Ecclesia.
Pontificalium usus 117, 708, 710, 711, 713, 741, 742, 750, 752, 753, 755, 757, 786, 787, 810.
Portarius cfr. Janitor.
Praedicandi munus 625, 635, 648, 693, 694, 696, 697.
Praelatus cfr. Abbas.
Praeparatio ad orationem 130, 158.
Praepositus cfr. Prior.
Praesentia Dei 197, 199, 200.
Prior 715, 737, 758, 760, 762, 812, 813.
Professio 34, 35, 491, 528; secundus baptismus 35.
Proficiendum semper 98, 99, 100, 101, 103, 105, 107.
Proprietatis vitium 243, 245, 261 seq. 279 seq.
Prudentia 755, 757, 804.
Psallendum quomodo 158, 161, 163, 165, 168, 169.
Psalmorum praestantia 111, 152, 154, 156, 157.
Pugnandum 399, 407, 408, 414 seq. 434.

Quadragesima 350, 361, 378, 424, 425.
Quaerere Deum 96, 97, 98, 562.

Recreatio 45, 60, necessaria est 92, quomodo eâ utendum 93.
Refectorii disciplina 349, 361, 379, 437.
Regimen 703 seq.
Regula S. P. Benedicti 5, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 268, 527, 765, 777, 786, 817, 818; ejus auctor Spiritus sanctus 10, 24, 25, 29, S. Regulae praeconium 30; perfectionis norma 29, lux religionis 26, 29, discreta 28, 31; ejus finis caritas 24.

Digitized by Google

Regularis observantia cfr. Observatio regulae.
Regularis seu **Religiosus** cfr. Monachus.
Religio 95, ejus auctor Christus 612, finis caritas 636, 660; necessitas religionis 637; ejus felicitas et praestantia 37, 237, 239, 240.
Renovatio votorum seu professionis 7, 34.
Reverentia 121, 159, 162, 183, in S. Regulam 31, 593, in Superiores 84, 530, 595, 741, 742, 812, erga S. Sedem 223, 224, 225.
Ritus sacri 115, 191, 192, 193.
Romana Ecclesia et Pontifex Romanus 118, 119, 124, 138, 139, 140, 222, 223, 224, 225, 730, 768, 817.

Sacerdos 116, sacerdotis potestas et dignitas 183, 184, 185, ejus officium 186, 191, 689, 690, 693. Christus exemplar sacerdotis 689.
Sacerdotium 511, 512, 624, 686, 690, 693.
Sacri libri 562, 563, 684, 686, 687.
Sacrificium Altaris 116, 117, 122, 181, 183, 185, 190.
Sacrificium laudis 116, 122, 125, 126, 143, 144 seq. 162.
Saeculum 61, cfr. etiam Mundi fuga.
Sancti 118, 151, 159, 160, 232, 422, 579, 629. Sanctorum Communio 110, 142.
Sapientia 552, 554, 557.
Satisfactio 363, 376, 380, 438, 439, 440.
Scientia 519, 521, 547, 549, 552, 563; finis ejus caritas 550; fructus verae scientiae 555.
Scriptura sacra 220, 487, 503, 520 523, 556, 557, 559; triplex ejus intellectus 560; ejus auctor 561, quo spiritu legenda 561, studium S. Scripturae 563.
Seniores 717, 737, 766, 767, 815.
Sensuum custodia 449, 450, 453, 455.
Serenitas 315, 318, 319.
Silentium 42, 49, 56, 57, 58, 72; initium est disciplinae 73; progressus sanctificationis 75; justitiae cultus perfectus 76; silentii laus 73, 74 seq.
Simplicitas 290, 291, 312, 318, 319, 807, 808.
Singularitates vitandae 94.
Solitudo 43, 53, 64, 65, 67.
Spes 212, 358, 366, 477, 478, 613, 655 seq.
Stabilitas 43, 49, 59, 77, 80, stabilitas seu perpetuitas Abbatis 706, 707, 708, 770.
Statio 115, 121, 147.
Studia litterarum 487, 502, 519, 520, 547 seq. 564, 566, 622, 645, 744, 747, 748.
Subprior 715, 762, 763.
Superbia 253, 323, 324, 328, 330, 332, 790, 807, 808.
Superiores 84, 268, 530, 595, 596, 598, 616, 677, 741, 742, 812, 813.

Taciturnitas 43, 69, 75, 76, 77.
Tepiditas 97, 98, 99, 106, 107, 234, 235.

Digitized by Google

Temperantia 373, 377, 426, 429, 433, 460.
Tempus 490, temporis pretium 571, 573; usus temporis 504, 571.
Theologia 487, 521, 523.
S. Thomas Angelus scholae 487.
Timor Domini 28, 55, 67, 74, 121, 198, 199, 200, 257 ; est praesidium castitatis 368, 402 et crux nostra 419, 710, 711, 789.
Tristitia 73, 98, 320; sancta, falsa 321.

Vana gloria 323, 324 325, 326, 329 seq.
Vestitus 246, 255, 271, 272, 292, 295.
Victus 254, 255.
Virginitas 337, 372, 392, 395, 396, 398. Virginum Sponsus Christus 372, 386.
Virtutes 67, 86, 252, 266, 308, 309, 319, 371, 476, 493, 658, 695, 745, 751, 757, 804. theologicae 209, 212, 613, 655 seq.
Visitatio monasteriorum 725, 771, 772, 773 seq. 816, 817, 818. cellae 246, 273, 274, 444, 445.
Visitator cfr. ubi de visitatione monasteriorum.
« **Visitura** » 353, 384.
Voluntas propria 581, 582, 583, 584.
Vota 6, 34, 35, 491, 528; votorum renovatio 7, 34.

Zelus 553, 624, 644, 645, 693, 806, 817, domûs Dei 826.

Digitized by Google

Digitized by Google

Publications de la Société de Saint-Augustin.

LILLE (Nord) Rue Royale, 26. — BRUGES (Belgique).

La Vie des Saints méditée, ou une vie de Saint pour chaque jour de l'année, suivie d'une méditation et d'une prière, par le R. P. J. C. Grossez S.J....fr. 3-50

Le Ménologe du Carmel, ou Vie des saints, bienheureux, vénérables, et personnages illustres de l'Ordre du Carmel, 3 vol..... fr. 10-00

Méditations du Vénérable P. Louis du Pont, de la Cie de Jésus, traduites par le R. P. Jennesseaux, de la même Cie, 9 volumes in-18..... fr. 27-00

Allons au Ciel ! Manuel de l'âme pieuse, seconde édition ..... fr. 4-50

Les Enseignements de la divine Sagesse dans l'Evangile et les Saintes Ecritures, suite à *Allons au Ciel*... 4-00

Le chemin de la Croix, extrait de *Allons au Ciel*..... fr. 0-60

Les Consolations de la Foi dans la mort, ou quelques fleurs cueillies sur la tombe de nos proches et de nos amis qu'abrite la Croix, par l'abbé Herbet, chanoine d'Amiens, auteur de l'*Imitation méditée*. fr. 3-50

La Doctrine spirituelle de l'Imitation de J.-C., exposée dans un ordre méthodique avec les paroles mêmes de l'*Imitation* intégralement conservées, d'après le plan du Père George Heser, de la Compagnie de Jésus, par le P. Jacques Brucker, de la même Compagnie ..... fr. 3-00

Le Jardin des Enfants, ou Légendes de la vie des Saints racontées aux enfants, par le Rév. P. Hattler, prêtre de la Comp. de Jésus, traduit de l'allemand avec l'approbation de l'auteur..... fr. 7-00

Marie au Temple, modèle des jeunes filles chrétiennes pendant les années de leur éducation, par Mme Marie de Gentelles, fr. 1-00

L'Échelle du Ciel, ou Traité de l'Oraison. Texte latin avec traduction française et commentaires tirés de Suarez, par le chanoine F. Fuzet, Docteur en Théologie, prof. aux Fac. Cath. de Lille... fr. 1-75

Sanctum Jesu Christi Evangelium secundum Matthæum, additis ubique locis parallelis aliorum Evangelistarum, amplo commentario, tum morali et homilitico ex SS. Patribus, quum literali et exegetico ex auctoribus nostræ ætatis, illustravit J. A. Van Steenkiste, Canonicus honorarius eccles. Cathedr. Brug., S. Theol. Licent. in Univ. Cath. Lovan., et S. Script. prof. in Semin. Brugensi. Tertia editio, sedulo recognita et in duplum adaucta. 4 vol. in-8°..... fr. 20-00

Monographie de la Cathédrale de Saint-Sauveur, à Bruges, publiée sous la direction de M. Arth. Verhaegen, membre de la Commission directrice de l'école de St Luc, à Gand, XV planches avec texte. fr. 60-00

Méditations et prières à l'usage des jeunes gens, par le R. P. Clém. De Laage, S. J..... fr. 3-00

SOUS PRESSE.

Paganisme et Révélation. Études d'histoire religieuse, basées sur les travaux scientifiques les plus récents, et relatives aux points de contact de la Bible et des plus anciens écrits sacrés des Indiens, des Perses, des Babyloniens, des Assyriens et des Égyptiens, par le Dr Engelbert Lorenz Fisscher, trad. par le Dr Prosper.

Jérusalem et le Saint Sépulcre, par M. Montbrun, officier d'Académie.

Tractatus de Ecclesia, par M. l'abbé de Brouwer, professeur au Séminaire épiscopal de Bruges.

Vere Admiranda seu **de Magnitudine Romanæ Ecclesiæ,** Libri duo, auctore Thoma Stapletono Anglo, S. Scripturarum nuper in Academia Lovaniensi prof. regio ac primario. — Nouvelle édition.

Rever. Patris PLATELII, S. J., Synopsis totius Cursus Theologici, diligenter recognita, et variis in locis locupletata.

Méditations des prêtres, avant et après la Sainte Messe, pour se disposer à la célébrer dignement et avec fruit, par le P. Edme Cloyseault, prêtre de l'Oratoire. — Nouvelle édition précédée d'une notice sur l'auteur, par un prêtre de la même congrégation.

La Lyre Chrétienne, ou paraphrase, sous forme de prières, des psaumes les plus usités, par l'auteur de *Allons au Ciel.*

L'Esprit de Sainte Gertrude, ou **l'Amour** du Cœur de JÉSUS pour ses Créatures, par M. S. Cusack, traduit de l'anglais ; *avec une préface de Mgr* MERMILLOD.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google